ܡܟܬܒܢܘܬܐ ܕܐܒܗܬܐ ܣܘܪܝܝܐ

PATROLOGIA SYRIACA

PARS PRIMA

AB INITIIS USQUE AD ANNUM 350

TOMUS TERTIUS

B 4223

ܡܠܦܢܘܬܐ ܕܐܒܗܬܐ ܣܘܪܝܝܬܐ

PATROLOGIA SYRIACA

COMPLECTENS OPERA OMNIA

SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE CATHOLICORUM

QUIBUS ACCEDUNT

ALIORUM ACATHOLICORUM AUCTORUM SCRIPTA QUAE AD RES ECCLESIASTICAS PERTINENT

QUOTQUOT SYRIACE SUPERSUNT

SECUNDUM CODICES PRAESERTIM LONDINENSES, PARISIENSES, VATICANOS

ACCURANTE R. GRAFFIN

PH. AC TH. DOCTORE, LINGUAE SYRIACAE IN FACULTATE THEOLOGICA INSTITUTI CATHOLICI PARISIENSIS LECTORE

PARS PRIMA

AB INITIIS USQUE AD ANNUM 350

TOMUS TERTIUS

ܟܬܒܐ ܕܡܣܩܬܐ

LIBER GRADUUM

E CODICIBUS SYRIACIS PARISIIS, LONDINI, ROMAE, HIEROSOLYMIS
ALIBIQUE ASSERVATIS EDIDIT, PRAEFATUS EST

DR. MICHAEL KMOSKO

IN UNIVERSITATE BUDAPESTENSI PROFESSOR

PARISIIS

EDIDERUNT FIRMIN-DIDOT ET SOCII, VIA IACOB, 56

INSTITUTI FRANCICI TYPOGRAPHI

MCMXXVI

NIHIL OBSTAT

R. GRAFFIN

Parisiis, die 8a Maii 1926

PERMIS D'IMPRIMER

Paris, 10 Septembre 1926

V. DUPIN

v. g.

EXCUDEBANT FIRMIN-DIDOT ET SOCII. — MESNILI AD STRATAM.

INTRODUCTIO

Cum anno 1901 Londini in Museo Britannico operibus Iacobi Sarugensis describendis operam dedissem, et casu fortuito catalogum codicum Syriacorum a Wright exaratum inspexissem, oculi in pagina 810 haeserunt, ubi codice descripto praefatio scribae codicis Add. 14,613 citatur, qui operis a se descripti, *Libri Graduum* auctorem virum dicit Apostolorum temporibus vicinum. Licet audax ista assertio initio ridicula mihi videretur, tamen curiositate vexatus codicem mihi exhibendum curavi atque magno cum stupore intellexi, de aetate quidem apostolica operis loqui esse futile, nihilominus locos ex Evangeliis desumptos pro summa operis antiquitate suffragari. Vix enim foliis aliquot cursim perlectis plurimos ibidem inveni locos, quos in solis Aphraatis Demonstrationibus me legisse memini.

« Beati mites, quoniam haereditabunt terram VITAE »

« Pasce agnos meos et oviculas meas et gregem meum » cum permultis,his similibus lectionibus, quarum nullos alios praeter Syros testes invenies.

Sed etiam doctrina operis ascetica singularis videbatur. Initio quidem me opus Manichaeum deprehendisse aestimabam, fragmentis tamen codicis superius laudati accuratius examinatis perspexi doctrinam Libri Graduum proxime ad Meṣallianorum commenta accedere, licet sententiae auctoris a nefaria hypocrisi monachorum Meṣallianorum iam ipsa asceseos sinceritate, virtutum vero studio, honesto animi candore auctoris longe abesse viderentur. Loci item aliquot S. Paulo adscripti, studiosas corruptiones textus canonici exhibentes, multa deinde testimonia ex libris apocryphis desumpta suspicionem de operis antiquitate conceptam confirmabant. Interim catalogo Wright accuratius examinato praeter fragmenta diversa, iam in indice catalogi notata, inveni alias etiam operis partes inter scripta Evagrii positas, atque in codicibus perantiquis contentas, quorum antiquissimus, Add. 14,578 sermonem « De iustis et perfectis » exhibens, iuxta Wright saeculo VI-VII exaratus est et aperte ostendit, Syros iam tunc temporis nullam omnino certam de operis auctore traditionem habuisse.

His descriptis paulatim ea mihi suspicio incurrit, Librum Graduum, plu-

rimas ideas gnosticas redolentem, nil nisi membrum aliquod intermedium esse in illa doctrinae Encratitarum evolutione, quae ex hyperascesi Apotacticorum Hieracitarumque ad placita Mesallianorum libertina depravata est. Parisios cum venissem, descripto codice Syriaco 201 Bibliothecae Nationalis, qui exceptis aliquot lineis totum opus continet, apertius etiam probabilitatem suspicionis expositae ita perspexi, ut aetatem Libri Graduum ultimis annis longae periodi persecutionis Christianorum a Diocletiano inceptae et morte Licinii finitae statuendam esse existimaverim. Candide tamen fateor hanc suppositionem valorem hypotheseos haud excedere. Totum enim opus vix aliquoties alludit ad tales eventus historicos, ex quibus actas auctoris certo concludi possit. Maximi momenti est repetita alicuius persecutionis mentio, qua durante Christiani cremati et bestiis proiecti esse dicuntur.

Quod saepius alludit ad hanc persecutionem tempora Licinii in memoriam reducit, nam Iuliani in Christianos et Valentis in Catholicos inhumanitas nunquam ad tantas crudelitates lapsa est, quantas Liber Graduum describit. Praeterea deest mentio Arianismi, quo respectu auctor mentem suam vix exprimere omisisset, si spectavisset enormem animorum commotionem litibus dogmaticis inter catholicos Ariique asseclas excitatam. Sed alia etiam adesse possibilitas videtur. Merito enim quaeri debet, an persecutio illa ea sit, quam Sapor II in Perside contra Christianos excitavit? Verumtamen totum opus nullam rerum persicarum notitiam prodit, dum ex alia parte diversa profert, quae auctorem imperio Romano subditum fuisse arguunt. Haec quidem in fine Praefaetionis accuratius exponuntur; sufficit fateri rem omnino certam non esse, quod ceterum in opere anonymo, indiciis apertis historicis carente, nemo mirabitur. Videant docti, qui opus a me editum accuratius examinabunt! Immodestum est dicere post introductionem, quam operi praemitto, nullum dari inquisitionis locum, etsi persuasum mihi sit exitum disquisitionis cuiusque haud notabiliter ab opinione mea discrepaturum esse.

Dispositio totius operis editi haec est :

Textui praemitto « Praefationem » sex « capita » continentem.

1. Caput primum continet indicem codicum, qui reperiri potuerunt.

2. Caput secundum argumentum Libri Graduum,

3. Caput tertium doctrinam operis exhibet.

4. Capite quarto doctrina Messalianorum et Libri Graduum ad eam explanandam necessitudo examinantur.

5. Capite quinto indicia historica congessi, ex quibus aetas libri aliqua ratione statui potest.

6. Capite sexto quaestio de fontibus Libri Graduum tractatur.

Vitio mihi forsitan aliquis vertet me in enumerando libri argumento diu moratum esse atque in aliquas repetitiones otiosas incurrisse. Attamen praenoto finem capitis II principalem fuisse usum textus faciliorem reddere, quo facilius

materia in Libro Graduum digesta inveniri posset. Argumentum ipsum « sermonum » non id est quod uno verbo exacte exponi possit; auctor rhapsodico modo ideas suas proponit atque in uno eodemque sermone de rebus tam diversis agit, ut argumentum operis sine accurata sermonum partitione exponi nequaquam possit. Si itaque argumentum Libri Graduum exponere volui, negotium susceptum brevius absolvere vix potuissem, secus caput secundum simpliciter delessem. Quod verum est quoque de capite tertio, cuius sententiae in caput quartum, ubi doctrina operis examinatur, saepe recurrunt; attamen lector benevolus statim perspectum habebit, me in ipsa doctrina examinanda non singula elementa doctrinalia in capite tertio enumerata respicere potuisse, sed totum systema theologicum auctoris, ratione nexus mutui doctrinarum eiusdem inquirere debuisse. Caput tertium deinde totam doctrinam operis schematice digestam exhibet; caput quartum non omnia elementa dogmatica operis respicit, sed ea, quae ad certa principia speculationis theologicae auctoris reducuntur, in ipsorum nexu harmonico considerat et cum documentis antiquioribus recentioribusque aetatis patristicae comparat.

Pars secunda operis complectitur XXX Sermones ex quibus totum opus constat. Textum syriacum e codice Parisiensi desumpsi, ubi alii antiquiores defuerunt; quodsi antiquiores praesto habui, lectiones potissimum codicis antiquissimi sequebar, nisi rationes evidentes consensusque codicum ceterorum ostenderent codicis antiquissimi lectiones falsas esse et proinde reiiciendas. Translationem quam potui fidelissimam exaravi, at vitata methodo eorum, qui antiquas latinas Scripturarum versiones imitantes omnes particulas constructionesque textus syriaci exprimere conabantur, quod ex mea opinione superfluum est, cum idem etiam regulis grammaticis sermonis latini observatis praestari possit.

Dabam Posonii in Hungaria, IV Kal. Febr. 1903.

M. Kmosko.

*
* *

Iis quae scribebam anno 1903, liceat mihi quaedam addere : etenim cum maior operis pars in unico codice Parisiensi servata fundamentum securum textus recensendi haud videretur, visa multitudine fragmentorum in aliis codicibus servatorum spes mihi affulsit, fore ut textus operis antiquior codice Parisiensi et fors etiam accuratior reperiretur. Spem hanc eventus probavit, nam anno 1908 auctore sua Beatitudine Ignatio Ephraemo Raḥmani codicem Libri Graduum pervetustum in Oriente dari comperi. Antequam autem integrum eius apographum nactus essem, usque ad ultima tempora per ventum est.

Quae cum ita sint, Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Renato Graffin invicta patientia curante ac maxima cum sollicitudine invigilante, impressio textus syriaci tam prospere cessit, ut is, saltem quoad consonantes, mendis

omnino careret : vocales nihilominus quaedam sub praelo sive evanuerunt, sive mutatae sunt. Elenchus addendorum et corrigendorum qui in calce operis reperitur, omnes illos errores etiam levissimos exhibet, nec non aliquot emendationes quibus translationem castigandam habuimus. Quapropter lectores benevolos, qui tomum hunc III Patrologiae Syriacae prae manibus habebunt, enixe rogo ut elenchum hunc semper respiciant.

Dabam in vico Pusztazámor in Hungaria, com. Fehér, festo Sanctorum Cyrilli et Methodii, Idibus Iulii A. D. 1926.

M. K.

PRAEFATIO

CAPUT PRIMUM

DE CODICIBUS LIBRI GRADUUM

I. Describuntur Codex Syrus n. 201 Bibl. Nat. Parisiensis, undecim codices Musei Britannici, Codex prof. Neumann unicus, item Codex CXXIII Bibl. Vaticanae Syrus ac Codex B. Patr. Rahmani. — II. Libri edendi ratio. — III. Testimonium Codicum de auctore Operis. — IV. De Eusebio illo monacho, qui in Codice Add. Mus. Britannici 17,193 fol. 3 Operis auctor statuitur. — V. De Symmacho, cui 'Abdîšô' Sermonem XIX L[i] G. tribuit.

α

1. Codex Bibliothecae Nationalis Parisiensis Syrus 201 saec. XII bombycinus, foll. 281 in 8° binis columnis, scriptura cursiva Iacobitica nitide et sat accurate descriptus [1]. Continet : a) Philoxeni Mabugensis opus, cui inscribitur : *De vita et perfectione Christiana* [2] foll. 1-172. b) *Librum Graduum* ܟܬܒܐ ܕܡܣܩܬܐ a nobis modo edendum foll. 172[b]-281[a]. Plura folia Codicis a vermibus corrosa sunt, ultima vero tria quattuorve pluviae vel aeris, uti videtur, vicissitudinibus diutius exposita, versus marginem lateralem valde detrita sunt. Hinc evenit, ut notabilis pars columnae ad oram marginis adiacentis vix amplius legi possit; Codex ceterum mutilus est; duo fere folia versus finem periisse videntur.

Pars Codicis Librum Graduum exhibens continet :

1) Praefationem scribae cuiusdam operi praefixam de auctore Libri disserentem, cuius est probare eum unum ex ultimis Apostolorum discipulis prophetamque fuisse, natione Syrum.

2) Sermonem ultimum XXXI, quo Scriba probare satagit, quae de persona « Beati » in laudata praefatione asseruit [3].

[1] V. Zotenberg, *Catalogue des Manuscrits syriaques et sabéens de la Bibliothèque Nationale*. Paris, 1874, p. 150.

[2] Ed. Budge sub titulo *The Discourses of Philoxenus*. London, 1894.

[3] Eum Sermonem α perperam numerat XXX; teste Cod. R. finis est Serm. XXX

3) Sermonum XXXI indicem in margine foll. 172^{b} et 173 notatum, ex parte illegibilem.

4) Triginta Sermones, quibus totum opus constat. Horum ultimus isque trigesimus imperfectus est; duo folia periisse videntur; Opus desinti folio ultimo 281$^{a \text{ col I}}$ cuius infima pars detrita est nec amplius legi potest; at *ib.* $^{\text{col II}}$ iam excerptum aliud ex opere quodam Ioannis monachi teste rubrica adhuc visibili incipit : *Ioannis er*............ ܕܝܘܚܢܢ ܐܝ i. e. *Ioannis eremitae* ܕܝܘܚܢܢ ܐܝܚܝܕܝܐ unde primo obtutu lineae tantum aliquot periisse videntur. Perpendendum autem est textum columnae primae linea ܡܬܬܢܝܐ ܡܚܝܢܐ ܠܡܚܘܐ ܩܪ ita desinere, ut lineae quattuor, quae infra eam inveniuntur, nota marginalis habendae sint, cum ad praecedentia non pertineant. Verumtamen ob laudatam superius rubricam prorsus certum est col. II sententias exhibere Ioannis monachi; fol. 281^{b} vero hymnum aliquem ex parte tantum legibilem continet, cui inscribitur : ... [H]*ilarionis* (?)... *de laude*... ܠܠ... ܕܒܪܝܢ... ..ܡܫܒܚܘܬܗ. Probabile ergo est amanuensem notulas illas libro inseruisse textumque L^{i} G. fol. 282^{a} continuasse, quod tamen in Codice Parisiensi deest. Res exinde quoque confirmatur, quod idem fol. 260 quoque contigit, ubi Scriba excerptum e *Libro Paradisi* ܡܢ ܟܬܒܐ ܕܦܪܕܝܣܐ inseruit.

Sermo trigesimus primus teste Indice laudato primo loco positus est, proinde in fine Operis deerat.

Titulus currens Operis aliquoties in margine superiore indicatur, uti fol. 260^{b} et 261^{a} : *Liber Graduum a Sancto quodam perfecto compositus :* ܟܬܒܐ ܕܡܣܩܬܐ ܕܣܝܡ ܠܚܕ ܡܢ ܩܕܝܫܐ ܓܡܝܪܐ. Ita etiam fol. 270^{b} et 271^{a}, ubi ad ܟܬܒܐ additur ܗܢܐ.

Fol. 173^{a} infra lector quidam hancce notam arabicam adiecit :

نضر في هذا الكتاب
المبارى على الرهبان
قول القديس ماري
فيلوكسينوس اسقف
مبج ابرهم المكبحي

Praecellit in hoc libro certatim de monachis disserente sermo Sancti Mâr Philoxeni Mabugensis. Abraham mukabbaḥi (?).

Fol. 260^{b} scriba, ut videtur, Codicis totam paginam hocce excerpto replevit :

E Libro Paradisi. Aba Poimen dicebat : Quotiescunque inciderit homo in quodlibet vitium aut delictum et dixerit : « peccavi » illico remittitur ei a Deo. Quae sententia vera est; peccata ante baptismum [*commissa*] *baptismo piaculari remittuntur : Paenitentiam, ait, agite et baptizetur unusquisque ex vobis in domine Dñi Iesu*

Christi in remissionem peccatorum [1]*; peccata vero baptismo posteriora mysteriis sacris corporis et sanguinis Dñi. « Hoc est enim corpus meum et sanguis meus, quod pro vobis frangitur ac effunditur in remissionem peccatorum ».*

Remittuntur autem sic : si sint peccata, quae divina Scriptura valde reprehenduntur, quorum commissores asseruit Paulus prohiberi ab ingressu in regnum caelorum [2]*, ea quidem remittuntur, ubi quis certum tempus iuxta canones et leges a superioribus in praevaricatores latas in sacco et cinere expleverit et tunc sacra mysteria sumpserit habens animam poenitentiam agentem, plenam passione et compunctione de delictis suis. Si quis vero deliquerit in fratrem suum quolibet delicto et obtulerit* μετάνοιαν *cum humilitate et veniam petierit cum compunctione : illico dimittitur ei a Dño dicente : Vade, reconciliare cum fratre tuo* [3] *et : dimitte et dimittetur vobis* [4]*. Frater autem sedens in cella sua et propter molestiam certaminum daemoniacorum et vexationem titillationum passionum quopiam delicto laborans, si dolens et lugens orationem specialem oraverit, uti psalmum, et supplicationem et « Sanctus » et « Pater noster, qui es in caelis » et sollicite praeparaverit seipsum ad sacra mysteria sumenda et crediderit indubitanter : remissione peccatorum dignabitur et spem habebit. Si quo tamen passio quaepiam diutius potita et propter voluntatem debilem in mentem dominata sit, is multis laboribus corporis et mentis, passione et compunctione, certamine et oratione assidua et dolorosa opus habet et tunc demum victoriam reportabit sumpto corpore et sanguine Salvatoris et Vivificatoris et Purificatoris nostri. Et hoc ex interpretatione Paradisi est.*

ܡܢ ܟܬܒܐ ܕܦܘܫܩܐ. ܐܡܪ ܗܘܐ ܐܚܐ ܦܠܢ: ܕܟܠ ܚܛܗܝܢ ܕܩܕܡ ܥܡܕܐ ܒܗ ܒܡܥܡܘܕܝܬܐ ܐܘ ܡܫܬܒܩܢ ܘܐܬܚܕܬ ܕܡܫܝܚܐ: ܒܬ
ܡܫܝܚܐ ܠܫܘܒܩܢ ܚܛܗܐ. ܚܛܗܐ ܕܝܢ ܕܒܬܪ ܡܥܡܘܕܝܬܐ ܒܐܪܙܐ ܩܕܝܫܐ ܕܦܓܪܗ ܘܕܡܗ ܕܡܪܢ: ܡܪ [5] ܗܢܘ ܓܝܪ ܦܓܪܝ ܘܗܢܘ ܕܡܝ ܕܚܠܦܝܟܘܢ
ܡܬܩܨܐ ܘܡܫܬܦܟ ܠܫܘܒܩܢ ܚܛܗܐ: ܡܫܬܒܩܝܢ ܕܝܢ ܗܟܢܐ: ܐܢ ܐܝܬ ܚܛܗܐ ܕܟܬܒܐ ܐܠܗܝܐ ܣܓܝ ܡܪܫܐ ܠܗܘܢ: ܕܠܥܒܘܕܝܗܘܢ
ܡܢ ܡܠܟܘܬܐ ܕܫܡܝܐ ܟܠܐ ܦܘܠܘܣ: ܗܠܝܢ ܡܫܬܒܩܢ ܟܕ ܐܢܫ ܙܒܢܐ ܝܕܝܥܐ ܐܝܟ ܩܢܘܢܐ ܘܢܡܘܣܐ ܕܣܝܡܝܢ ܡܢ ܪܫܢܐ
ܥܠ ܥܒܪܝ ܢܡܘܣܐ ܒܣܩܐ ܘܩܛܡܐ ܢܫܠܡ ܘܗܝܕܝܢ ܢܩܒܠ ܐܪܙܐ ܩܕܝܫܐ: ܟܕ ܢܦܫܗ ܬܝܒܐ ܘܡܠܝܐ ܚܫܐ ܘܬܘܢܚܐ ܥܠ
ܣܟܠܘܬܗ. ܐܢ ܕܝܢ ܐܢܫ ܢܣܟܠ ܒܐܚܘܗܝ ܒܐܝܕܐ ܕܗܘ ܣܟܠܘܬܐ ܘܢܩܪܒ ܡܛܢܘܝܐ ܒܡܟܝܟܘܬܐ ܘܢܒܥܐ ܫܘܒܩܢܐ
ܒܬܘܢܚܐ: ܡܚܕܐ ܡܫܬܒܩ ܠܗ ܡܢ ܡܪܢ ܕܐܡܪ: ܙܠ ܐܬܪܥܐ ܥܡ ܐܚܘܟ [3] ܘܫܒܘܩܘ ܘܢܫܬܒܩ ܠܟܘܢ. ܐܚܐ ܕܝܢ ܕܝܬܒ
ܒܩܠܝܬܗ ܘܡܛܠ ܥܡܠܐ ܕܐܓܘܢܐ ܕܫܐܕܐ ܘܕܘܘܢܐ ܕܢܘܟܝܐ ܕܚܫܐ ܒܐܝܕܐ ܕܗܘ ܣܟܠܘܬܐ ܐܢ ܟܕ ܟܐܒ ܘܐܒܝܠ
ܢܨܠܐ ܨܠܘܬܐ ܕܝܠܢܝܬܐ ܐܝܟ ܡܙܡܘܪܐ ܘܒܥܘܬܐ ܘܩܕܝܫ ܘܐܒܘܢ ܕܒܫܡܝܐ ܘܢܛܝܒ ܢܦܫܗ ܒܚܦܝܛܘܬܐ ܠܡܩܒܠܘ
ܐܪܙܐ ܩܕܝܫܐ ܘܢܗܝܡܢ ܕܠܐ ܦܘܠܓܐ: ܫܘܒܩܢ ܚܛܗܐ ܡܫܬܘܐ ܘܣܒܪܐ ܩܢܐ. ܐܢ ܕܝܢ ܚܫܐ ܐܝܢܐ ܕܗܘ ܐܘܪܟܬ ܘܚܝܠܬ
ܘܡܛܠ ܨܒܝܢܐ ܡܚܝܠܐ ܥܠ ܗܘܢܐ ܫܠܛ: ܗܢܐ ܒܥܡܠܐ ܣܓܝܐܐ ܕܦܓܪܐ ܘܕܗܘܢܐ ܒܚܫܐ ܘܬܘܢܚܐ ܒܐܓܘܢܐ ܘܨܠܘܬܐ
ܐܡܝܢܬܐ ܘܟܐܒܬܐ ܣܢܝܩ ܘܗܝܕܝܢ ܢܣܒ ܙܟܘܬܐ ܟܕ ܢܩܒܠ ܦܓܪܐ ܘܕܡܐ ܕܡܚܝܢܢ ܘܡܚܝܢܢ ܘܡܕܟܝܢܢ ܐܬܝܠܗ
ܘܚܛܗܐ ܕܝܢ ܕܗܘܝܢ ܡܢ ܡܛܘܠ ܡܛܢܘܝܐ [6] ܕܡܬܩܪܐ ܡܘܠܝܐ ܘܡܫܬܒܩܢ ܠܗ ܡܢ ܡܪܢ ܕܐܡܪ
ܕܠܐ ܐܬܬܠܝܘ ܢܡܘܣܐ ܠܟ: ܐܠܐ ܗܒ ܠܗ ܢܡܘܣܐ ܠܗܘ ܕܟܠ ܡܕܡ ܡܫܟܚ ܠܡܥܒܕ. ܐܢܬ ܕܝܢ ܠܐ ܡܫܟܚ ܐܢܬ ܠܡܥܒܕ ܡܕܡ
ܡܛܠ ܗܢܐ ܠܐ ܐܡܪ ܕܠܐ ܘܠܐ ܠܡܕܒܪܢܘܬܐ ܕܝܚܝܕܝܐ ܐܝܟ ܢܡܘܣܐ ܘܩܢܘܢܐ ܕܙܕܩܝܢ ܠܕܘܒܪܗ ܙܗܝܪܐ ܠܡܕܒܪܘ
ܐܠܐ ܐܢܬ ܕܝܢ ܐܢ ܩܐܡ ܐܢܬ ܐܦ ܒܟܝܢܐ ܗܘ ܫܠܡܐ ܘܦܫܝܩܐ. ܐܢ ܕܝܢ ܡܨܠܐ ܐܢܬ ܒܨܠܘܬܐ ܕܢܓܝܪܐ
ܣܓܝ ܐܢܫܐ ܗܘܘ ܕܐܦ ܡܢ ܩܕܡ [7] ܐܬܢܨܚܘ ܘܐܬܟܠܠܘ ܒܟܠ ܫܪܒܐ ܕܕܘܒܪܐ: ܗܢܐ ܕܝܢ ܟܠ ܒܫܦܝܪܘܬܐ ܘܒܛܝܒܘܬܐ
ܘܒܫܦܝܪܘܬܐ ܕܦܓܪܐ ܘܕܢܦܫܐ ܡܟܠ ܚܢܢ... [8] ܘܗܢܐ ܡܢ ܦܘܫܩܐ ܕܦܪܕܝܣܐ ܐܝܬܘܗܝ.

Haec nota Serm. XXIV illustrat, post quem ponitur; praecedit fol. 260ª alia annotatio ipsius scribae, quae contra placita L[i] G. charitologica dirigi videtur et lectorem a praesumptione dehortatur :

Dixit [sic fratri : Noli] tibi fieri lex, sed [legem (?)] da illi, qui totum facere potest, tu vero nihil potes facere. Non dicit non oportere eremitam vitam ad normam legum et canonum cautae eius conversationi convenientium agere, sed dicere vult : tu, si...

[1] Act. II, 38. — [2] Gal. V, 21. — [3] Matth. V, 24. — [4] Luc. VI, 37. — [5] ܡܪ = *verbum* ܡܠܬܐ. — [6] ܡܛܢܘܝܐ (sic) = μετάνοια. — [7] In codice ܩܕܡܝ. — [8] Utrum ܘܗܢܐ an ܗܢܐ legendum sit, incertum est.

totis viribus tuis vigilanter et solerter : recede a malo et fac bonum[1], *non tamen fiduciam habens in..... et in lege tua, quasi ipsa perficiat te, sed crede Deo dicenti tibi : [Qui] sibi bonum elegerit, ego adiuvabo*[2] *(et iterum dixit: Sine me nihil potestis facere)*[3] *et Paulo, qui [dixit] : Deus est, qui facit et velle et perficere*[4]. *[Si] his credideris, non superbibis de iustitia tua nec fiduciam habebis in teipso, quasi absque [Deo] perfectum reddant te.*

ܐܡܪ[ܝ]ܢ ܡܛܝ̈ܒ]ܐ ܠܛܒܐ (?) ܠܐ ܐܝܟ ܗܘܐ ܗܝܡܢ ܢܡܘܣܐ ܠܢܦܫܟ ... ... ܗܘܝ ܠܗܘܢ ܕܡܥܡܠܝܢ ܟܠ ܠܡܫܡܠܝܘ ܘܠܐ ܡܬܪܡܪ ܡܕܡ [ܐܝܟ]
ܐܠܐ ܗܘܐ ܙܕܩ: ܕܢܬܩܢܘܢ ܠܟܐܢܘܬܐ ܕܝܠܗܘܢ ܒܢܡܘܣܐ ܘܒܡܥܒܕܢܘܬܐ ܕܢܬܬܩܢܘܢ: ܕܐܡܪ ܠܡܫܝܚܐ ܠܗ ܕܠܐ ܙܪܩ ܐܡܪ ܗܘܐ ܠܗ .ܗ .ܠܡܫܡܠܝܘ
ܠܡܬܐܡܪ: ܕܐܝܟ ܐܠܐ .... ܒܟܠܗ ܚܝܠܟ ܒܥܝܪܐܝܬ ܘܡܬܚܦܛܐܝܬ ܐܬܦܪܩ ܡܢ ܒܝ̈ܫܬܐ ܘܥܒܕ ܛܒܬܐ. ܒܪܡ ܠܐ ܟܕ ܬܬܟܠ ܥܠ.... ܢܡܘܣܟ
ܕܗܘ ܡܫܡܠܐ ܠܟ: ܐܠܐ ܗܝܡܢ ܠܐܠܗܐ ܕܐܡܪ ܠܟ: [ܡܢ] ܕܓܒܐ ܠܗ ܛܒܬܐ ܐܢܐ ܐܥܕܪܝܘܗܝ. ܘܬܘܒ ܐܡܪ: ܕܒܠܥܕܝ ܠܐ ܡܫܟܚܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܡܥܒܕ
ܠܡܕܡ. ܘܠܦܘܠܘܣ ܕܐ[ܡܪ]: ܕܐܠܗܐ ܗܘ ܕܡܥܒܕ ܐܦ ܠܡܨܒܐ ܐܦ ܠܡܫܡܠܝܘ. [ܐܢ] ܠܗܠܝܢ ܡܗܝܡܢ ܐܢܬ ܠܐ ܡܬܪܝܡ ܐܢܬ ܒܙܕܝܩܘܬܟ
ܘܠܐ ܬܬܟܠ ܥܠ ܢܦܫܟ ܐܝܟ ܕܒܠܥܕ [ܐܠܗ]ܐ ܡܫܡܠܝܢ ܠ[ܟ]܀

Excerptum ex opere aliquo Ioannis monachi col. 281[ab] positum, vix iam legi potest. Ex iis, quae remanserunt, colligitur scribam solilogium, vel meditationem aliquam asceticam in illo folio obliterato adiecisse. Excerptum cum L° G. nil commune habet.

Orthographia Codicis ea est, quae in libris manu scriptis a Iacobitis saeculo XII exaratis generatim observatur. Abbreviationes quidem rarae non sunt, ad certa quaedam nihilominus vocabula restringuntur uti ܗ̄ = ܗܘ ܕܝܢ; ܡܫ̄ܝܚ = ܡܫܝܚܐ; ܦ̄ܪ et ܦܪ̄ܘܩ = ܦܪܘܩܢ; ܩ̄ܕ = ܩܕܝܫܐ; ܫ̄ܠܝܚ = ܫܠܝܚܐ; ܫܠ̄ܝܚ = ܫܠܝܚܘܬܐ. — Loco ܐܬܬܢܝ Codex saepe ܐܬܢܝ scribit. Afformativum nominum abstractorum ܘܬܐ in compendium iuxta hocce schema redigitur : ܒܡܫܡܫܢܘ̄ܬܗܘܢ = ܒܡܫܡܫܢܘܬܗܘܢ; ܒܡܫܡܫ̄ܢ = ܒܡܫܡܫܢܘܬܐ; ܒܡܫܡܫܢܘ̄ܗ = ܒܡܫܡܫܢܘܬܗ.

Punctis ̈ *seyāmê* dictis Scriba recte utitur exceptis hisce casibus : Ponuntur seyāmê in numeralibus fere omnibus v. g. ܬܠܬ, ܬܠܬܝܢ; nomini collectivo ܐܢܫܐ imponuntur etiam in nexu cum ܒܢܝ̈ et scribitur ܒܢܝ̈ ܐܢܫܐ atque pronominibus femininis et praepositionibus aliquibus cum suff. 3. pers. pl. fem. coniunctis : ܐܢܝ̈ܢ, ܒܗܝ̈ܢ, ܠܗܝ̈ܢ.

Familiare est scribae vocabula arctius cohaerentia coniungere, uti ܐܦܢ, ܐܦܠܐ, ܠܥܠܡܐܡܪ, ܡܠܟܬܗܘܢ, ܡܠܟܬܗܘܢ, ܡܢܟܝܠ, ܡܫܬܪܝܪ, hinc inde etiam contra sanas regulas, uti Serm. XX, 2 bis scribit ܗܘܕܝܢ pro ܗܘ ܕܝܢ (col. $259_{4\cdot7}$).

Textus vocalibus generatim caret, puncta tamen diacritica abunde apponuntur et hinc inde etiam signa vocalium graeca. Notatu dignum est scribam ܦܪܩܠܝܛܐ *Paracletus* scribere.

Ubi textus a nobis editus a scribendi ratione Codicis discrepat, differentia in margine notata est, quapropter dictas scribendi peculiaritates commemorasse sufficit. De valore Codicis critico v. inferius dicenda p. 10.

Codices Musei Britannici qui partes plerumque minores maioresque, nunquam tamen integrum Libri textum exhibent, undecim sunt. Ex his

[1] Ps. xxxiv, 14. — [2] ? Citati origo non liquet. — [3] Ioh. xv, 5. — [4] Phil. ii, 13.

quinque ad eorum antiquitatem distinguendam maiusculis latinis notavi, cum sint charactere *estrangelo* exarati. Reliquos, sive cursiva, sive mixta scriptura exaratos, minusculis graecis signavi. In iis describendis diutius haerere superfluum est, cum *Catalogus* a Guilelmo Wright editus omnia scitu necessaria suppeditet. Codices itaque Londinenses ratione habita antiquitatis sunt :

A

Add. 14,578 saec. VI-VII. Fol. 102ª exhibet Sermonem XIV *De iustis et perfectis,* eumque inter opera Evagrii Pontici ponit[1]. V. Wright, *CBM* N° DLXVII, 11, p. 446.

Est omnium antiquissimus et archetypus Sermonis XIV. sicuti in Codice E exstat. Quem vide infra.

B

Add. 14,612 saec. VI-VII. Fol. 139ª proponit Sermonem XX *De gradibus arduis in via civitatis Dñi*. Orthographia Codicis archaica est; scribit ܐܝܬܝ (pro ܐܝܬ[2]) coll. 536_{21} 564_6 580_1) ܟܠܗܘܢ (coll. 532_8 536_8 505_{10}) ܩܘܡ (col. 576_{13}). Textu Codicis in edendo Serm. XX usi sumus; scriptiones archaicas recepimus. V. Wright, *CBM* N° DCCLIII, 20, p. 698.

C

Add. 18,814 saec. VII-VIII. Fol. 29ª exhibet Sermonem XVI *Quomodo proficiat homo ope mandatorum magnorum*. Fol. 37ª adiicit Sermonem XIX *De expositione viae perfectionis* absque titulo. Ambo Sermones inter opera Ioannis monachi ponuntur eique auctori tribuuntur; accuratior tamen quidam Codicis lector in margine notavit : ***Ex** Libro Graduum* ܡܢ ܟܬܒܐ ܕܡܣܩܬܐ. Textu Codicibus in edendis ambobus sermonibus laudatis usi sumus retentis scriptionibus archaicis hinc inde obviis, uti ܟܘܠ cum matre lectionis coll. $501_{1\ bis}$ 512_{16} 513_7 et alibi passim. Lectiones Codicis cum aliis textibus comparatae magnam antiquitatem prae se ferunt, uti infra ostendetur. V. Wright, *CBM* N° DCCLXVII, 2, p. 734.

D

Add. 12,160 saec. VII-VIII. Fol. 153ª exhibet Sermonem XIX *De expositione viae perfectae*. Codex multas singulares habet lectiones, nihilominus textus, quem proponit, recentior est, quam codicis C, vestigiaque luculenta redactionis cuiusdam prodit, quae mitigatis quibusdam libri sententiis in omnia fere libri exempla posteriora diffusa est. V. Wright, *CBM* N° DCCCCXLII, II, 1, p. 1091.

[1] Cf. Zöckler, *Evagrius Pontikus. Seine Stellung in der altchristlichen Literatur- und Dogmengeschichte*. München, 1893, p. 42.

[2] Nöldeke, *Kurzgefasste syrische Grammatik*², Leipzig, 1898, p. 44.

E

Add. 14,621 A. D. 802. Continet :

Fol. 134ª Sermonem XVIII *De lacrimis orationis,*

— 136ª — XX *De gradibus arduis in via civitatis Dñi,*

— 144ª — XXIX *De castigatione corporis.*

Praeterea fol. 112ª occurrit Sermo XIV *De iustis et perfectis* inter opera Evagrii Pontici positus, cuius textus cum codice A tantopere conspirat, ut immediate e laudato Codice manasse videatur. Scriba haud integrum L^{um} G. praesto habuisse videtur; secus enim haud eum fugisset Sermonem XIV. Evagrio adtributum non esse foetum eiusdem. V. Wright, *CBM* N° DCCLXIX, 4, p. 757.

β

Add. 14,613 saec. IX-X. Continet excerpta copiosa, quae duodeviginti sermones complectuntur; ex his tamen nonnisi Serm. VIII, XI, XII, XVIII, XXIV, XXVI, integri sunt, Sermo X, XIX, XXIX, exceptis paucis omissionibus a scriba fere integri expilati sunt; reliqui excerpta modo minora modo maiora exhibent, quae nisi initio sermonis ponantur, verbis miniatis *paulo infra* ܒܬܪ ܩܠܝܠ adducuntur. Scribae Codicis exemplum integrum totius operis praesto fuisse e fine Serm. XXI, n. 4 concludo, ubi excerptum descriptum verbo ܐܬܟܬܫܘ desinit, contra voluntatem, uti videtur, Scribae, qui lapsu oculorum deceptus initium novae sententiae adiecit, quam tamen integram describere noluit. Textus β textui α valde affinis est; etiam praefationem Scribae de auctore operis anonymo in compendium redactam adducit et cum α saepissime communes habet lectiones contra antiquiora exempla Londinensia. Scriptura Codicis nitida est et facile legibilis, aliquando autem nescio utrum vicissitudine aeris, an aliam ob causam, scriptura integrorum foliorum ita evanuit, ut vix vestigia literarum adsint et haec nonnisi maximo cum oculorum detrimento erui queant; folia eiusmodi sunt 1ᵇ, 3ᵇ (circa finem), 8ª, 9ª, 13ª, 16ª, 18ª, 28ᵇ, 41ª, 43ª, 45ª, 49ᵇ, 56ª, 58ª, 64ᵇ, 65ª, 66ª, 67ª, 68ª, 69ª, 72ᵇ, 76ᵇ, 77ª, 81ª, 82ª, 83ᵇ, 85ᵇ, 87ᵇ, 88ᵇ, 89ª, 90ªᵇ, 91ª, 92ª, 94ª, 95ᵇ, 96ᵇ, 97ᵇ, 98ᵇ, 99ᵇ, 100ᵇ, Sermones excerptaque in Codice contenta haec sunt :

Fol. 1ª Praefatio Scribae in compendium redacta.

— 26ª Sermo III *De ministerio spirituali et corporali*, nn. 1-5; n. 7 a v. ܗܕܐܢܐ ܗܘ ܐܢܫ ad v. ܡܢ ܗܢܘܢ ܕܡܫܡܠܝܢ, ib. a v. ܐܢܐ ܢܬܚܫܒܘܢ ad n. 13 ܡܕܢܚܐ ܡܢ ܕܡܕܢܚܐ.

— 33ᵇ Sermo IV *De herba infirmorum,* nn. 1-5.

— 36ᵇ Sermo V *De lacte parvulorum*, nn. 10-14; n. 17 a v. ܐܝܟ ܗܘܕܢܐ ad n. 19 ܐܦ ܡܛܠ ܦܘܩܕܢܝܗܘܢ.

— 40ᵇ Sermo VIII *De illo, qui omnia, quae habet, comedere facit pauperes.*

— 21ᵇ Sermo X *De utilitate, quam habemus, quando opera bona perficientes mala sustinemus,* nn. 1-9 ad v. ܐܝܟ ܕܗܘ ܒܥܡܠܐ·

Fol. 43^b Sermo XI *De auditione Scripturarum.*
— 47^b Sermo XII *De ministerio Ecclesiae manifesto et occulto.*
— 53^b Sermo XIII *De conversatione iustorum,* nn. 6-8.
— 12^b Sermo XV *De instinctu coitus, quomodo fuerit in Adam,* nn. 1-5; 7-10 ad v. ܡܪ̈ܓܫܝܢ ܡܢ ܠܡܣܬܟܠܘ; nn. 18 usque ad finem.
— 79^a Sermo XVI *Quomodo proficiat homo ope mandatorum magnorum,* nn. 1-6; n. 8 a verbis ܐܝܟ ܙܢܐ usque ad finem.
— 55^a Sermo XVIII *De lacrimis orationis.*
— 58^b Sermo XIX *De expositione viae perfectionis,* nn. 1-38 ad verba ܡܪܝܡ ܡܢܝ.
— 2^a Sermo XXI *De arbore Adae,* nn. 1-4 ad v. ܐܬܦܣܩܬ; n. 7 ad v. ܐܬܦܬܚܘ ܠܗ; nn. 8-11 ad v. ܦܘܠܚܢܗ ܕܒܪܢܫܐ ܠܡܘܬܐ.
— 85^b Sermo XXIV *De poenitentia.*
— 9^a Sermo XXVI *De Lege secunda, quam posuit Dominus Adae.*
— 96^a Sermo XXIX *De castigatione corporis,* nn. 1-2; 4-8; 11-19 ad v. ܘܢܣܩ ܐܡܬܝ.
— 106^a Sermo XXX *De praeceptis fidei et caritatis solitariorum,* n. 17; nn. 24-25 ad v. ܡܫܡܠܝܢ ܟܠ.

Ipsa quidem excerpta arbitraria et sine ordine disposita sunt, numerus tamen cuiusque Sermonis in margine Codicis recte annotatur. V. Wright, *CBM* N° DCCCVI, 1, p. 810.

γ

Add. 17,178 saec. XI-XII, membranaceus, excepto (quantum ad rem nostram pertinet) fol. 81, quod bombycinum est et ab alio quodam scriba additum esse videtur. Continet :

Fol. 87^b Excerptum breve e Sermone primo n. 2 a verbis ܕܢܘܗܪܝܢ ܡܛܠ usque ad verba ܦܘܩܕܢܐ ܪܘܚܢܐ.
— 82^b Serm. II *De his, qui perfici volunt.*
— 86^b Serm. XIII *De conversatione iustorum,* nn. 7-9.
— 87^b Serm. XIV *De iustis et perfectis.*
— 72^b Serm. XIX *De expositione viae perfectae,* nn. 1-2 ad v. ܐܝܟ ܙܢܐ ܐܠ, post quae folium unum periit; n. 5 a v. ܐܢ ܐܢܫ usque ad n. 14; n. 16-20 ad v. ܐܝܟ ܪܫܝܢܐ; n. 24-31 ad v. ܡܫܡܠܝܢ ܠܡܫܟܚܘܗܝ, post quae pariter deest folium; n. 34 a v. ܘܪܘܚܢܐ ܕܢܦܫܐ ad n. 35 ܟܠ ܡܕܡ ܘܬܚܘܝܬܗ; n. 35 praem. ܫܘܐܠܐ ܡܫܐܠ a v. ܐܠܘ ܠܐ ܕܐܪܝܟܝܢ usque ad n. 38 ܚܕ ܡܢ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܠܗܘܢ; n. 39 praemisso ܫܘܐܠܐ ܡܫܐܠ a v. ܡܢ ܐܢܫ ܕܦܓܪܗ usque ad v. ܡܢܝ ܢܦܫܗ. V. Wright, *CBM* N° DCCCXXVIII, 13, p. 856.

δ

Add. 14,611 saec. X. Fol. 9^a exhibet sermonem XXIX *De castigatione*

corporis inter opera Evagrii positum. V. Wright, *CBM* N° DCCCXIII, 2. d. p. 824.

ε

Add. 17,180 saec. XI. Fol. 7ᵇ exhibet Sermonem II *De his, qui perfici volunt.* V. Wright, *CBM* N° DCCCXXVI, 2, p. 852ᵃ.

ζ

Rich. 7,190 saec. XII-XIII. Fol. 80ᵇ exhibet Sermonem XIV *De iustis et perfectis,* pariter inter opera Evagrii positum. V. Forshall, *Cat. Br. M.* p. 77.

η

Add. 17,728 saec. XIII. Fol. 28ᵇ exhibet Sermonem II. *De his, qui perfici volunt.* V. Wright, *CBM* N° DCCCXLII, 4, p. 882.

N

Codex Syriacus cl. prof. Guilelmi Neumann universitatis Vindobonensis, membranaceus, foll. 189 ex 19 scapis constans, saec. VIII-IX, in 8°. Continet scripta ascetica Isaiae Scetici, Isaaci Ninivitae, Palladii, Athanasii, Chrysostomi, atque Macarii. Fol. 115ᵃ exhibet Sermonem XX *De gradibus arduis in via civitatis Dñi,* nn. 1-11 ad verba ܣܗܡܬܐ ܕܡܢܛܠ. Textus Codicis a viro quodam orthodoxo emendatus videtur, uti e n. 6 colligitur. Orthodoxa emendatio reperitur etiam n. 10. Lectiones Codicis a reliquis valde discrepant. Scriba quandoque peculiarem sequitur orthographiam; scribit ܘܗܘܝܢ pro ܗܘܝܢ ܗܘܐ coll. 532_7 537_{20}, ܚܢܢ pro ܚܢܢܐ 556_{12}, ܘܪܐ pro ܘܪܕܐ 557_{11}, ܠܡܩܡܚܘ pro ܠܡܩܕܡܘ 537_{16}, ܕܚܢܘܬܐ pro ܕܚܕܐܘܬܐ 541_2. Cf. quae scripsi in ephemeride *Oriens Christianus,* t. II, p. 91.

Z

Codex CXXIII. Bibliothecae Vaticanae Syrus, olim Nitriensis XIX, saec. VIII-IX. Continet :

Fol. 193ᵃ Sermonem II *De his, qui perfici volunt.*
— 196ᵇ — XIV *De iustis et perfectis.*
— 185ᵃ — XX *De gradibus arduis in via civitatis Dñi,* nn. 1-11 usque ad verba ܕܝ ܕܢܟ; nn. 14-15 praemissis altero excerpto verbis ܩܕܝܫܐ ܕܡ. Codex olim in Nilum decidit et ideo scriptura obliterata maxima cum difficultate tantum legi potest. In collatione lacunas punctis (....) notavimus.

R

Praeter exempla Operis, quae in bibliothecis Continentis nostrae inveniri potuere, Syrorum catholicorum Patriarcha, Ignatius Ephraemus II Raḥmâni datis ad me literis se in Asia alium libri Codicem perantiquum detexisse significavit. Sermonem XXX ex hoc Codice descriptum beatissimus

antistes mecum benignissime communicavit; eius lectiones variantes siglo R notavi. Viro beatissimo teste in subscriptione Codicis auctor Operis quidam Philo eremita statuitur, de cuius persona nihil me compertum habere fateor.

CONSPECTUS CODICUM LIBRI GRADUUM.

SERMO	Add. 14,578 saec. VI-VII	Add. 14,612 saec. VI-VII	Add. 18,812 saec. VII-VIII	Add. 12,160 saec. VII	Add. 14,621 A. D. 802	Add. 14,613 saec. X	Add. 17,178 saec. XI-XII	Add. 14,611 saec. X	Add. 17,180 saec. XI	Rich. 7,190 saec. XII-XIII	Add. 17,728 saec. XIII	Vat. Syr. 123 saec. IX	Cod. Syr. Prof. Neumann 3 s. saec. IX
	A	B	C	D	E	β	γ	δ	ε	ζ	η	Z	N
I	»	»	»	»	»	»	*87^{b}	»	»	»	28^{b}	»	»
II	»	»	»	»	»	»	82^{b}	»	7^{b}	»	»	193^{a}	»
III	»	»	»	»	»	* 26^{a}	»	»	»	»	»	»	»
IV	»	»	»	»	»	* 33^{a}	»	»	»	»	»	»	»
V	»	»	»	»	»	* 36^{a}	»	»	»	»	»	»	»
VIII	»	»	»	»	»	40^{b}	»	»	»	»	»	»	»
X	»	»	»	»	»	* 21^{b}	»	»	»	»	»	»	»
XI	»	»	»	»	»	43^{b}	»	»	»	»	»	»	»
XII	»	»	»	»	»	47^{b}	»	»	»	»	»	»	»
XIII	»	»	»	»	»	* 53^{b}	*86^{b}	»	»	»	»	»	»
XIV	102^{a}	»	»	»	112^{a}	»	87^{b}	»	»	80^{b}	»	196^{b}	»
XV	»	»	»	»	»	* 12^{a}	»	»	»	»	»	»	»
XVI	»	»	29^{a}	»	»	* 79^{a}	»	»	»	»	»	»	»
XVIII	»	»	»	»	134^{a}	55^{a}	»	»	»	»	»	»	»
XIX	»	»	37^{a}	153^{a}	»	* 58^{b}	*72^{b}	»	»	»	»	»	»
XX	»	139^{a}	»	»	136^{a}	»	»	»	»	»	»	*185^{a}	*115^{a}
XXI	»	»	»	»	»	* 2^{a}	»	»	»	»	»	»	»
XXIV	»	»	»	»	»	85^{b}	»	»	»	»	»	»	»
XXVI	»	»	»	»	»	9^{a}	»	»	»	»	»	»	»
XXVIII	»	»	»	»	»	* 91^{a}	»	»	»	»	»	»	»
XXIX	»	»	»	»	144^{a}	* 96^{a}	»	9^{b}	»	»	»	»	»
XXX	»	»	»	»	»	*106^{a}	»	»	»	»	»	»	»

* Asteriscus significat exceptum imperfectum; reliqui Sermones, quorum hic nulla fit mentio, in solo codice Parisiensi continentur.

2. Numerus quidem Codicum, qui in usum editionis huius inveniri potuerunt, haud exiguus est, attamen ex iis historia textus Libri accuratius erui

nequit. Sermo utique II in quatuor, XIV in quinque Codicibus reperitur, sed ambitus Sermonis utriusque tam modicus est, ut eorum ope gravis haec quaestio vix solvi possit. Si Sermonem II considerare velis, omnes fere Codices recentioris sunt aetatis, nec magno temporis spatio distant ab invicem; Sermo XIV vicissim tam brevis est, ut exinde certa aliqua conclusio circa fata libri deduci nequeat eo magis, cum antiquissimi Codicis A textus in E fere verbotenus recurrat. Solus Codex C is est, qui tenuia nimis indicia historiae textus prodit. Dum enim reliqui Codices saepissime contra C conformes sunt, hoc in Codice aliquot lectiones reperiuntur, quae iam primo obtutu magnam antiquitatis speciem prae se ferunt. Sermone XIX, 3 C legit : *dicit Siracides* ܐܡܪ ܐܣܝܪܐ reliqui : *dicit Scriptura;* XIX, 9 C : *nisi quis valedixerit toti cognationi suae* ܠܫܪܒܬܗ reliqui : *omni immunditiei* ܠܛܢܦܘܬܐ; XIX, 15 C citat Hebr. XIII, 4 verbis : ܙܘܘܓܐ ܠܘܬ ܟܠ ܐܢܫܐ ܗܘ reliqui iuxta textum vulgatum ܙܘܘܓܐ ܗܘ ܝܩܝܪ legunt. Haec exempla probant omnes reliquos codices ad aliam recensionem libri pertinere, in cuius textum mutationes diversae sensum certorum locorum mitigantes invectae sunt; aliis verbis : C ad archetypum Operis propius accedit, quam Codices Dαβγ, qui spectata eorum concordia contra C ad aliquam recensionem Operis recentiorem pertinere videntur. De auctore huius recensionis eiusque aetate nil certi constat; si autem perpendatur textum α et β quam maxime affines esse, probabile videtur auctorem recensionis recentioris Libri Graduum eundem virum fuisse, qui et illam praefationem utrique Codici communem toti Libro praemisit. Ceterum quisquis auctor recensionis eius fuerit, ipsi Codices antiquissimi A et B testantur textum Codicis α fideliter et accurate descriptum esse, quod iam ideo res maximi momenti est, cum dimidia fere operis pars in solo hoc Codice servata sit. Mendis et sphalmatibus utique non caret, quae plerumque coniiciendo tantum emendari possunt; attamen generatim loquendo fidem meretur et aliis Codicibus deficientibus eo pretiosior est.

Laudatis modo Codicibus in hac L[i] G. editione ita usi sumus, ut recepto antiquissimi Codicis textu reliquorum lectiones variantes adnotaremus. Quam regulam nonnisi suadentibus rationibus solidis reliquimus. Rem schemate adiecto illustramus :

Sermo :	Codex in textu receptus :	Codices in apparatu notati :
II	Z	αγεη
XIV	A (= E)	Zαγζ
XVI	C	αβ
XVIII	E	αβ
XIX	C	Dαβγ
XX	B	EZNα
XXI	E	αβδ

Textus Codicum α et β valde affinis est; valorem lectionum variantium diudicare haud ubique facile erat. Modo enim α modo β meliores exhibet lectiones. Cum tamen scriba Codicis β merum excerptorem ageret, non obstante maiore Codicis antiquitate haud raro lectiones alterius Codicis secuti sumus, ubi rationes solidae ita poscerent.

3. De auctore Libri Graduum ipsi Codices nil certi produnt. In praefatione textui Operis in α et β praemissa auctor « unus ex ultimis apostolorum discipulis » dicitur. Haec quidem assertio evidenter falsa est; nam in L° Gr^um textus « Evangelii » Tatianei Διὰ τεσσάρων citatur, itaque opus ante saeculum III conscriptum esse non poterat. Quidam sermones — XIV in Codicibus A E ξ, XXIX in Codice δ — inter opera Evagrii ponuntur; C sermonem XVI et XIX Ioanni monacho tribuit eos inter opera eiusdem collocans. Utrumque facile refutatur. Evagrius vir erat natione Graecus, qui syriace ne callebat quidem; Liber Graduum lingua syriaca eleganti, graecismis immuni scriptus est, nec translatio operis cuiusquam graeci haberi potest, cum S. Scripturas Antiqui Testamenti juxta versionem Pešitta, Evangelium vero juxta textum Tatiani alleget; doctrina quoque operis a placitis Evagrii toto caelo differt [1]. Haec etiam de Ioanne monacho Lycopolitano [2] dicenda sunt, cuius opera in pluribus codicibus Musei Britannici contenta ne levissimam quidem similitudinem cum Libro Graduum prae se ferunt.

4. Praeter Codices laudatos Libri Graduum in parvo quodam excerpto fit mentio, quod in Codice Musei Britannici Add. 17,193 fol. 3 servatum est. (Wright, *CBM* N. DCCCLXI, 5, pag. 989). Excerptum ideo imprimis attentionem nostram excitat, quia in rubrica eiusdem Libri Graduum auctor Eusebius monachus dicitur. Ex hoc nihilominus testimonio de Libri auctore absolute nihil deduci potest. Non solum ideo, quod Eusebii persona prorsus ignota est, sed etiam propterea, quod fragmentum non e L° G. haustum est, sed e scripto quodam alio, uti videtur exegetico, cuius auctor quasdam sententias L^i G. expilavit, et cui propterea excerptor, vel forte alius aliquis, totum Opus tamquam eiusdem auctori perperam adiudicavit. Ad probandam thesim sufficit apposito textui excerpti eiusque translationi verba L^i G. correspondentia opponere.

RUBRICA :

ܕܐܘܣܒܝܣ ܢܣܝܟܐ. ܡܢ ܟܬܒܐ ܕܟܬܝܒ ܠܗ ܕܡܣܩܬܐ. ܕܡܠܬܐ ܥܠ ܗܝ ܕܐܡܪ ܦܘܠܘܣ ܫܠܝܚܐ ܗܘ ܕܐܝܬ ܒܦܪܟܣܝܣ:
ܕܐܬܒܥܘܢ ܒܗܘܢ ܠܡܫܝܚܐ ܠܐܒܘܢܐ ܕܦܩܕܗ ܐ ܡܪܢܐ ܕܒܪܘܚ ܐܢܫܐ ܒܡܘܡܬܗ ܕܡܪܢ ܘܡܫܝܚܐ ܕܝ ܕܡܪܢ ܦܬܓܡܐ ܗܘ ܕܐܡܪ ܕܢܬܠܡܕ ܠܗ܀

[1] O. Zöckler, *Evagrius Pontikus* (*Biblische und kirchenhistoriche Studien*, viertes Heft). München, 1893, pag. 54-80.

[2] *The Lausiac History of Palladius*, by C. Butler. Cambridge, 1904, c. xxxv (Migne, c. XLIII) et vide notam *ib.* p. 212. Wright, *CBM*, p. 760 (Add. 17,172 fol. 164^a).

Textus :

ܡܢ ܕܐܘܣܒܝܣ ܝܚܝܕܝܐ ܦܢܩܝܬܗ ܘܡܢ ܡܐܡܪܗ ܡܢ ܡܫܘܚܬܐ ܕܕܪ̈ܓܐ ܘܡܢ ܐܝܟܢܐ ܕܟܬܒ ܦܘܠܘܣ ܥܠ ܗܘ ܕܙܢܝ ܒܩܘܪܢܬܘܣ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ:
ܫܠܡܘܗܝ ܠܣܛܢܐ ܠܚܒܠܐ ܕܦܓܪܗ ܕܒܪܘܚܐ ܢܚܐ ܒܝܘܡܗ ܕܡܪܢ. ܚܘܝ ܕܝܢ ܡܢܘ ܣܛܢܐ ܕܐܡܪ ܕܢܫܠܡܘܢܝܗܝ ܠܗ. ܘܠܐ ܟܡܐ
ܕܡܝܬ ܦܓܪܗ ܡܢ ܡܚܫܒ̈ܬܐ ܒܝ̈ܫܬܐ ܘܡܢ ܪ̈ܓܝܓܬܐ ܕܟܘܪ̈ܗܢܐ (fol. 3ᵇ) ܘܗܘܐ ܕܒܚܬܐ ܚܝܬܐ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ ܕܢܬܟܬܫ ܠܡܗܘܐ ܕܒܚܬܐ
ܚܝܬܐ. ܚܙܝ ܐܝܟܢܐ ܐܡܪ: ܩܛܘܠܘ ܦܓܪܝܟܘܢ ܟܕ ܚܝܝܢ ܐܢܬܘܢ ܒܨܘܡܐ ܘܒܨܠܘܬܐ ܘܒܟܦܪܢܐ ܕܢܦܫܐ ܘܠܐ ܬܚܘܣܘܢ
ܥܠ ܦܓܪܝܟܘܢ ܕܠܐ ܬܫܠܡܘܢ ܐܢܘܢ ܠܐܘܠܨܢܐ ܘܠܡܚܘܬܐ ܕܟܕ ܚܝܝܢ ܐܢܬܘܢ ܢܡܘܬܘܢ ܘܬܗܘܘܢ ܕܒܚܬܐ ܚܝܬܐ ܘܩܕܝܫܬܐ (Codex ܘܩܕܝܫܐ)
ܕܢܩܘܡ ܩܛܝܠܟܘܢ ܒܝܘܡܗ ܕܡܪܢ: ܡܕܡ ܕܩܛܝܠ ܓܝܪ ܕܒܚܬܐ ܡܬܩܪܐ ܚܢܢ ܕܝܢ ܟܕ ܚܝܝܢܢ ܕܩܛܝܠܝܢ ܚܢܢ:
ܡܬܩܪܝܢܢ ܕܒܚܬܐ ܚܝܬܐ. ܐܘܠܨܢܐ ܓܝܪ ܕܟܦܢܐ ܘܕܨܗܝܐ ܘܕܐܢܫ ܒܡܬܩܠܐ ܢܐܟܘܠ ܠܚܡܐ ܘܡܠܚܐ ܘܒܡܫܘܚܬܐ ܢܫܬܐ ܡܝܐ
ܘܢܙܕܩܦ ܩܕܡ ܠܚܡܐ ܘܡܝܐ ܘܠܐ ܢܣܒܥ ܒܕܡܘܬܐ ܕܐܟܠ ܚܙܩܝܐܝܠ ܘܐܫܬܝ ܒܡܫܘܚܬܐ ܘܒܡܬܩܠܐ ܘܐܬܐܠܨ
ܒܟܦܢܐ ܘܒܡܝܐ ܘܠܐ ܣܒܥ ܘܕܢܬܡܟܟ ܒܡܟܝܟܘܬܐ ܘܒܝܕܥܬܐ ܪܘܚܢܝܬܐ. ܗܠܝܢ ܐܢܘܢ ܓܝܪ ܢܓ̈ܕܐ ܕܒܣܪܐ ܘܒܗܠܝܢ ܐܘܠܨ̈ܢܐ
ܐܫܠܡ ܐܢܘܢ ܦܘܠܘܣ ܠܒܢ̈ܝܢܫܐ ܦܓܪ̈ܢܝܐ ܟܕ ܐܡܪ: ܕܫܠܡܬ ܐܢܘܢ ܠܣܛܢܐ. ܗܢܘ ܕܝܢ ܠܡܘܬܐ ܕܐܘܠܨܢܐ ܐܫܠܡ ܐܢܘܢ
ܕܒܪܘܚܐ ܢܚܘܢ. ܘܠܗܠܝܢ ܐܘܠܨ̈ܢܐ ܩܪܐ ܦܘܠܘܣ ܣܛܢܐ. ܐܡܬܝ ܕܝܢ ܕܐܢܫ ܡܫܬܠܡ ܠܣܛܢܐ ܒܠܥ ܠܗ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܗܘ
ܦܘܠܘܣ: ܕܐܢ ܐܝܬ ܠܗ ܒܥܠܕܒܒܐ ܠܐܢܫ ܕܡܬܟܫܠ ܒܚܛܝܬܐ ܒܠܥ ܠܗ ܣܛܢܐ. ܐܝܟܢܐ ܗܟܝܠ ܠܗܘ ܕܒܠܥ ܐܢܫܐ ܟܕ ܚܝܝܢ
ܡܫܠܡ ܗܘܐ ܦܘܠܘܣ ܐܢܫܐ ܕܢܚܘܢ ܒܪܘܚܐ ܚܣ. ܐܠܐ ܠܐܘܠܨܢܐ ܕܦܓܪܐ ܩܪܐ ܣܛܢܐ ܕܡܢ ܕܢܬܐܠܨ ܐܢܫ ܒܦܓܪܗ ܒܨܘܡܐ
ܣܓܝܐܐ ܘܒܨܠܘܬܐ ܣܓܝܐܬܐ ܘܒܡܟܝܟܘܬܐ ܣܓܝܐܬܐ ܚܝܐ ܒܪܘܚܐ ܘܡܙܕܕܩ܀

Eusebii monachi. E Libro, quem composuit, Graduum. Quidnam sit illud, quod scripsit Paulus de illo, qui fornicatus est Corinthi : *Tradite eum Satanae in perditionem corporis eius, ut spiritu vivat die Dñi*[1]? Ostendit autem, quis sit Satanas, cui eum tradendum esse dixit.

Qui ergo carnem suam mortificaverit a cogitationibus malis et cupiditatibus turpibus erroris, fiet sacrificium vivum, sicut scriptum est[2] : Certemus fieri hostia vivens. Vides quomodo dixerit : occidite corpora vestra, dum vivitis, ieuinio et oratione et abnegatione et ne parcatis, ait, corporibus vestris, quin tradatis ea angustiis et verberibus, ut vobis viventibus moriantur et fiatis hostia vivens et casta, ut occisum vestrum resurgat die Dñi. *Quod enim occisum est, hostia appellatur; nos vero viventes, quod sumus occisi, appellamur hostia vivens. Tribulatio enim famis et sitis et, ut quis cum pondere comedat panem et salem et cum mensura bibat aquam et crucifigatur coram pane et aqua nec satietur, iuxta similitudinem, qua comedit Ezechiel et bibit cum mensura et pondere et afflictus est fame et aqua nec satiatus est*[3]*, et ut atteratur humilitate et scientia spirituali : haec enim sunt flagella carnis* et hisce tribulationibus tradidit Paulus homines carnales dicens : Tradidi eos Satanae[4]; hoc est, morti tribulationis tradidit eos, ut spiritu viverent; et hasce tribulationes appellat Paulus Satanam. Ceteroquin, si quis traditur Satanae, devorat eum, sicut dixit Paulus : Si quis inimicos habet, qui delicto laborat, devorat eum Satanas[5]. Igitur quomodo ei, qui devorat homines vivos, tradidit Paulus homines, ut viverent spiritu? Absit, sed tribulationem carnis appellat Satanam, ut si quis afflixerit se corpore ieuinio multo et orationibus multis et humilitatibus multis, spiritu vivat et iustificetur.

In Libro Graduum ea, quae in textu Eusebii charactere italico impressa sunt, sic sonant[6] : *Obsecro vos fratres, per mansuetudinem et humilitatem Christi, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam et sanctam et acceptabilem per ministerium rationale*[7]*. Quod enim occisum est hostia appellatur, nam vivum non appellatur. Nos autem, quia viventes occisi sumus, appellamur hostia vivens. Tribulatio enim famis et sitis, et ut quis cum pondere comedat panem et salem et cum mensura bibat aquam nec satietur,*

[1] I Cor. v, 5. — [2] Rom. xii, 1. — [3] Ezech. iv, 10. — [4] I Timoth. i, 20.
[5] II Cor. ii, 11. Eusebius pro ܢܬܥܠܒ (πλεονεκτηθῶμεν) legit ܢܬܒܠܥ.
[6] Serm. XXIX, 4. — [7] Rom. xii, 1.

iuxta similitudinem, qua comedit Ezechiel et bibit cum pondere et mensura, nec satiatus est[1] *et, ut quis atteratur oratione et scientia*[2] *spiritali : haec sunt flagella morsque corporis.*

Eusebii excerptum ex parte tantum cum textu L^i Gr^um congruit, initium enim finisque eius in L^o Gr^um non reperiuntur. Sed excerptum Eusebii iam ideo nequit cum L^o Gr^um confundi, cum finis, quem prosequitur, longe alius sit. Eusebius nimirum verba S. Pauli I Cor. v, 5 et I Tim. I, 20 explicaturus L^o Gr^um sat inepte utitur. Etenim demonstraturus sententiam : *tradidi eum* (eos) *Satanae* idem esse, ac : « tradidi eos tribulationibus et mortificationibus sponte suscipiendis, ut spiritu salvi fierent » verba L^i Gr^um usurpat, quibus sensus ep. ad Rom. XII, 1 exponitur de *hostia viva,* quae sit caro nostra mortificatione attrita. Cum autem expositio L^i Gr^um circa Rom. XII, 1 versetur et cum I Cor. v, 4 nequaquam cohaereat, Eusebius verbis ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ inhaerens ope paraphraseos ineptae verborum : *hostia vivens* viam sibi parat ad allegandam expositionem locutionis eius in L^o Gr^um obviam, ex qua iterum probaturus erat *hostiâ vivâ* mortificationem carnis designari. Hic autem cogitationum nexus tam artificialis est, ut prioritas citati e L^o Gr^um allegati statim perspiciatur[3]. Eusebius monachus natione Syrus fuisse videtur; methodus enim eius exegetica innititur parallelismo inter verba ܕܪܘܚܗ ܬܚܘܢ (I Tim. I, 20) et ܕܪܘܚܗ ܬܚܐ (I Cor. v, 5) atque ܕܒܚܬܐ ܚܝܬܐ (Rom. XII, 1), Syris enim notiones *salutis* et *vitae* non differunt; iam vero tota exegesis Eusebii confusioni huic innititur. Ex ipso fragmento de persona eius nihil certi erui potest; excerptum eandem ascesim severam praedicat, quae etiam in L^o Gr^um commendatur. Eusebii cuiusdam, magistri Adelphii, Sabae, Dadô Hermetisque, quos haeresim Messalianorum suscitasse constat, meminit Agapius in *Historia universali* eumque secuti Michael Magnus in *Chronico* et Gregorius Barhebraeus; de hac autem re demum in fine Praefationis sermo erit. E Codicibus itaque nihil de auctore Libri compertum habemus, immo ratione habita antiquatis A et C, in quibus partes Operis sub nomine aliorum auctorum venditabantur, Syros iam saeculo VI nullam omnino certam traditionem de auctore L^i Gr^um habuisse censendum est.

5. Quamquam ipsa multitudo codicum Libri suadeat monachos Syros L^um G. diligenter legisse, singulare est viros, qui rei literariae inter Syros operam

[1] Ezech. IV, 10. — [2] Var. *lacrimis* ܒܕܡܥܐ [ܒܡܕܥܐ.

[3] Persimilem verborum I Cor. v, 4 interpretationem tribuit Tertullianus partibus Callisti (*De pudicitia*, cap. XIII) scribens : *Hic iam carnis interitum in officium paenitentiae interpretantur, quod videatur ieiuniis et sordibus et incuria omni et dedita opera malae tractationis carnem exterminando satis Deo facere : ut ex hoc argumententur fornicationem imo incestum illum non in perditionem Satanae ab Apostolo traditum, sed in emendationem, quasi postea veniam ob interitum, id est contradictionem carnis consecuturum, igitur et consecutum.*

dabant, prorsus de Libro nostro tacere. Vestigia eius aliqua demum apud ʿAbdîšôʿ episcopum Sobensem reperiuntur, in cuius Catalogo metrico haecce leguntur :

ܣܘܡܟܘܣ ܕܡܦܫܩܢܐ
ܒܦܘܫܩ ܕܘܝܕ ܥܗܕ ܠܗ :
ܐܝܬ ܠܗ ܟܬܒܐ ܕܚܕ ܡܢܗܘܢ
ܡܬܩܪܐ ܕܦܘܪܫ ܦܘܩܕܢܐ

I. e. : *Symmachus, cuius meminit* « *Commentator* » *in expositione Davidis, habet libros, quorum unus appellatur* « *De distinctione praeceptorum* » [1].

Ad mentem ergo Sobensis, Symmachus, Antiqui Testamenti interpres, a Theodoro Mopsuesteno in expositione Psalterii laudatus, auctor est libri, cui inscribitur : *De distinctione praeceptorum,* qui idem est ac Sermo XIX L[i] G. Sermo enim hic n. 38 (col. 520) eo nomine ab ipso Auctore appellatur et sexcenties probabilius est Sobensi huncce Sermonem apud Syros vulgatum praeluxisse, quam aliud aliquod opus, cuius secus nemo unquam mentionem fecit. Sobensis enim L[i] G. nullibi meminit, proinde haud eum nosse videtur excepto Sermone XIX, quem probabiliter sub nomine Symmachi legit. Uti enim in aliis codicibus quaedam partes Operis diversis auctoribus adscriptae ferebantur, idem probabiliter hoc in Sermone accidit, Symmacho tributo, licet rationem fingere, cur id evenerit, valde difficile sit.

CAPUT SECUNDUM

DE ARGUMENTO LIBRI GRADUUM

I. Operis titulus. — II. Analysis. — III. Compositio et dispositio.

1. Iam in Codicibus antiquissimis BDEZN operi titulus ܟܬܒܐ ܕܡܣܩܬܐ « Liber Graduum » inscribitur; de eius genuinitate igitur dubitari nequit. Ideam libri fundamentalem ipsa haec inscriptio insinuat. Vocabulum « Gradus » nimirum non id significat, quo sensu operi celeberrimo « Κλίμαξ » Ioannis Sinaitae praefigitur, sed proxime habitus diversos vivendi et agendi, quibus respondeat mensura essentialiter diversa unionis cum Deo ineundae. Auctor enim Operis homines in iustos et perfectos dividit, nomine iustorum cognominans eos, qui mundo non renunciarint et visionis Dei incapaces sint. Perfectos autem eos dicit, qui mundo et matrimonio et possidendis rebus terrenis valedixerint et accepto « Paraclito » ad visionem Dei immediatam admittendi sint, — ergo

[1] V. Assemani, *Bibliotheca Orientalis,* t. III. Romae, 1725, p. 17. Cf. Harnack, *Die Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius,* t. III. Leipzig, 1904, p. 167. Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Litteratur,* t. I. Freiburg i. Br., 1902, p. 349.

ad analogiam Gnosticorum sententiae, qui trifariam humani generis divisionem in hylicos, psychicos et pneumaticos contendebant.

Sermone XIX « gradus » opponuntur « semitis »; id est, *viae arduae,* qua « perfecti » ad caelestem patriam tendant, *semitae* faciles iustorum, qui mundo non renunciaverint. Hoc sensu Sermone XX tres imprimis « gradus » superatu difficiles statuuntur : humilitas erga omnes, paupertas, castitas cordis corporisque.

2. *Sermone primo* « distinctivo » auctor proponit thema operis sui : dari videlicet differentiam internam inter diversa legis divinae praecepta et scopum operis sui statuit : exponere et demonstrare diversa genera praeceptorum Dei.

Sermone secundo « praecepta magna » exponuntur, id est illa Dñi et Apostoli mandata, quorum obiectum sint tres praecipuae perfectionis virtutes : humilitas erga omnes, paupertas absoluta castitatesque et hasce exercentibus virtutes visio Dei promittitur.

Sermone tertio « de ministerio corporali et spirituali » disseritur. Pars prima (1-10) agit de diversis ministeriorum generibus : *de ministerio perfectorum,* seu spirituali, quod consistat in iugi oratione, ieiunio eleemosynisque spiritualibus, egentibus doctrina perfectionis dandis, et *de ministerio iustorum,* seu corporali, quod exerceant iusti, qui eleemosynas corporales debeant pauperibus; dein exponitur excellentia ministerii spiritualis prae ministerio corporali. Parte secunda (11-17) agitur de diversis gradibus unionis animae cum Deo; de « charismate maximo » seu Paraclito, quem perfecti tantum accipere queant, et de « commixtione spiritus » seu de gradu aliquo inferiore gratiae, quam etiam iusti, eleemosynarum largitores, participare possint. Exempla diversa charismatum proponuntur in Aarone et Maria, sorore eius, Moyse, Stephano, Tabitha.

Sermo quartus de « herba infirmorum » tractat. Infirmi dicuntur, qui putent se peccatis alienis coinquinari, et ideo visis aliis peccantibus eos condemnent et severe tractent. Definitur rectus correctionis fraternae modus et exponuntur effectus salutares mansuetudinis erga proximos.

Sermo quintus de « lacte infantium » agit. Infantes autem appellantur, qui cum peccatoribus commixti seducantur ab eis peccentque; tales igitur societatem peccatorum fugiant, ne ad malas eorum partes transeant. Monet autem Auctor, ne quis societate peccatorum fugienda eos ipsa hac fuga traducat. Multos enim peccatores conversos esse; ideo neminem condemnandum; hoc ipsum significare visionem Petri (Act. x, 12-16) de animalibus immundis; nec obstare, quod Dñs Apostolos pulverem pedum extergere et

peccatores vitare iusserit; hoc enim praeceptum tunc eos accepisse, cum adhuc scientiâ « infantes » essent.

Sermone sexto iugis profectus hominis in perfectione adumbratur. Similitudine aedificii et vasis aurei describitur is, qui accepto Paraclito cognoscat totam veritatem et fiat velut Adam die creationis et post iugem profectum perveniat ad Dei maiestatem facie ad faciem contemplandam.

Sermo septimus inscribitur « de praeceptis iustorum ». Exposita notione iustitiae agitur de diversis superstitionis generibus : de usu amuletorum, incantationum, curationum vanarum; dein de recta iustorum vivendi ratione disserit Auctor docens Dei voluntatem eam esse, ut quisque pro capacitate mensuraque sua bona operetur.

Sermo octavus de illa viri perfecti caritate agit, « qui omnia, quae habet, det pauperibus » et etiam pro inimicis oret suis. Hanc autem caritatem Auctor ipsi martyrum caritati anteponit, quippe qui nihil sint comparati cum protomartyre Stephano, pro inimicis suis orante.

Sermone nono de « iustis et de caritate iustorum » agitur. Nomine autem iustorum appellantur viri sancti Antiqui Foederis, qui perfectionem quidem sincere sectati sint, eam tamen consequi non potuerint « propter maceriam inimicitiae stantem inter Deum et homines » donec eam Christus perfoderit sanguine suo superos et inferos reconciliando. Ob hanc autem inimicitiam Deum iustos antiquos perfici non permisisse, immo quandoque iniustos reddidisse ipsis contra gentes missis, ut eis malefacerent et maledicerent. Quae omnia exemplo Abrahae et Eliae et Elisaei aliorumque prophetarum illustrantur. Hos quidem sanctos Dñum post resurrectionem suam perfecisse et in locum beatorum evexisse; cum autem hodie nemo post obitum suum perficiatur, neminem, qui adhuc vivus perfectionem consecutus non sit, post mortem ad visionem Dei admissum iri. In sanctis autem antiquis exemplum esse positum iustis hodiernis in usu bonorum saeculi constitutis, ut divitiis recte utentes salvi fiant, id est, ut saltem gradum aliquem aeternae beatitudinis inferiorem consequantur.

Sermone decimo docet Auctor diabolum tribulationes in bonos immittere, quos a bonis operibus deterreat, et agit « de utilitate, quam habeamus, dum bona operantes mala sustineamus » et de modo, quo Deus sanos per infirmos, divites per pauperes « tentet » beneficentiam cuiusque exploraturus.

Sermo undecimus in « auditione Scripturarum » exponenda versatur, qua scilicet ratione auditis in ecclesia Scripturis mandata « magna et parva », « mansueta et dura » distinguenda sint, quod et pluribus exemplis illustratur.

Sermone duodecimo argumentum Sermonis praecedentis longius prosequitur Auctor, agens « de ministerio occulto et manifesto Ecclesiae » docensque ministerium visibile et sacramenta visibilia Ecclesiae visibilis meram figuram esse Ecclesiae invisibilis « cordis et sublimitatis », in qua perfecti modo quodam invisibili et excellentiore baptizentur.

Sermo decimus tertius « de conversatione iustorum » agit, ceu, de officiis « iustorum » erga Deum et proximum, quae exemplis diversis illustrantur ex Antiquo Foedere haustis.

Sermo sequens, *decimus quartus* « de iustis et perfectis » tractans agendi rationem officiaque iustorum et perfectorum per singula comparat.

Sermo decimus quintus, cui inscribitur « de instinctu coitus in Adam », in tres dividi potest partes. Pars prima (1-9) agit de lapsu protoparentum et origine stimuli carnalis exponitque, qua ratione homines ope renunciationis a « malis cogitationibus » liberari possint. Parte secunda (10-15) disseritur de remuneratione et ultione divina et perpenditur quaestio de salute sanctorum Antiqui Foederis, qui post Christi resurrectionem in caelum evecti sint. Parte demum tertia (16-20) de gradibus diversis gratiae charismatumque disseritur.

Sermone decimo sexto Auctor quaestionem movet « de modo, quo quis maior fiat mandatis magnis » et ostendit perfectos etiam mandata magna excedere posse, si plus praestiterint, quam iubeantur, quod tunc fiat, si quis se ipsum « peccatum » declaret et omnes homines « meliores se aestimet ».

Sermone decimo septimo Auctor Dñum passione sua nobis exemplo fuisse ostendit, qua scilicet ratione inimicos diligamus; et Salvatorem compati nobis, si persecutiones inimicorum patienter ferentes pro ipsis oremus.

Sermo decimus octavus agit « de lacrimis orationis » seu dolore de peccatis commissis et gaudio de gratia Dei recuperata, quando quis devicto peccato interno gratiae Dei compos fiat. Ostenditur et modus, quo peccatum internum post multas orationes lacrimasque e corde evelli possit.

Sermo decimus nonus in « expositione viae perfectae » versatur. Parte prima (1-8) mandata « magna » viae rectae assimilantur, quae cito quidem, sed molestissime in civitatem Dñi ferant. Cum igitur via haec ardua nimis sit, Dñum et Apostolos imbecillibus « semitas » ad latus viae currentes ostendisse, quae in civitatem Dñi non ferant quidem, sed currentes in eis saltem ab interitu aeterno liberent. Parte secunda (9-33) practice per singula ostenditur, quaenam Dñi et Apostoli praecepta « viae » sint et quaenam « semitae ». Parte tertia (34-40) suadet « semitas » seu mandata parva a Dño et Apostolis

parvulorum causa stratas esse, ut infirmi et infantes in illis semitis currentes paulatim crescant et confortati viam perfectorum ineant, cum incedentes in « semitis » perfecte salvari non possint.

Exposita differentia inter « vias » et « semitas » *Sermone vigesimo* « de gradibus arduis » in civitatem Dñi ferentibus disseritur. Tres autem gradus imprimis superatu difficiles Auctor prima sermonis parte (1-7) asserit : inimicos reconciliare, rebus terrenis valedicere, caste vivere. Ostendit, qua ratione ad hos gradus « arduos » ope orationis, humilitatis ieiuniique ascendatur et « peccatum internum e corde evellatur » quo remoto apparere Paraclitum et perfectum reddere hominem. Parte secunda (8-12) vitam Dñi imitandam proponit, qui omnes hos percurerit gradus nos docturus, qua ratione « peccatum internum » e cordibus nostris removeamus. Demum parte tertia (13-17) ad mandata observanda hortatur et Dñum cum lacrimis obsecrandum, ut orando Paraclitum accipere et Dñum « facie ad faciem » videre possis. Hunc sensum etiam parabolae tribuit de veste nuptiali (Matth. XXII, 10 sqq.).

Sermone vigesimo primo lapsus protoparentum exponitur, qui Satanae obedierint et se rebus terrenis immiscuerint. Ostenditur, qua ratione liberari possint homines a morte, quam gustaverit Adam, ut in statum naturae primae sanctae restituantur. Descriptis peccati primi effectibus funestis humilitas Salvatoris opponitur superbiae Adae ; humiles enim respicere Deum, ut olim respexerit Moysem, Noe, Job, Apostolos Mariamque, matrem Dñi. Demum enumeratis sequelis Adae peccati diversis misericordia divina celebratur, quae hominibus usum rerum terrestrium permiserit, ut saltem a paenis aeternis liberarentur.

Sermone vigesimo secundo explicatur notio « iudiciorum, quibus nemo vivat, qui ea observet » ceu illa Legis antiquae praecepta, quae vindictam de malefactis repetendam permittunt et ad ius talionis spectant iuxta regulam : « oculum pro oculo ». Auctor leges has ad mala maiora praecavenda latas esse contendit et eas, quippe quae iustitiae contrariae sint, in Novo Foedere abrogatas esse docet et solum Decalogum admittit, quem et Salvator in Legem Novam receperit.

Sermone vigesimo tertio sermo est « de Satana et Pharaone et filiis Israel » exemplis obdurationis; ostenditur Deum non fuisse causam immediatam, cur isti obdurati sint; peccatores quippe Dei longanimitate extolli et Deo resistere, uti Satanam et Pharaonem et Iudaeos.

Sermo vigesimus quartus « de paenitentia » agens impugnat lapsis post baptismum paenitentiam denegantes (1-2); dein disserit de gradibus gravitatis

peccatorum et de remuneratione bonorum operum pro gradibus bonitatis diversa (3-6).

Sermo vigesimus quintus contra illos « solitarios » dirigitur, qui ad perfectionem sincere quidem tendere velint, sed a Diabolo decepti opera misericordiae corporalia exerceant, hortos plantent aedesque sibi construant, ubi pauperes et peregrinos recipere possint. Ostenditur eiusmodi « solitarios » perfici non posse, quoad rebus terrae non renuncient, et expenduntur pericula ipsius iustitiae amittendae, quae possessio bonorum et largitio eleemosynarum necessario involvant.

Sermone vigesimo sexto describitur « lex secunda quam posuerit Dominus Adae » postquam lapsus esset, permittendo ei usum rerum terrae iustum; quam legem usque ad adventum Christi durasse, qui innovata lege prima Adae posita (ceu lege perfectionis) legem primam fecerit novissimam et novissimam fecerit primam.

Sermo vigesimus septimus alludit ad tumultuosos « perfectorum » motus, qui relicta domo paterna sub praetextu « perfectionis » quaerendae absque ullo fine rationali vagari coeperint. Auctor reprobat praeposterum ingressum, quam dicit, viae perfectionis, et iis, qui relicta domo paterna se alicui « magistro perfectionis » docendos tradere velint, suadet, ut prius viam Dñi et humilitatem discant; carpit fastum nonnullorum « perfectionis discipulorum » qui sine solido virtutis fundamento parentes deserant et orationis nescii pecorum more vagentur.

Sermone vigesimo octavo « animam humanam non esse sanguinem » contendit reprobata sententia eorum, qui tres hominis partes, corpus, animam, spiritum statuant. Reiecta differentia inter animam et spiritum, hominem in « trinitate » constitui tunc solum admittit, ubi quis perfectione consecuta « Paraclitum » acceperit (1-2). Reliqua sermonis pars de gradibus perfectionis tractat et breviter repetit ea, quae Sermone VII (nn. 5-10) fusius exposita sunt.

Sermo vigesimus nonus « de castigatione corporis » agit et demonstrat necessitatem mortificationis ad perfectionem consequendam ob naturam corruptam humanam, quae nisu quodam insatiabili ad delectationem declinet et delectabunda obliviscatur legis Dei. Describuntur genera delectationum, obdurationum, mortificationum et reprobato ieiunio pharisaico sincerum ieiunii genus statuitur a « solitariis » observandum.

Sermone trigesimo « de praeceptis fidei et caritatis solitariorum » agitur. Auctor contendit praecepta fidei minora esse, quam caritatis, unde infert discipulos caritatis maiores esse, quam fidei, et comparat mutuam eorum

agendi rationem. Carpit « discipulos fidei » quod « discipulis caritatis », inimici sint eosque dure persequantur; demonstrat, quanto maiores sint martyres perfectionis inimicos homicidasque suos diligentes discipulis martyribusque fidei, qui osores et persecutores suos diligere et pro ipsis orare nolint. Hortatur « discipulos caritatis » ut magistro perfectionis sibi electo obedientiam praestent et post digressionem dogmaticam, qua Christum primogenitum esse perfectorum statuit, doctrinam suam circa discrimen inter iustos et perfectos novis argumentis commendat.

Index Sermonum Libri in Codice α servatus unum et triginta Sermones numerat et ultimum sermonem (sc. XXXI) in codice primo loco positum esse dicit. Sicut iam supra dictum est [1] Codex α prologi instar re vera eum Sermonem integrum exhibet (qui etiam in Codice β in compendium redactus invenitur), ubi Auctor doctrinam suam e fontibus probatis haustam esse defendit; Codex R triginta duntaxat Sermones numerat ultimoque (in α XXXI) Serm. XXX claudit. Hinc explicatur, cur ea Sermonis pars, Praefationis instar Operi in α et β praemissa, titulo careat.

3. Pauca adhuc de *compositione et dispositione totius Operis* dicenda sunt. — Sermo quidem primus ita incipit, ac si Auctor materiam Libri ordine logico disponere et per singula ad amussim pertractare velit. Thema enim operis sui : dari videlicet differentiam internam inter diversa divinae legis praecepta rite proponit et partitionem eius haud inepte assignat, nihilominus rerum considerandarum filum cito perdidisse videtur.

Spectatis rebus modoque, quo Auctor doctrinam suam proponit, totum Opus in duas partes inaequales dividi potest. *Prima,* unum et viginti Sermones priores complectens, *didactica, altera,* minor Sermonum pars, vero *polemica* est; intra ambitum divisionis huius certum aliquem et consequentem idearum ordinem statuere vix possibile est. Sermo secundus et sextus de *perfectis* agunt, tres intermedii de illa imbecillitate animi et mentis hebetudine disserunt, quibus *iusti* obnoxii sint. Sermo septimus et nonus *officia iustorum* describunt : prior leges iustitiae exponit, posterior rem exemplis ex Antiquo Foedere haustis illustrat. Sermone octavo et decimo *virtutes* heroicae *perfectionis* celebrantur. Sermones duo sequentes intime cohaerent; decimus primus *inferioritatem moralem Antiqui Foederis* urget et praecepta Legis dura a mansuetis distinguit, duodecimus vicissim simili prorsus ratione *internum valorem ministerii* visibilis *Ecclesiae* pensat et illud meram figuram ministerii caelestis perfectorum statuit. Simili modo cohaerent Sermones subsequentes (XIII et XIV) de *iustis* et *perfectis* tractantes, quibus agendi ratio

[1] Vide descriptionem Codicis α p. 1.

eorum per singula comparatur. Sermo decimus quintus ordinem rerum omnino perturbare videtur; Auctor enim repente de *lapsu protoparentum* disserere incipit. Attamen re accuratius considerata Sermo hic non sine causa suo loco positus esse invenitur; Auctor etenim novum momentum dogmaticum speculationi suae asceticae invecturus de *peccato originali* — ex eius mente concupiscentiâ — ideo agit, ut in Sermonibus quinque subsequentibus ultimum scopum perfectionis proponere possit : *exstirpationem* videlicet *concupiscentiae,* qua e corde hominis deleta accipiatur Paraclitus, quod fusius imprimis Sermone vigesimo exponitur. Pars didactica operis desinit Sermone vigesimo primo, qui sententias Sermone decimo quinto pertractatas ulterius evolvit.

Pars altera, polemica, incipit Sermone vigesimo secundo, quo *potestas vindicativa* auctoritatis civilis tamquam iustitiae contraria impugnatur; postea eos impetit, qui aliquibus Scripturae locis innixi, ubi peccatores a Deo obdurari dicantur, peccati auctorem Deum ipsum esse contendant. Sermone vigesimo quarto *Catharos* vel alios huius farinae haereticos agreditur, lapsis post baptismum poenitentiam denegantes; dein reprobat agendi rationem quorundam « solitariorum », qui perfectionem quidem sincere quaerant, attamen simul etiam *operibus corporalibus caritatis* operam dare velint. Cui Sermoni adiicitur dissertatio *de lege secunda,* quam Deus Adae post lapsum posuerit. Apparenter quidem Sermo iste reliquos, polemicos, perturbare videtur; reapse autem intime cum praecedente cohaeret : Auctor enim sententias suas de operibus caritatis corporalibus perfectioni contrariis novo argumento dogmatico firmaturus ad legem illam fictam provocat, quae probet neminem esse perfectum, qui saeculo non renunciaverit. *Sermo vigesimus septimus* et *octavus* pariter polemici sunt; prior falsos perfectionis discipulos vellicat, posterior illorum reprobat opinionem, qui hominem trichotomistice e corpore, anima spirituque constare putent. Sermo paenultimus specietenus pacificus est, acie tamen polemica non caret, nam contra illos dirigi videtur, qui *necessitatem mortificationis* ad salutem consequendam *negant* et ad quosdam Scripturae locos appellando *ieiunium reprobent. Ultimus* demum *Sermo* quandoque plane bilosus est. Auctor « discipulis fidei » scelera diversa obiicit nec haesitat ipsa martyrii merita, dilectione inimicorum expertis, in dubium vocare.

CAPUT TERTIUM

DE DOCTRINA LIBRI GRADUUM

I. DOCTRINA L[i] G. DE DEO UNO AC TRINO. — II. DE CREATIONE ET CREATURIS. — III. DE HOMINE. — IV. DE REDEMPTIONE. — V. DE ECCLESIA ET SACRAMENTIS. — VI. DE REBUS NOVISSIMIS. — VII. DE OFFICIIS IUSTORUM AC PERFECTORUM.

Iam ex argumento succincto Libri Graduum, quod capite praecedente proposuimus, colligitur Opus laudatum ad libros dogmaticos non pertinere. E contrario : auctor Libri, quicunque fuerit, in Opere exarando finem eminenter practicum sibi proposuit : exhortari nimirum lectores ad sectandam, quam dicit, « viam perfectionis » ceu institutum vitae asceticum, vel potius apotacticum. Licet vero ipsa ratio, cur ex mente Auctoris ea vivendi ratio apotactica amplectenda sit, in certo quodam systemate theologico et sat consequenter concinnato fundetur, Auctor theologumena sua ex professo nullibi exponit et postulata theoretica doctrinae suae asceticae occasione data, passim atque sine manifesto systemate explicat. Indoles enim totius operis non tam didactica, quam potius homiletica est; lectores veluti orator ex ambone alloquitur, eosque persaepe « fratres » et « sorores » appellat; neque novam doctrinam proponere intendit, sed audientium animos oratoria declamatione excitare satagit ad renunciandum mundo saecularibusque deliciis et ad amplectandam vitae rationem apotacticam, quam toto Opere incessanter commendat. Liber scatet repetitionibus otiosis, quae in opere systematico forte intolerabiles censebuntur, dum in eiusmodi collectione homiliarum, ex quibus L. Gr. quoque constat, facile excusantur, nec tantopere taediosae sunt. Ambitu operis sat amplo non obstante, tantum doctrinam Auctoris practicam inde liquido perspicies; praemissas theoreticas doctrinae Libri asceticae investigare et explorare iam multo difficilius est. Hae etenim in singulari quodam syncretismo religioso ex elementis disparatis conflato fundantur, quorum originem mutuamque necessitudinem definire non ubique facile est.

I

DOCTRINA LIBRI GRADUUM DE DEO UNO AC TRINO.

1. Natura Dei, — 2. attributa. — 3. Errores Sabelliani in L° G.; — 4. eius termini technici trinitarii eorumque necessitudo ad doctrinam Ecclesiae syriacae.

1. De *natura Dei* L. Gr. nullibi disserit. Mentem Auctoris circa notionem Dei e cognomine ܐܡܝܢ Deo bis imposito assequi possumus. Utrobique Deum,

quippe qui sit ܐܝܬܝܐ « Ens » et careat lege, nec cuiquam subiectus sit, opponit homini, creaturae Dei, cui propterea nequaquam liceat Deum imitari malos punientem : *noli,* inquit, *Deum imitari, quia non es* ܐܝܬܝܐ [1] et *benefac bonis et malefac malis, postquam* ܐܝܬܝܐ *factus es* [2]. Apud Syros ܐܝܬܝܐ sensu orthodoxo designat divinam substantiam increatam, « *Ens* » κατ' ἐξοχήν [3]; sensu heterodoxo teste S. Ephraemo *Aeones* [4].

2. De attributis divinis L. G. passim haecce docet : Deus ubique praesens est, manifeste tamen se in sola ecclesia caelesti videndum exhibet [5]. Dominus ܡܪܐ est Deus in caelo et in terra [6]; vitam hominis sua disponit providentia [7]; longanimis est; paenitentiam peccatorum expectat [8]; irreprehensibilis in omnibus operibus suis [9]; eius bonitas tanta est, quam dignis encomiis celebrare nemo possit [10]. Hucusque igitur recte de Deo sentit. Singularis est autem Operis doctrina de iustitia Dei. Ad mentem Nostri nimirum post Adae peccatum inimicitia orta est inter Deum et humanum genus ob Adae praevaricationem [11], cum homines Deum confiteri noluissent [12]; quapropter ante Christi

[1] Serm. XVI, 7. — [2] Serm. XXII, 3.

[3] Teste Arriano Nicomediensi iam Epictetus vocabulo Αἰών notionem dei subiecit *Enchir.* II, 5, 13. Ed. Dübner, Parisiis, 1840, pag. 85) et exposita necessitate mortis docebat philosophi esse mortis periculum intrepide subire nec Deum accusare : οὐ γάρ εἰμι αἰὼν ἀλλ' ἄνθρωπος μέρος τῶν πάντων ὡς ὥρα ἡμέρας. In *Theophania* syriaca Eusebii, uti alii loci paralleli docent, ܐܝܬܝܐ = ἀγέννητος; v. gr. I, 5 (Ed. Lee, Londini, 1842, pag. 3) ܗܘ ܒܠܚܘܕ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܐܝܬܝܐ correspondet loco parallelo in opere *De laudibus Constantini* c. 11 (Migne, *P. Gr.* t. XX, col. 1381) verbis : ὁ μὲν γὰρ ἦν ἀγέννητος; et *ib.* ܐܝܬܝܐ ܕܟܝܢܐ = φύσις ἀγέννητος. Novit eum terminum Aphraates quoque, apud quem occurrit phrasis : ܐܝܬܝܐ ܕܢܦܫܗ (*Dem.* XXIII, 52. *P. S.* II, col. 100_{18}); eam invenies in translatione syriaca Theophaniae V, 3 (ed. Lee, pag. 175_{9}), ubi docente loco parallelo *Dem. Ev.* III, 3, 6 (Ed. Gaisford I, 232) versiculus ex Porphyrio (? cf. Pseudoiustini *Coh.* XI) allegatus :

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον· ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς

syriace redditur verbis : ܠܟܠܕܝܐ ܒܠܚܘܕܝܗܘܢ ܚܟܡܬܐ ܡܛܬ ܘܥܒܪܝܐ
ܠܐܠܗܐ ܡܠܟܐ ܕܟܠ ܐܝܬܝܐ ܕܢܦܫܗ ܕܟܝܐܝܬ ܡܣܓܕܝܢ

Ad solos Chaldaeos sapientia pervenit et Hebraei
Deum, omnium regem, Itya animae suae (i. e. αὐτογένεθλον) *caste adorant.*

[4] S. Ephraem Bardesanem accusat, quod ܐܝܬܝܐ plurima introduxerit, *Ed. opp. S. Ephraemi syr. lat.* Romae. 1732, t. II, pag. 443 E, 554 B, 556 D; aliter F. Nau, *Patr. Syr.* t. II, 501 sqq.

[5] Serm. XII, 7. — [6] Serm. IX, 2. — [7] Serm. VII, 6, 10. — [8] Serm. VII, 4, 13; XXIV, 1. — [9] Serm. XXII, 7.

[10] Serm. XVI, 11. — [11] Serm. II, 5, 4; IX, 2, VI, 7, 12; XV, 12; XXII, 7.

[12] Serm. IX, 5, 12, 13.

adventum Deus missis a se prophetis gentes iniquas sibi resistentes punire solebat eaque ratione prophetas non solum a perfectione arcebat[1], sed et iniustos reddidit, cum nemo iustus sit, qui alii malum inferat[2]. Hanc porro inimicitiam inter Deum et homines ob Adae peccatum stantem iuxta verba S. Pauli[3] Christus abrogavit perfossa eius maceria sanguine crucis suae superos inferosque reconciliando[4].

Haec Auctoris sententia ad duos fontes disparatos reducitur. Quae de maceria inimicitiae a Christo perfossae docet, absque dubio ex Epistola S. Pauli ad Eph. II, 14 hausit. Cum autem Auctor momentum soteriologicum passionis Christi, uti suo loco ostendetur, non solum extenuet, sed et aperte neget, ratio ex Ep. ad Eph. II, 14 ad explicandam Dei cum hominibus reconciliationem petita insufficiens deprehenditur. Sententia Nostri plane blasphema, quod Deus prophetas missis eis punitum gentes se confiteri nolentes iniustos reddiderit, potius cum falsa, quam docet, iustitiae notione[5] cohaeret, prorsus gnostica, quam cum bonitate Dei ea ratione conciliare studebat, ut iustitiam vindicativam tamquam attributum divinum ad Antiquum Testament tum restringeret, quasi Deus, olim « iustus » id est, inimicos suos puniens post adventum Christi factus esset bonus. Attributum igitur iustitiae olim a Gnosticis Demiurgo adscriptum Noster uni eidemque subiecto divino tribuit iustitiam Dei ante, bonitatem post Christum in divino regimine praevaluisse docens[6].

3. Modo doctrina L[i] G[um] de *Deo trino et de hypostasibus divinis* consideranda est. — Auctor non solum mentionem facit trium personarum divinarum, sed nomen etiam Trinitatis novit. *Iusti,* inquit, *adorant Dominum eiusque Filium et Spiritum eius sanctum*[7]. — Orandum est pro omnibus hominibus, *ut vivant et glorificent Patrem et Filium et Spiritum S., perfectam Trinitatem* (ܬܠܝܬܝܘܬܐ ܡܫܡܠܝܬܐ[8]). — *Gloria Patri et Filio et Spiritui S. Trinitati indivisae* (ܬܠܝܬܝܘܬܐ ܠܐ ܦܠܝܓܐ) *in saecula saeculorum*[9]. — *Nomen Jesu est nomen illud, per quod voluit Trinitas sanari dolores et plagas Adae*[10].

[1] Serm. VII, 1; IX, 1 sq.; XIII, 8. — [2] Serm. IX, 3; XXII, 6-12.

[3] Eph. II, 14; cf. Col. I, 20. — [4] Serm. II, VI, 4; IX, 1, 6, 12, 13, 15; XV, 12; XXII, 7.

[5] De qua v. infra n. 36.

[6] Iam Florinus eiusmodi difficultatibus dogmaticis irretitus esse videtur, uti inscriptio epistolae a S. Irenaeo ad ipsum missae innuit : περὶ μοναρχίας ἢ περὶ τοῦ μὴ εἶναι τὸν θεὸν ποιητὴν κακῶν (citatur apud Eusebium, *Hist. Eccl.* V, xx, 1). Cf. Philastrii *Haer.* LXXIX (Migne, *P. L.* XII, col. 1189) verba, qui reiecta Colluthianorum sententia, *Dominum malorum non esse factorem* contendentium, erroris arguit *alterius cuiusdam* opinionem *Dominum malorum esse factorem,* forte Florini, sicut Fabricius putat. Cf. Hilgenfeld, *Ketzergeschichte d. Urchristenthums*, Leipzig, 1884, p. 447 sq. — [7] Serm. XIII, 3.

[8] Serm. XVI, 10. — [9] Serm. XX, 15. — [10] Serm. XXIX, 19.

Primo obtutu citata allata doctrinam Auctoris de mysterio SS. Trinitatis theologice valde excultam fuisse suadent, praecipue si perpendas, Aphraatem anno adhuc 345, quando ultimam Demonstrationem « De Acino » exaravit, nomen « Trinitatis » (ܬܠܝܬܝܘܬܐ) in sensu illo technico, quo Deum triunum significat, ignorasse[1]. Immo Auctor formulam fidei allegare videtur dicens *Dñum*, quem *primogenitum totius creaturae* appellat, *fuisse eumque exstitisse inde a momento, quo Pater eius fuerat, ab aeterno et in saeculum*[2], quae verba positive proponunt doctrinam Ecclesiae, cui contraria in synodo Nicaena damnata est definitione : τοὺς δὲ λέγοντας· ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν..... τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία[3].

Tota nihilominus quaestio haud tam plana est, sicut primo intuitu apparet. Quamquam enim doxologiae citatae speciem plane orthodoxam prae se ferunt, Auctor aliquoties doctrinam Ecclesiae circa mysterium SS. Trinitatis modo Sabelliano exponere videtur. *Prophetae enim*, ait, *et iusti omnes salvari et perfici poterant per Spiritum vivum et sanctum, qui est Dominus* (ܪܘܚܐ ܚܝܬܐ ܘܩܕܝܫܬܐ ܕܐܝܬܘܗ ܡܪܝܐ[4]). Dominus igitur (ܡܪܝܐ) idem est ex mente Auctoris, ac Spiritus S.[5]. Loco vero superius allegato, ubi de nomine Iesu egit, per quod voluerit Trinitas salvari plagas Adae, subdit : *Hoc* (sc. nomen Iesu) *est enim arbor vitae horti Eden, qua* (subintellige : arbore) *reviviscunt homines ex morte, quae arbor est Spiritus vivificans*[6]; igitur nomen Iesu = arbor vitae = Spiritus S. Quod vero res reapse ita se habet, e Sermone XXVI ostenditur, ubi *Dominus* (ܡܪܝܐ i. e. prima persona divina) promittit incarnationem suam et se legem novam daturum esse hominibus et perfectionem eis demonstraturum pollicetur[7]. Auctor praeterea aliquoties citata ex Antiquo Testamento petita, ubi de Domino ܡܪܝܐ agitur, sine haesitatione ad Dñum ܡܪܢ applicat[8], quod in ea tantum suppositione

[1] *P. S.* II, 134 ܐܦ ܫܪܝܪܝܢ ܠܟ ܗܠܝܢ ܫܡܗܐ ܪܘܪܒܐ ܘܡܫܒܚܐ ܬܠܬܐ ܕܐܬܕܟܪܘ ܥܠ ܪܫܟ : ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܟܕ ܩܒܠܬ ܪܘܫܡܐ ܕܚܝܝܟ *Certe veracia sunt tibi magna illa et gloriosa tria nomina, quae commemorata sunt super caput tuum: Pater et Filius et Spiritus S., quando signum salutis tuae acceperas.* Iam vero multo aptius dixisset : veracem habes SS. Trinitatem... Sed neque hic, neque alibi vocabulum ܬܠܝܬܝܘܬܐ in sensu Dei triuni in scriptis Aphraatis reperies.

[2] Serm. XXX, 4.

[3] Denzinger, *Enchiridion symbolorum et definitionum,* Ed. VI. Wirceburgi, 1888, pag. 9. — [4] Serm. IX, 1.

[5] Cf. Serm. XXVIII, 5 : *Spiritus S. qui est Dominus* ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܐܝܬܘܗ ܡܪܝܐ. Adverte ܪܘܚܐ ubique *gen. fem.* esse! Apud Syros posteriores, quando ܪܘܚܐ tertiam personam SS. Trinitatis designat, *gen. masc.* est, absque dubio propterea, ut hac ratione subsistentiam Sp. S. personalem urgerent. — [6] Serm. XXIX, 19.

[7] Usus loquendi similis in parte secunda *Testamenti Adae* quoque reperitur. Cf. *P. S.* II, col. 1339 sqq. Errores autem dogmatici, qui in L. Gr. aperte ad lucem prodeunt, in Testamento Adae oblitterati sunt, quamquam improbabile non est utrumque textum e fonte communi promanasse.

[8] Cf. Serm. XX, 10 sq. Notabile imprimis est, quanam ratione Auctor demonstrare

fundatur, ܡܪܝܐ, ceu primam personam divinam, a ܡܪܢ, id est, a secunda persona divina nihil differre. Hac de re Auctor aperte unica tantum vice loquitur : Serm. XX, 12 ait Dñum et Patrem in invicem esse et unum esse et Spiritum S. eis inesse[1]. Per se quidem verba haec etiam sensum orthodoxum admittunt et de περιχωρήσει, ceu circumsessione personarum divinarum intelligi possunt. Attamen res vix tam plana est, uti primo obtutu videtur. Serm. IX, 15 enim dicit Deum humano generi reconciliatum esse, *quia Dñs* (ܡܪܢ, id est, Christus) *in creatura annunciatur, quae aut Patrem confitetur, aut Filium confitetur, aut Spiritum S., quamquam non omnes puri sint fide*[2]. Iam vero particula ܐܘ, qua trium personarum nomina loco laudato disiunguntur, in sensu obvio omnes disiunctionis partes eiusdem potentiae esse innuit, vel aliis verbis : ad idem redire, sive Pater, sive Filius, sive Spiritus S. sint obiectum confessionis seu fidei, uti docet contextus.

Nexum doctrinae trinitariae L[i] Gr. cum haeresi Sabelliana duo imprimis suadent. Teste nimirum S. Epiphanio Sabelliani argumenta doctrinae suae e quibusdam apocryphis, imprimis vero ex Evangelio, quod dicitur « secundum Aegyptios » hauserunt[3]. L. Gr. Serm. XXVI documentum aliquod spurium allegat, cum Testamento Adae syriaco affine, ubi ideas Sabellianas deprehendimus. Notabile porro est L. Gr. Sermone XXIX, 19 sensu omnino Sabelliano uti vocabulo *trinitatis* ܬܠܝܬܝܘܬܐ, sicuti hoc idem refert Epiphanius de grege Sabellianorum, qui ipso teste Patrem et Filium et Spiritum S. unum atque eundem esse docuerunt, perinde atque in uno homine corpus et anima et spiritus inest, ita ut corporis instar sit Pater, animae Filius, Spiritus denique in ipsa divinitate humani spiritus instar habeatur[4]. Liber vicissim Graduum l. c. docet hominem accepto Paraclito ex tribus constare partibus : sc. corpore,

velit juxta verba Ps. xcviii, 1. Dñum adiutore non indiguisse. — V. etiam Serm. XXII, 7, 9, 10, 12; XXIII, 11.

[1] ܘܐܬܚܙܝ (sc. Dñs) ܕܗܘ ܡܫܬܟܚ. ܚܕ ܥܡ ܐܒܘܗܝ ܘܥܡ ܐܒܘܗܝ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܒܗܘܢ. Auctor posterior litium christologicarum tempore vix ausus esset scribere Dñum unum (i. e. unam personam esse) cum Patre esse, uti ܚܕ innuit, sed ܚܕܐ (i. e. unam naturam, unam rem) scripsisset. Re vera in codice α ܥܡ ܐܒܘܗܝ deest; scriba ad salvandam assertionis orthodoxiam verba ea omisisse videtur.

[2] ܐܬܪܥܝ ܥܡܗ ܕܒܪܢܫܐ ܡܛܠ ܕܡܪܢ ܡܬܟܪܙ ܒܒܪܝܬܐ ܕܡܘܕܝܐ ܠܐܒܐ ܐܘ ܕܡܘܕܝܐ ܠܒܪܐ ܐܘ ܠܪܘܚܐ ܘܠܐ ܟܠܗܘܢ ܐܢܫܝܢ : ܐܠܐ ܠܐ ܐܡܪܢܢ ܐܢܫ ܕܟܝܢ ܒܗܝܡܢܘܬܐ ܕܡܪܢ. ܡܫܬܟܚ ܗܢܐ ܐܡܪܢܢ ܠܗ ܡܢ ܕܡܬܠ ܐܝܟ ܕܒܗ ܒܐܠܗܘܬܐ ܕܡܬܚܙܝܢ ܐܢܐ ܟܠ ܐܢܫܐ ܘܡܪܝܐ.
Dolendum est textum hunc in unico codice α exstare, qui hoc loco vix caret mendis; saltem verba ܘܠܐ ܟܠܗܘܢ ... ܐܢܫܝܢ sat obscura sunt, perinde ac si ante ܐܢܫܝܢ aliquid exciderit.

[3] *Haer.* LXXII, 2 : Τὴν δὲ πᾶσαν αὐτῶν πλάνην καὶ τῆς πλάνης αὐτῶν δύναμιν ἔχουσιν ἐξ ἀποκρύφων τινῶν, μάλιστα δὲ ἀπὸ τοῦ καλουμένου Αἰγυπτίων Εὐαγγελίου, ᾧ τινες τὸ ὄνομα ἐπέθεντο τοῦτο.

[4] *Haer.* LXII, 1 : Δογματίζει γὰρ οὗτος (scilicet Sabellius) καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ Σαβελλιανοί, τὸν αὐτὸν εἶναι Πατέρα τὸν αὐτὸν Υἱόν, τὸν αὐτὸν εἶναι ἅγιον πνεῦμα· ὡς εἶναι ἐν μιᾷ ὑποστάσει τρεῖς ὀνομασίας, ἢ ὡς ἐν ἀνθρώπῳ σῶμα καὶ ψυχὴ καὶ πνεῦμα. Καὶ εἶναι μὲν τὸ σῶμα ὡς εἰπεῖν τὸν Πατέρα, ψυχὴν δὲ ὡς εἰπεῖν τὸν Υἱόν, τὸ Πνεῦμα δὲ ὡς ἀνθρώπου, οὕτως καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐν τῇ θεότητι.

anima spirituque, qua ratione perfectione adepta in *trinitate* ܬܠܝܬܝܘܬܐ con-stitui. Auctor igitur terminis theologicis Sabellianorum utitur, quod consideratis locis reliquis errores Sabellianorum spirantibus vix casu caeco evenisse videtur; loci enim superius laudati optime explicantur, si Auctor personas SS. Trinitatis mera πρόσωπα eiusdem naturae divinae unicae concepit semet modo diverso manifestantis, subsistentia tamen personali carentia, uti Sabellianos docuisse abunde constat[1].

Sed aliae quoque rationes suadent L. G^um errores Sabellianos docere.

Teste nimirum S. Epiphanio constat haeresim Sabellianam multos asseclas in Mesopotamia numerasse[2], utique inter Syros, qui eo tempore soli ibidem christianismo addicti erant. Maioris adhuc momenti est testimonium Maruthae, episcopi Mayphercatensis, qui, ut fertur, canones Concilii Nicaeni in linguam syriacam transtulit et eisdem brevem praefationem praemisit, quae praeter nomina episcoporum, qui in Synodo Nicaena aderant, et historiam rei monasticae, catalogum succinctum haeresium orientalium quoque continet. Hanc praefationem iam dudum edidit Abraham Ecchellensis sermone latino e textu arabico translatam[3], qui verisimillime e textu syriaco originali manavit; ipsa collectio canonum una cum praefatione olim syriace exarata tota adhuc edita non est, exstat autem in Codice Syriaco K. VI. 3 Bibliothecae Congregationis de propaganda fide, unde germanice edita est ab O. Braun[4]; tractatum haeresiologicum ex editione O. Braun emendatum reimpressit A. Harnack[5], qui eum genuinum opus Maruthae declaravit[6].

Patriarcha demum Syrorum, Ignatius Ephraem II Raḥmani nuperrime fasciculo IV Studiorum Syriacorum[7] ex eodem codice Borgiano (modo N. 82)

[1] Cf. Schwane, *Dogmengeschichte*. Freiburg in Br., 1892, ed. II, t. I, p. 141. Harnack, *Dogmengeschichte*. Freiburg in Br., 1894, ed. III, t. I, pag. 723. Hilgenfeld, *Ketzergeschichte des Urchristenthums*. Leipzig, 1884, pag. 615 sqq. — Notabilis est etiam consensus locorum, ubi Christi opera Deo tribuuntur, cum interpolationibus patripassianis *Testamenti duodecim Patriarcharum* (Symeon 6_5, Issachar 7_7, Dan 5_{13}, Naphthali 8_3, Aser 7_3, Benjamin 10_{7-9}; textum locorum graecum v. apud Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Iesu Christi*[4], t. III. Leipzig, 1909, p. 342 sq., n. 85) et cum usu loquendi Prologorum monarchianorum (de quibus v. Corssen, *Monarchianische Prologe zu den vier Evangelien* in *Texte und Untersuchungen*, ed. Gebhardt et Harnack, t. XV, fasc. I, p. 24 sqq.).

[2] *Haer.* LXII, 1 : Πολλοὶ δὲ ἐν τῇ Μέσῃ τῶν ποταμῶν καὶ ἐπὶ τὰ μέρη τῆς Ῥώμης τοῦ αὐτοῦ δόγματος ὑπάρχουσιν ἀνοίᾳ τινὶ φερόμενοι.

[3] Mansi, *Conciliorum omnium amplissima collectio*, t. II, 1056 sqq.

[4] *De Sancta Nicaena Synodo* in *Kirchengeschichtliche Studien* hsg. v. Knöpfler, Schrörs, Sdralek. Münster, 1898, pag. 12. V. V. *infra* p. 118.

[5] *Der Ketzer-Katalog des Bischofs Maruta von Maipherkat* in *Texte u. Unters.*, N. F., B. IV, Heft I, 6. — [6] *O. c.* p. 4.

[7] *Documenta de antiquis haeresibus*. Typis patriarchalibus in seminario Scharfensi de Monte Libano, anno MCMIX, p. 78 et ܨ.

cum exemplo eiusdem Alkošensi collato totum tractatum haeresiologicum syriace publici iuris fecit.

Inter haereses ibidem recensitas secta quoque *Audianorum* occurrit, de quorum doctrina haecce referuntur :

Haeresis sectae Audianorum. Asserunt isti Trinitatem existere in compositione personasque compositas subsistere secum invicem. Ex iis sunt quidam ascetae ieiunantes, dediti excipiendis peregrinis assiduique per totius vitae dies in fletu. Si quis autem inter ipsos praevaricatur et ridet, eum a medio dimittunt.

In textu arabico Abrahae Ecchellensis eadem secta Photinianorum appellatur; falso tamen, uti e textu syriaco modo iam evidens est. Doctrina enim Photinianorum ascetica vix quidquam cum nostro libro commune habet neque probabile est placita eorum christologica apud Syros vulgata esse. Contra, Audianorum doctrina aliquam similitudinem cum placitis L[i] G. prae se fert, uti suo loco ostendetur.

Summi item momenti est Marutha teste Audianos in duas factiones divisos fuisse : in orantes et ieiunentes. Sub nomine orantium Messalianos latuisse iam A. Harnack recte suspicatus est[2]. Sufficit notasse in opusculo haeresiologico Timothei, presbyteri Constantinopolitani[3] Messalianis errorem persimilem tribui : ὅτι τρεῖς ὑποστάσεις Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος εἰς μίαν ὑπόστασιν ἀναλύονται καὶ μεταβάλλονται[4]; sane error Sabellianus verbis Maruthae omnino conformis. Exinde concludendum est Messalianos Maruthae probabiliter eosdem fuisse, qui olim Adelphiani quoque atque Euchitae appellabantur, eosque, uti etiam L. G. Auctorem, erroribus Sabellianis fuisse addictos. An omnes, iam alia est quaestio. Saeculo enim V Messalianorum secta etiam in Armenia multos asseclas nacta est. Contra eos anno 447 praeside Iosepho patriarcha synodus in civitate Šahapivan coacta est, cuius canones, imprimis XIX et XX torturam aliasque poenas severas in asseclas Messalianismi decreverunt[5]. Hos autem Messalianos armenos Conybeare adoptianos fuisse censet, erroribus Paulicianorum addictos[6]. Argumenta nihilominus a viro docto ad probandam hanc thesim congesta rem non dirimunt. Canones enim synodi Šahapivanensis doctrinae christologicae Messalianorum (armenice mtslnëuthiun = ܡܨܠܝܢܘܬܐ[7]) mentionem non faciunt; hinc incertum manet, utrum Messaliani Armeni re vera socii fuerint Paulicianorum, nec ne[1].

[1] *O. c.* p. 10. — [2] Initio saec. VII; v. Bardenhewer, *Patrologie*, p. 534.

[3] *De receptione haereticorum*, Migne, *P. G.* t. LXXXVI, col. 49.

[4] Karapet Ter-Mkrttschian, *Die Paulikianer im byzantinischen Kaiserreiche und verwandte Ketzerische Erscheinungen in Armenien.* Leipzig, 1893, p. 41 sqq.

[5] *The Key of Truth*, ed. Conybeare. Oxford, 1898, p. CVIII.

[6] Karapet Ter-Mkrttschian, *o. c.* p. 42.

[7] Ceterum doctrina Adoptiana Monarchianismum non tantum non excludit, quin

Patet ex dictis phrases in L° G. obvias, uti « Trinitas perfecta », « Trinitas indivisa » ad mentem Auctoris non esse sensu orthodoxo accipiendas. Auctor sine dubio usum loquendi theologicum in Ecclesia vulgatum specietenus recepit, attamen terminis illis theologicis notionem prorsus heterodoxam subiecisse videtur. Doxologiae enim Trinitariae iam saeculo III apud antiquos christianitatis auctores passim occurrunt[1].

4. De sensu quidem Sabelliano locorum laudatorum vix dubitari potest; aeque tamen certum est Auctorem non sibi constare, ubi de singulis personis divinis agitur. Serm. XV, 12 (et alibi passim) Patrem manifeste distinguit a Filio, cum docet Patrem et Dominum per passionem et crucem Filii sui voluisse mundo reconciliari. Serm. XXX, 24 Christum Patri coaeternum dicit[2] et hoc

potius supponit. An Messaliani Syri doctrinae Adoptianae unquam addicti fuerint, non constat, neque probabile est; auctores saltem hac de re tacent.

[1] S. Basilius in op. *De Spiritu S.* n. 73 (pag. 61, ed. Maurinae, t. III; cf. Routh, *Reliquiae Sacrae,* III, 516) refert inde a tempore antiquo a fidelibus hymnum vespertinum ab auctore ignoto compositum recitari, qui etiam doxologiam Trinitariam continet : Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης, ἀθανάτου Πατρὸς, οὐρανίου, ἁγίου, μάκαρος, Ἰησοῦ Χριστέ· ἐλθόντες ἐπὶ τοῦ ἡλίου δύσιν, ἰδόντες φῶς ἑσπερινὸν, ὑμνοῦμεν Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα Θεοῦ (cf. Tertull. *De Oratione,* c. 25). In eodem opere *l. c.* allegat locum ex l. V *Chronici* Julii Africani, qui εὐχαριστοῦμεν, ait, τῷ παρασχομένῳ τοῖς ἰδίοις ἡμῖν Πατρὶ τὸν τῶν ὅλων σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν· ᾧ ἡ δόξα καὶ ἡ μεγαλωσύνη σὺν ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας (cf. Routh, *o. c.* t. II, pag. 308). S. Dionysius vero Alexandrinus eodem Basilio teste (in *op. cit.,* pag. 60 ed. Maurinae cf. Routh, *o. c.* III, 399) epistolam ad Dionysium Romanum missam absolvit verbis : τῷ δὲ Θεῷ πατρὶ καὶ Υἱῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι δόξα καὶ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Sed iam Clemens Alexandrinus doxologia Trinitaria clausit *Paedagogum* (III, 12). Neque desunt vestigia eiusmodi doxologiae apud Syros. Apud Aphraatem haecce leguntur (*P. S.* II, 127) :
ܫܘܒܚܐ ܘܐܝܩܪܐ ܠܐܒܐ ܘܠܒܪܗ ܘܠܪܘܚܗ ܚܝܐ ܘܩܕܝܫܐ ܡܢ ܦܘܡܐ ܕܟܠܗܘܢ ܡܫܒܚܢܘܗܝ ܥܠܝܐ ܘܬܚܬܝܐ ܠܥܠܡ ܥܠܡܝܢ ܐܡܝܢ ܘܐܡܝܢ.
Gloria honorque Patri et eius Filio et Spiritui eius vivo et sancto ex ore omnium honorantium eum superorum inferorumque in saecula saeculorum. Amen et Amen. Cf. *L. G.* S. XIII, 3; XVI, 10; XX, 15. Neque epitheton ܚܝܐ ܘܩܕܝܫܐ *vivus et sanctus* de Sp. S. acceptum in *L° Gr*um deest. Cf. S. IX, 4 superius allegatum, ubi Auctor Sp. S. Domino (ܡܪܝܐ) aequiparavit. Ex his locis liquet doxologias Trinitarias apud Syros quoque in usu Ecclesiae recitari solitas esse. Bene scribit de hac re Labourt (*Le Christianisme dans l'empire Perse,* p. 32) : *Dans l'œuvre d'Afraat la doctrine trinitaire n'est qu'ébauchée. Les doxologies et les confessions de foi qu'elle renferme mentionnent, comme toutes celles qui sont postérieures au IIe siècle, les noms du Père, du Fils et du Saint-Esprit; mais Afraat n'a fait sur ces données, qui lui étaient fournies par la tradition ecclésiastique la plus ancienne, aucune réflexion métaphysique. La distinction des Personnes divines, leur égalité et leur consubstantialité ne font pas partie de son enseignement.* Quod et de L° G. dici potest.

[2] *Dominus autem erat et est inde quod Pater eius est : ab aeterno et in saeculum*
ܡܪܝܐ ܕܝܢ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܘܐܝܬܘܗܝ ܡܢ ܐܝܟܐ ܕܐܝܬܘܗܝ ܐܒܘܗܝ ܡܢ ܡܬܘܡ ܘܠܥܠܡ.

iisdem fere verbis, quae in Doctrina Addaei [1] atque in Actis Šarbîl Martyris quoque [2] recurrunt. Quae verba quidem remotam aliquam similitudinem prae se ferunt cum formula ἦν ὅτε οὐκ ἦν in synodo Nicaena damnata, quapropter viri quidam docti Doctrinam Addaei synodo Nicaena posteriorem esse contendebant [3]. Hanc quaestionem hoc loco pertractare non expedit; notandum tamen est conclusiones doctorum laudatorum iam propterea futiles esse, quia necessitudo verborum : *erat apud Patrem suum ab aeterno et a saeculo* (L. Gr., Doctr. Add., Act. Šarbîl) ad formulam Nicaenam ἦν ὅτε οὐκ ἦν demonstrari nequit [4], et quoniam L. Gr. ab utroque opere, Doctr. Addaei nimirum et Actis Šarbîl prorsus independens est; quodsi igitur verba laudata in hisce scriptis recurrant, vix aliter allegatio eorum explicatur, nisi supponas ea ad symbolum aliquod, sive professionem fidei pertinuisse [5] inter Syros occidentales vulgatam, siquidem certum est Doctrinam Addaei et Acta Šarbîl Edessae exarata esse.

Quod tertiam personam SS. Trinitatis attinet, exceptis locis iam superius laudatis, ubi Spiritum S. modo Sabelliano cum aliis personis divinis confundit, in toto Libro nil occurrit, unde inferre possis Auctorem Spiritu S. subsistentiam personalem tribuisse [6]. Saepissime quidem de Spiritu S.

[1] *The Doctrine of Addai the Apostle*, ed. Phillips. London, 1876, p. ܠܗ et p. 19 : *Ipse est, qui erat apud Patrem suum ab aeterno et a saeculo* ܗܘ ܕܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܠܘܬ ܐܒܘܗܝ ܡܢ ܡܬܘܡ ܘܡܢ ܥܠܡ.

[2] *Acta Martyrum et Sanctorum*, ed. Bedjan, vol. I. Parisiis, 1890, pag. 97 : *Hic enim, qui induit corpus, Deus est, Filius Dei, coessentialis Patri suo et consubstantialis Genitori suo. Splendor enim est adorandus divinitatis eius et fulgor decorus maiestatis eius et cum Patre suo erat ab aeterno et a saeculo.* ܗܢܘ ܓܝܪ ܕܠܒܫ ܦܓܪܐ ܐܠܗܐ ܗܘ ܒܪ ܐܠܗܐ : ܒܪ ܟܝܢܐ ܕܐܒܘܗܝ ܘܒܪ ܐܘܣܝܐ ܕܡܘܠܕܢܗ. ܙܗܝܐ ܗܘ ܣܓܝܕܐ ܕܐܠܗܘܬܗ : ܘܙܠܝܩܐ ܗܘ ܫܦܝܪܐ ܕܪܒܘܬܗ. ܘܥܡ ܐܒܘܗܝ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܡܢ ܡܬܘܡ ܘܡܢ ܥܠܡ. Prior formulae huiusce pars certe ideas symboli Nicaeni redolet; ܒܪ ܟܝܢܐ = ὁμοούσιος teste Cod. Add. 14528 fol. 14b translationem symboli Nicaeni exhibente, cuius lectiones P. Martinus siglo B notavit (v. *Analecta S. spicilegio Solesmensi parata.* Parisiis, 1883, v. IV, p. 225).

[3] R. Lipsius, *Die apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegendan.* Braunschweig, 1887, t. III, p. 196 sq. Rubens Duval, *La littérature Syriaque,* ed. II. Parisiis, 1900, p. 125. — [4] Quod ceterum ipse Lipsius admittit *l. c.*

[5] Eiusmodi formulas dogmaticas apud Syros iam ante synodum Nicaenam exstitisse ostendit *Dem.* XVIII, 2 Aphraatis, qui omnibus fatentibus doctis viris decreta Nicaena ignoravit; nihilominus inter diversa cognomina Christo a fidelibus dari solita refert *lumen de lumine* ܢܘܗܪܐ ܡܢ ܢܘܗܪܐ (*P. S.* t. I, col. 788_{3}), quod epitheton ceterum in Epistola Eusebii Caesareensis *ad ecclesiam suam* quoque recurrit (Socr. *Hist. Eccl.* I, 5) et ad illas formulas dogmaticas pertinet, quae fatente professore Harnack (*Dogmengeschichte* [3], I, 737) exeunte saec. III in usu loquendi Theologico familiares vulgataeque erant. Cf. Connolly, *The Early Syriac Creed*, in *Zeitschrift f. d. neutestamentliche Wissensch.* t. VII (1906), p. 206 sqq.

[6] Similis est doctrina quoque Aphraatis de Sp. S., uti docte ostendit Labourt in *op. c.* p. 33 sq.

sermonem instituit, non autem de persona, sed de virtute divina in anima humana agente eamque ad bene agendum impellente [1]. Nomina, quibus Spiritum sanctum appellat, sunt : Spiritus Dei [2], Spiritus sanctus Dei [3], Spiritus Domini [4], Spiritus Christi [5], Spiritus Paraclitus [6], per quem gratiae plenitudinem intelligit atque a « commixtione Spiritus » [7] sollicite distinguit.

Quodsi de doctrina Libri Trinitaria iudicandum est, duo imprimis perpendi debent.

a) In toto opere nihil occurrit, unde concludere possis Auctorem motus Arianos et quaestiones Christologicas saeculo V exortas prae oculis habuisse. Verum quidem est in toto opere indifferentiam aliquam circa quaestiones dogmaticas observari; attamen vix intelligi potest, quonam pacto homo Christianus turbarum Arianarum tempore quaestiones tunc temporis tanta cum vehementia agitatas negligere potuerit. Neque ceterum Auctori indifferens fuisse videtur, quidnam coaevi de persona Redemptoris habuerint et cogitaverint. De Salvatore etenim persaepe encomia maxima profert [8] et acriter invehitur in Gentiles ܚܢܦܐ, sapientiam quaerentes et humilitatem Christi despicientes [9]. Singulare est imprimis effatum Auctoris Serm. XXX, 21 ubi de Gentilibus agit, qui laudibus excellentibus disserant de Dño et, quoniam non imitentur humilitatem eius, passiones eius despiciant easque ineptias declarent. Haec ad sectatores Arii vix pertinent. Ariani etenim divinitatem Christi infitiabantur, non vero momentum soteriologicum mortis et passionum eius; neque ceterum doctrina Arianorum de Christo orthodoxis « laus excellens » unquam videbatur, quam temerae potius argutiae scrutatorum litigiosorum, in quas S. Ephraem vehementissime invehitur.

b) Licet forte e mentione terminorum aliquorum Trinitariorum, uti *Trinitas indivisa, Trinitas perfecta* concludi posse videatur L^{um} Gr^{um} tempore Nicaena synodo posteriore exaratum esse, hos tamen terminos rem certo evincere vix puto. Iam enim saeculo II exeunte occurrit nomen Τρίαδος de SS. Trinitate acceptum in scriptis Theophili [10] et etiam Tertulliano familiaris est [11]. Athenagoras ἕνωσιν et διαίρεσιν de Trinitate docet [12]. Τρίαδα appellat ἀδιαίρετον Dionysius Alexandrinus teste S. Athanasio [13], Τρίαδα τέλειαν profitetur S. Gregorius

[1] Serm. III, 11. — [2] ܪܘܚܐ ܕܐܠܗܐ Serm. III, 11. — [3] ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܐܠܗܐ Serm. XXVIII, 1.
[4] ܪܘܚܐ ܕܡܪܝܐ Serm. III, 10. — [5] ܪܘܚܗ ܕܡܫܝܚܐ Serm. III, 12.
[6] ܪܘܚܐ ܦܪܩܠܝܛܐ Serm. III, 10, 12. — [7] Serm. III, 10-13; V, 18-19; XXVIII, 2.
[8] Serm. XVI, 8. — [9] Serm. XXX, 21. Cf. XVII, 1; XXIII, 11.
[10] *Ad Autolycum* II, 15. — [11] *Adv. Praxeam* III, 11 sq.
[12] *Legatio pro Christianis* 10 : Τίς οὖν οὐκ ἂν ἀπορήσει λεγόντας Θεὸν πατέρα καὶ υἱὸν Θεὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν καὶ ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν ἀκούσας ἀθέους καλουμένους;
[13] *Epistola de sententia Dionysii* (ed. Routh, *Reliquiae Sacrae*, Oxonii, 1846, v. III, p. 395) : Οὕτω μὲν ἡμεῖς εἴς τε τὴν τρίαδα τὴν μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν τρίαδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα.

Thaumaturgus in *Expositione fidei*[1]. Spectata testium multitudine usui eiusmodi terminorum theologicorum iam saeculo III suffragantium[2] manifestum est vix quidquam exinde de Operis aetate deduci posse.

Neque obiiciendum est nullum in scriptis Aphraatis adhuc medio saeculo IV eiusmodi terminorum vestigium inveniri. Etenim obiectio iam propterea caret vi probandi, quia Aphraates in ditione Persica vitam agebat, ubi doctrina Christiana aliam sortem experta est, quam in imperio Romano. Aphraatis doctrina praeterea magis Adoptianismo favet[3], quam erroribus Sabellii, quibus Auctor L^{i} G^{rum} imbutus esse videtur; non est igitur mirum theologumena Aphraatis aliam omnino speciem prae se ferre[4].

II

DE CREATIONE ET CREATURIS.

5. Mundus visibilis imago saeculi invisibilis. — 6. Huius doctrinae sensus eiusque necessitudo ad doctrinam ἀνακεφαλαιώσεως. — 7. Daemonum lapsus — 8. atque operatio.

5. Idea fundamentalis doctrinae ethicae L^{i} Gr^{um} est assertio duos existere mundos : alium *invisibilem,* caelestem, perfectum, alium vero *visibilem* ad imaginem invisibilis conditum, ita quidem, ut rebus factisque terrenis res eventusque caelestes et invisibiles correspondeant. In hac doctrina fundatur tota speculatio L^{i} Gr^{um}. Status enim pristinus generis humani ab Auctore veluti commoratio in ordine caelesti concipitur, unde protoplasti a Diabolo decepti ad ordinem rerum terrestrium delapsi sint; consequenter etiam reparationem lapsus primi hominis nil nisi reditum esse in statum pristinum ope renunciationis efficiendum.

Sed haec modo innuisse sufficit, data enim occasione accuratius de rebus istis agendum erit; videamus modo singulos Operis locos, qui ad eam quaestionem pertinent.

Res creatae, ait Noster, *similitudines* ܕܘܡܝܐ sunt, seu *typi* ܛܘܦܣܐ vel *umbrae* ܛܠܠܐ rerum caelestium, quae veluti *exemplar perfectum* ܐܦܝܐ ܡܫܡܠܝܐ se habent

[1] Ἔκθεσις τῆς πίστεως, ed. Vossius, p. 11. Τρίας inquit τελεία δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη. Translationem syriacam citati v. apud Pitra, *Analecta Sacra,* t. IV, p. 81.

[2] Cf. Harnack, *Dogmengeschichte*[3], I, 736.

[3] Saltem *Dem.* XXII, ubi Christum merito Deum appellari ostendere satagit, ait : *Nos ... Christum illum vocamus Filium Dei, per quem Deum cognoscimus, quemadmodum ipse vocavit Israelem filium suum primogenitum* (*P. S.* I, 790) atque per totum Sermonem nil aliud demonstrat, nisi quod Christo a Deo concessa sit adoratio potestasque, sicut etiam olim aliis iustis (*P. S.* I, 794, 802).

[4] Ceterum Hegemonius auctor *Disputationis Archelai et Manetis* similia docet cap. 49 sq. Routh, *Rel. S.* V, 175-184. Cf. Harnack, *Dogmengeschichte*[3], I, 691 sq.

ad res visibiles[1]. Deus namque duos creavit mundos : alium visibilem et alium invisibilem, ut ex visibilibus invisibilia manifesta fierent[2].

Ad probandam hanc doctrinam Auctor effata quaedam S. Pauli allegat partim corrupta, partim inique intellecta :

a) XXVIII, 8 citat Ep. ad Hebraeos XI, 3 iuxta textum adhuc in Pešitta exstantem : ܗܠܝܢ ܓܝܪ ܕܡܬܚܙܝܢ ܐܡܪ ܫܠܝܚܐ ܗܘܝ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܠܐ ܡܬܚܙܝܢ *Ea, quae videntur, ait Apostolus, facta sunt ex iis, quae non videntur*[3].

b) XXI, 4 nomine Apostoli allegat citatum hocce ignotum, quod etiam Serm. XXII, 8 recurrit : ܟܠܡܕܡ ܕܡܬܚܙܐ ܛܠܠܐ[4] ܗܘ ܕܗܘ ܡܕܡ ܕܠܐ ܡܬܚܙܐ *Omne quod videtur, umbra est eius, quod non videtur.*

c) Saepissime autem allegat[5] Ep. ad Ephesios I, 10 verba in forma pariter corrupta et tum a textu gracco canonico[6] tum a lectione Peš.[7] discrepante : ܕܟܠܡܕܡ ܐܬܚܕܬ ܒܡܫܝܚܐ ܡܢ ܪܝܫ *Omnia renovata sunt in Christo ab initio.* Omnes textus loci citati ܐܬܚܕܬ legunt, non vero, uti Peš. habet, ܢܬܚܕܬ. Nexus autem citati cum doctrina theologico-ascetica Auctoris haec est : Christus est alter Adam, qui vivendi ratione totaque conversatione sua vitam Adae primi in seipso *innovavit,* i. e. ad modum Adae primi vitam agens ostendit hominibus, quanam ratione vixerint protoplasti. Verbo igitur ܐܬܚܕܬ significationem tribuit *recapitulandi* ceu *iterandi*[8], unde concludit vitam Christi repetitionem esse vitae Adae primi[9].

Thesis nimirum Auctori tantopere familiaris : *visibilia imago invisibilium* sensu latissimo est intelligenda; nam imago invisibilium sunt non tantum *res* visibiles, uti Ecclesia, altare, ministerium visibile Ecclesiae, sacerdotium, etc.[10], sed etiam *facta* visibilia, quibus correspendeant *eventus invisibiles* in mundo intelligibili et invisibili, ita quidem, ut ex aliquibus eventibus visibilibus concludere liceat ad exemplar eorum invisibile, ad facta certa invisibilia, quae aliquando in mundo invisibili evenerint. Hanc fuisse sententiam Auctoris ex verbis eiusdem expressis constat. Rebellio, ait, quam Satanas contra Deum movit in caelis, exemplum erat rebellionis, quam seductis proto-

[1] Serm. XXI, 10; XXVIII, 8. — [2] Serm. XXVIII, 8.

[3] Textus graecus canonicus (πίστει νόουμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ, εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὸ βλεπόμενον γεγονέναι) ab hoc textu notabiliter differt; Syrus translator olim καὶ τὸ βλεπόμενον ἐκ μὴ φαινομένων legisse videtur.

[4] ܛܠܠܐ = σκιὰ Col. II, 17; Hebr. VIII, 5; X, 1. Locus in editionibus Vulgatae syriacae non reperitur. — [5] Serm. XXI, 3 sq.; XXIII, 1; XXX, 14.

[6] Γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ ... ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ.

[7] Peš. legit : ܕܟܠܡܕܡ ܡܢ ܕܪܝܫ ܢܬܚܕܬ ܒܡܫܝܚܐ. Serm. XXI, 3 exhibet textum supra citatum; XXI, 4 : Dixit Apostolus : *de novo venit Chritus, renovavit omnia, sicut voluit perseverare domesticos Adae;* XXIII, 1 : *Sicut Apostolus dixit: omnia ab initio renovata sunt in Iesu;* XXX, 14 : *Hac de re testatur Apostolus dicens : in Iesu renovata sunt omnia.*

[8] G. Molwitz, *De* ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΕΩΣ *in Irenaei theologia potestate,* Dresden, 1874, p. 4. — [9] Serm. XXI, 3 sq., 11. — [10] Serm. XII, 1; XXI, 10; XXVIII, 8.

parentibus in terra contra Deum movere intendebat [1]. Iscariotes, apostolus apostata, typus est Satanae rebellis [2]. Tentatio Christi typus est Adae primi a Diabolo tentati [3], Adae enim creatura in Christo innovata est [4].

6. Doctrina modo adumbrata L[i] Gr. de mundo invisibili deque eius imagine, visibili, radix est totius Operis theologiae et fundamentum asceseos rigorosae, quam Auctor nullibi non commendat. Ex mente eius enim *peccatum originale* nil aliud erat, nisi *defectio ab ordine* caelesti, *invisibili* ad mundum materialem; simili item modo hominis iustificatio nil nisi reditus est in ordinem invisibilem ope « renunciationis » i. e. ope asceseos efficiendus.

Quaerendum modo est, quaenam sit origo doctrinae huiusce? Primo obtutu quaestio plana facilisque apparet. Si enim Auctor mundum invisibilem « exemplar », visibilem vero eius « typum » vel « similitudinem » vel « umbram » appellet, manifeste platonizare videtur, siquidem ex mente Platonis mundus invisibilis idearum realem veramque habens subsistentiam [5] παράδειγμα est [6], ceu archetypus rerum visibilium, quae sunt eiusdem μίμημα [7] et ὁμοίωμα [8] iuxta notissima ipsius verba : πᾶσα ἀνάγκη τόνδε τὸν κόσμον εἰκόνα τίνος εἶναι [9]. Nihilominus nexus aliquis immediatus inter doctrinam L[i] Gr. et philosophi laudati [10] nec demonstrari potest, nec ceterum verisimilis est Auctor enim trichotomiam platonicam expresse reiicit, doctrinam Platonicorum de praeexistentia animarum prorsus ignorat, sententia vero modo adumbrata de « harmonia praestabilita » tam antiqua et tam vulgata erat primis aerae Christianae saeculis, ut eius praesentia apud Auctorem nostrum optime explicetur, quin immediate ad opera Platonis recurrendum sit. Vestigia nimirum eiusdem prima iam in documentis cuneiformibus occurrunt [11]; eadem doctrina a graeca

[1] Serm. XXIII, 8. — [2] Serm. XXIII, 1 sq., 5. — [3] Serm. XXI, 4.
[4] Serm. XXI, 3-5, 7. — [5] *Phaedrus* 247 C. — [6] *Timaeus* 28 C.
[7] *Timaeus* 48 E, 50 C. — [8] *Timaeus* 30 C. — [9] *Phaedrus* 250 A.

[10] De hac re cf. Drummond, *Philo Iudaeus,* London, 1888, vol. I, p. 57-68. Willmann, *Geschichte des Idealismus,* Braunschweig, 1894, v. I, p. 424-435. Harnack, *Dogmengeschichte* [3], I, 97-99, 755-764.

[11] Iam Hammurabi dicit templum solis Sipparense, veluti habitaculum caeli esse (*Cod.* II, 30-31 bît e-bar ša ki šu-ba-at ša-ma-i; v. Ungnad, *Keilschrifttexte der Gesetze Hammurabis,* Leipzig, 1909, p. 1 c). Sancherib urbem Ninive olim iuxta planum caeleste (itti šiṭirti šamê) aedificatum esse docet (*Bell.* 35; cf. Ieremias, *Babylonisches im Neuen Testament,* Leipzig, 1905, p. 62). Nabucodonosor se Babylone templum Ezida kîma šiṭirti šamami i. e. iuxta planum caeleste exornasse gloriatur. (V. textum inscriptionis magnae I, 39, ed. a H. Winckler, *Altbabylonische Keilschrifttexte,* Leipzig, 1892, p. 32). In fragmento historiae creationis cuneiformi (Br. Museum 82-5-22, 1048; eius textum v. *Cuneiform Texts in the British Museum,* XIII, 35-37; transcriptiones in *Keilinschriftliche Bibliothek,* Band VI : *Assyrisch-babylonische Mythen und Epen* v. P. Iensen, Berlin, 1901, p. 38-43; P. Dhorme O. P., *Choix de textes religieux assyro-babyloniens,* Paris, 1907, p. 82-89 cf. Ieremias, *Das Alte Testament im Lichte des Alten*

philosophia independenter in aliquibus Veteris Testamenti scriptis [1], libris apocryphis [2] nec non in Talmude [3] invenitur. Ex altera autem parte doctrina L^{i} Gr^{um} modo adumbrata maximam similitudinem prae se fert cum placitis S. Irenaei circa *recapitulationem* Adae primi per Adam secundum, i. e. Christum factam et magis adhuc cum commentis aliquorum Gnosticorum, qui eadem methodo speculativa usi singulares in errores inciderunt.

S. Irenaeus nimirum innixus verbis Ep. S. Pauli ad Ephesios I, 10 [4] finem adventus Christi recapitulationem Adae primi fuisse statuit [5], i. e. est, iterationem status eiusdem pristini [6], hominem renovando et ea, quae ob Adae peccatum separata sunt, adunando [7]. Vi huius notionis S. Irenaeus congruentiam similitudinemque aliquam reperiri docet inter Adam et Christum [8], inter Evam et Dei Genitricem, Beatam Mariam V. [9]. Hoc sub respectu doctrina L^{i} Gr^{um} hisce Irenaei placitis simillima est. Attamen Auctor L^{i} Gr. ulterius adhuc procedit et non solum vitam Christi recapitulationem Adae primi docet, sed iuxta axioma platonicum : *visibilia imago invisibilium* ex eventibus quibus-

Orients, Leipzig, 1904, p. 50 sq.) haud obscure indicatur mundum corporalem ad imaginem mundi caelestis, deorum sedis formatum esse. Eiusdem doctrinae vestigia habes in tabula IV, 141-144 *Geneseos Chaldaicae* (cf. Iensen, *o. c.* p. 30 et 344; Ieremias, *Das Alte Test.* p. 55).

Recentissimis temporibus H. Winckler, professor Berolinensis doctrinam universam religiosam Babyloniorum hacce formula comprehendi posse contendit : *orbis terrestris est orbis caelestis imago* (« Himmelsbild gleich Weltbild ») et putativum hoc axioma fundamentum esse astrologiae, historiae, immo omnium scientiarum veteris Orientis docet. Hac de re consule eiusdem opera : *Himmels und Weltenbild der Babylonier* [2] (in collectione *Der Alte Orient,* t. III, f. 2-3), Leipzig, 1903. *Die Weltanschaung des alten Orients,* Leipzig, 1904. *Altorientalische Geschichts-Auffassung,* Leipzig, 1906. *Die babylonische Geisteskultur*, Leipzig, 1907.

[1] Exodus xxv, 9, 40; xxvi, 30; xxvii, 8; Num. viii, 4, ubi de exemplari caelesti (תבנית) vasorum sacrorum agitur. Iob xxxviii, 33 legimus : הידעת חקות שמים אם תשים משטרו בארץ quibus verbis A. Ieremias (*Babylonisches im N. T.* p. 63) eundem sensum subesse perperam docet; at translatio quam l. c. adiecit, falsa omnino est.

[2] *Apoc. Baruch* syr. $4_{3\text{-}5}$; *Ascensio Isaiae* 7_{10}.

[3] Ea idea apertissime proposita invenitur in Commentario *Midraš Aggada* ubi sententia R. Abahu citatur : כל מה שיש למעלה יש למטה *Quodcumque existit supra, existit et infra.* Alia huius doctrinae exempla v. apud Erich Bischoff, *Babylonisch-Astrales im Weltbilde des Thalmud und Midraš.* Leipzig, 1907.

[4] *Adv. Haereses* III, xxx (Harvey II, 120).

[5] *Ib.* III, xix, 1 (Harvey II, 95). — [6] *Ib.* III, xxxi, 1 (Harvey II, 120. Cf. Molwitz, *o. c.* p. 8-10). — [7] *Ib.* III, xvii, 6 (Harvey II, 87)

[8] *Ib.* III, xxxii, 2 (Harvey II, 125; cf. Wirtz, *Die Lehre von der Apolytrosis,* Trier, 1906, p. 96).

[9] *Ib.* V, xix, 1 (Harvey II, 375). Cf. opus S. Irenaei nuper armenice detectum : Εἰς ἐπίδειξιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος, n. 33 sq. a Karapet Ter-Mĕkĕrttschian et Erwand Ter-Minassiantz armenice et germanice editum, Lipsiae, 1907, p. 19 [*Texte u. Untersuchungen,* hsg. v. A. Harnack u. C. Schmidt, III. R., erster Band].

dam visibilibus Historiae Sacrae conclusiones audaces infert ad eventus invisibiles hisce correspondentes, atque relicta basi positiva revelationis speculationibus falsis dat operam circa lapsum protoplastorum ideamque redemptionis, quae simillimae sunt assertionibus quorundam Gnosticorum, qui S. Irenaeo teste omnia in Christo per Deum recapitulata esse dictitantes[1] momenta singula vitae terrestris Salvatoris allegorice interpretabantur et inde argumenta phantastica doctrinae suae falsae circa Aeonum originem, lapsum Sophiae etc. petebant[2]. Notissima sunt verba Valentini, Gnosticorum celeberrimi, qui Clemente Alexandrino teste[3] in aliqua homilia magna cum eloquentia suadet mundum imaginem esse Aeonis vivi et honorem consequi per nomen eiusdem ipsi subscriptum : « invisibilia enim Dei cooperantur in fidem plasmatis ». Alia Gnosticorum grex Irenaeo teste[4] « quattuor mundi elementa ignem, aquam, terram et aerem imaginem esse superioris quaternionis dixerunt et operationes eorum cum eis annumeratas, id est, calidum et frigidum, humectum et aridum imaginari ogdoadem, ex qua decem virtutes sic enumerant : septem quidem corporea circumlata[5], post deinde continentem eos circulum, quem octavum caelum vocant, post deinde solem et lunam. Haec cum sint decem numero, imagines dicunt esse invisibilis decadis a Logo et Zoe progressae ». Nemo non videt totam hanc speculationem in trito axiomate L^i^ Gr. fundari : *visibilia imago invisibilium*[6]. Differentia praecipua inter speculationes Gnosticorum et L^i^ Gr^um^ in eo consistit, quod L. Gr. speculationes cosmologicas sedulo evitat et nulla in eo vestigia emanatianismi deprehenduntur. Ex altera parte *methodus* speculationis eadem est; utrobique enim ex eventibus visibilibus ad facta invisibilia concluditur vi axiomatis : *visibilia imago invisibilium*. Item in eo quoque L. Gr. cum Gnosticis conspirat, quod ἀνακεφαλαίωσιν generis humani a Salvatore effectam, tamquam redemptionis finem coronamque in *separatione* partium ob Adae peccatum contra naturam, ut ita dicam, unitarum ponit[7]; sicut nempe Gnostici lapsum humani generis animae cum corpore unionem statuerunt[8] : simili ratione L. Gr. peccatum

[1] *Ib.* I, I, 5 (Harvey I, 29); I, I, 19 (Harvey I, 83). Eundem usum Ep. ad Eph. I, 10 S. Epiphanius Valentinianis tribuit *Haer.* XXXI, XIV.

[2] Iren. *Adv. Haer.* I, I, 5 sq. (Harvey I, 26 sqq.). *Ib.* I, I, 16-18 (Harvey I, 71 sqq.).

[3] *Strom.* IV, XIII, 1 (Ed. Stählin II, 287) : Ὁπόσον ἐλάττων ἡ εἰκὼν τοῦ ζῶντος προσώπου, τοσοῦτον ἥσσων ὁ κόσμος τοῦ ζῶντος αἰῶνος· τίς οὖν αἰτία τῆς εἰκόνος; μεγαλωσύνη τοῦ προσώπου παρεσχημένου τῷ ζωγράφῳ τὸν τύπον, ἵνα τιμηθῇ δι' ὀνόματος αὐτοῦ. Οὐ γὰρ αὐθεντικῶς εὑρέθη μορφή, ἀλλὰ τὸ ὄνομα ἐπλήρωσεν τὸ ὑστερῆσαν ἐν πλάσει· συνεργεῖ δὲ καὶ τὸ τοῦ θεοῦ ἀόρατον εἰς πίστιν τοῦ πεπλασμένου.

[4] *Haer.* I, x (Harvey I, 164).

[5] Ἑπτὰ μὲν σωματικὰ κυκλοειδῆ i. e. in formam circuli periferice disposita.

[6] Cf. Hilgenfeld, *Die Ketzergeschichte des Urchristenthums*. Leipzig, 1884, p. 300.

[7] Cf. Harnack, *Dogmengeschichte*, I, 515.

[8] Iuxta Anz (*Zur Frage nach dem Ursprung des Gnosticismus*, in *Texte u. Unters.* ed. Gebhard et Harnack, t. XV, fasc. 4, p. 27) doctrinae gnosticae summa exprimitur

protoplastorum defectionem a mundo invisibili ad mundum visibilem fuisse opinatur; et quemadmodum Gnostici veram ἀνακεφαλαίωσιν eam esse docebant, ut hominis anima a corpore penitus liberata Pleromati adunaretur : L. Gr. quoque redemptionem nil aliud dicit, nisi restitutionem in statum priorem Adae ope « renunciationis » efficiendam; nemo enim ex mente Auctoris capax est Paracliti accipiendi, ceu unionis cum Deo ineundae, nisi mundo visibili, bonis et concupiscientiis eiusdem renunciaverit. Quodsi Gnostici ex axiomate : « visibilia imago invisibilium » veluti divinando conclusiones temerarias, fundamento carentes de rebus divinis deduxerunt, et in rebus gestis Salvatoris Aeonum emanationes et fata Sophiae et animae humanae ad corpus delapsum adumbrari putaverunt : L. Gr. hanc speculationem ad casum Satanae et generis humani restringit, at eadem omnino methodo. S. Irenaeus utique in ἀνακεφαλαιώσεως notione *iterationem* includi existimans inter Adae et Christi vitam aliquam *congruentiam* reperit, sed perversam interpretandi regulam Gnosticorum, qui ex numeris in Scripturis obviis doctrinas suas demonstrare satagebant, indignabundus reiecit, cum ex eius mente infirmum sit argumentum, quod in multa possit transferri, nec regula fidei ex numeris, sed numeri ex regula petendi sint[1].

7. De creatione et de creaturis in L° G. ex professo non agitur. Dualismi Gnosticorum vel Manichaeorum nulla in toto opere vestigia deprehenduntur. — Doctrina Libri angelologica valde tenuis est. De angelis hinc inde quaedam reperiuntur, quae tamen pro re nostra momento carent. *De daemonibus et* imprimis de eorum principe, *Satana*, Sermonibus XXI, 18 sq. et XXIII, 1-8 doctrinas singulares profert. Creaturas enim omnes a Deo creatas esse et natura conditionis suae optimas fuisse docet[2], etiam Satanam, qui una cum reliquis angelis ad Dei ministerium conditus fuerit[3]. Typum Satanae Iscariotem esse; hunc enim Dñum discipulum sibi adscivisse et, veluti Satanam, a dextris suis posuisse[4]. Satanam autem factum rebellem a Deo defecisse, uti postea Iscariotem, et imaginem suam in caelo producere voluisse, quod postea

verbis : Auffahrt der Seelen, i. e. soluta unione animae cum corpore homo redemptionis perfectae capax efficitur, si hac in vita « scientiae » particeps fiat.

[1] *Adv. Haer.* II, xxxvii, 1 (Harvey I, 342 sq.). S. Irenaeus exponit Christi et Apostolorum res gestas non debere numero XXX, sed subiacenti copulari argumento sive rationi neque de Deo inquisitionem ex numeris et syllabis et literis accipiendam esse, uti fecere Gnostici. *Infirmum est enim hoc propter multifarium et varium eorum et quod possit omne argumentum hodie aeque commentatum ab aliquo contraria veritati ex ipsis sumere testimonia eo quod transferri possint; sed ipsos numeros et ea, quae facta sunt, aptare debent subiacenti veritatis argumento. Non enim regula ex numeris, sed numeri ex regula : nec Deus ex factis, sed ea, quae facta sunt ex Deo. Omnia enim ex uno et eodem Deo.*

[2] Serm. XXIII, 1, 8. — [3] Serm. XXIII, 2, 4. — [4] Serm. XXIII, 5.

seductis protoparentibus in terra efficere voluerit. Tenore enim axiomatis : « visibilia imago invisibilium » rebellionem, quam Satanas in caelo contra Deum moverit seductis ad suas partes multis angelis, exemplar esse seditionis, quam in terra contra Deum excitaverit[1]. In caelo namque aliquos angelos ad suas traxisse partes : idem fecisse in terra, cum vellet sibi homines discipulos servosque reddere[2]. Adam eodem quippe lapsu cecidisse, quo et Satanam, volentem Deum fieri. Quoniam vero Satanas subversus alios quoque corruperit : non ei parcere dexteram Iesu : sed sicut perdidisset, perditioni fore obnoxium et ipsum et pro qualibet anima, quam perdidisset, « animam suam pro anima » daturum et deficientibus cruciatibus impiorum omnium torturam eius in saeculum saeculi duraturam[3]. Deum quidem misericordem et ipsi Satanae dedisse spatium paenitentiae, sicuti scriptum est[4] : *Domino tuo servies,* attamen Satanam Deo resistere, nec ei servire velle[5].

Doctrina modo adumbrata ante saeculum IV sporadice tantum occurrit. Antiqui nimirum Patres scriptoresque Ecclesiae lectioni antiquiorum codicum graecorum innixi, in quibus Gen. VI, 2 *Angelos Dei* cum filiabus Seth carnaliter coiisse legebant, lapsum angelorum ad eorum libidinem referre solebant[6]. Cum hac doctrina παραλλήλως reperitur ea, quam Autor profitetur, quamquam multo rarius. Prima eius vestigia in *Libro Henoch* habes, ubi praeter sententiam superius laudatam, quae lapsum angelorum ad eorum libidinem referebat[7], vestigia aliqua eiusdem doctrinae deprehenduntur, quam et L. G. docet et quae postea communis in Ecclesia facta est, angelos videlicet duce Satana in Deum rebellasse. In *Libro* enim *Henoch* mentio fit cruciatuum, quibus Michael et Gabriel et Raphael et Phanuel angelos tradituri sint, qui se Satanae subiecerint et terricolas seduxerint[8]; supponitur igitur eorum lapsus anterior conditione humanae creaturae. In *Libro Henoch Slavonico* breviter refertur rebellio τῶν ἐγρηγόρων contra Deum[9] duce Satana orta, qui thronum suum supra nubes erigere voluerit[10]. Similia leguntur in Adae historia quadam armena, quam Preuschen germanice edidit[11], ubi pariter de Sada'el et Beliar, rebellibus in Deum angelis, principibus exercitus Satanae agitur, qui thronum suum Dei ad instar exaltare studuerint. Apud Patres scriptoresque anti-

[1] Serm. XXIII, 8. — [2] Serm. XXI, 19. — [3] Serm. XXI, 18 sq.

[4] *Matth.* IV, 10. — [5] Serm. XXIII, 4-6.

[6] Hac de re cf. Petavii opus *De angelis,* l. III, cap. 1-3 (ed. Migne in op. *Theologiae cursus completus,* t. VII, coll. 808-830). Tennant, *The Sources of the Doctrines of the Fall and Original Sin.* Cambridge, 1903, pag. 278 sq.

[7] Cap. VI. (Cf. Kautzsch, *Die apokryphen und Pseudepigraphen des Alten Testaments,* Tübingen 1900, pag. 238 sq.).

[8] Cap. LIV. (Cf. Kautzsch, *o. c.* pag. 266).

[9] Cap. XVIII, 3. (Cf. Bonwetsch, *Das slavische Henochbuch,* Berlin, 1903, pag. 19).

[10] Cap. XXIX, 4. (Cf. Bonwetsch, *o. c.* pag. 28).

[11] In op. : *Die apokryphen gnostischen Adamschriften,* Giessen, 1900, pag. 27_{1-14}.

quiores Ecclesiae ipsa haec doctrina sat rara est; rebellionis angelorum mentio fit apud Athenagoram[1], S. Irenaeum[2], Lactantium[3], Gregorium Nazianzenum[4]; in Oriente ea doctrina communis facta est auctore S. Ioanne Chrysostomo[5]; in Occidente demum post S. Augustinum[6]. Syrorum doctrinam hac de re sufficienter exploratam mihi non habere fateor. S. Ephraem in *Commentario in Genesim* c. III putat Diabolum ad diem usque sextam creationis bonum quidem fuisse, sed ante praevaricationem mandati primi Adae impositi occulte Satanam factum et clandestino Dei iudicio condemnatum esse[7]. In *Spelunca Thesaurorum*[8] res aliter narratur. Princeps videlicet exercituum spiritualium una cum angelis Adam adorare debuisset, at adorationem sibi ipsi deberi praetendit, cum ipse spiritus sit ignisque, Adam vero pulvis. Ideo una cum asseclis suis de caelo deiectus nomenque ei Satanae impositum est[9]. Haec Speluncae Thesaurorum narratio judaicae originis esse videtur, nam etiam in Talmude refertur angelos carnes Adae coquisse et vinum ei refrigerasse, quod videns Serpens invidere ei coeperit[10].

Quandonam doctrina de lapsu angelorum primordiali in ecclesia Syrorum evoluta sit, ob defectum documentorum erui nequit; probabile autem videtur alteram doctrinam, quae lapsum angelorum ad eorum libidinem referebat, numquam apud ipsos tam communem fuisse, quam apud Graecos[11]. Rationem huius rei eam puto, quod Syri Pešiṭta utentes, interpretationem Gen. VI, 1, litteralem, eamque rectam praesto habebant.

Quae Auctor de spatio paenitentiae ipsi Satanae concesso profert, similia sunt ἀποκαταστάσεως doctrinae ab Origene eiusque asseclis propugnatae; fundamentum autem placitorum Origenis, uti inferius fusius ostendetur, ab ideis Nostri tantopere differt, ut nexus ullus inter has doctrinas argumentis solidis demonstrari nequeat.

8. *De operatione daemonum* eorumque in homines influxu Sermone VII. singularia docet. Satanam nimirum daemonesque nemini per se nocere posse (secus enim viso aliquo, qui paenitentiam agere vellet, eum occiderent) sed

[1] *Legatio pro Christianis,* n. XXIV. — [2] *Adv. Haer.* IV, LXVII (Harvey II, 304).

[3] *De origine erroris,* II, 9, 15.

[4] *De principiis,* Carm. VI. *De substantiis mente praeditis,* st. 55 sqq.

[5] *Hom.* XXII *in Genesim.* — [6] *De Genesi ad litteram,* l. XI, c. 14.

[7] *Opp. S. Ephraemi,* ed. Rom. Syr. Lat., t. I, pag. 37 C.

[8] Ed. Bezold p. ١٢, transl. p. 3 sq. Cf. *Chronicon civile et ecclesiasticum*, ed. Ignatius Ephraem II Rahmani, 1904, p. ; sq.

[9] Cf. Grünbaum, *Neue Beiträge zur semitischen Sagenkunde,* Leiden, 1893, p. 57 sq.

[10] *Sanhedrin,* fol. 59[b].

[11] Angelos cum mulieribus rem habuisse dicit Bardesanes in *Libro legum regionum* (*P. S.* II, col. 549) et *Acta Thomae,* probabiliter a schola Bardesanitarum exarata (Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum,* t. III, p. 33. Cf. *Acta Thomae,* ed. Bonnet, Lipsiae, 1883, p. 24).

mediante mago vel praestigiatore, qui daemonibus ensis ad instar utatur et eorum ope hominibus damna inferat[1]. Auctor putat magos cum daemonibus pacisci et hoc sub ea condicione, ut magus « animam pro anima » redditurus sit, quam die iudicii daemones Deo ab ipsis repetente, pro eo, quod perdiderint, oblaturi sint[2]. Quo pacto magos mira quaedam efficere : morbos sanare[3], phreneticos compescere, vel plane occidere[4], aqua aspersa rabidum occidere[5], rem perditam invenire[6] et alia huiusmodi. Unde monet Auctor medicos esse adiurandos, ne aegrotum ope praestigiorum curare velint, sed nomen tantum Dñi invocent[7]. Uti ex ipso textu Sermonis manifestum est — Auctor non de Gentilibus, sed de Christianis loquitur — eo tempore sine dubio multi Christianorum necromantiae, divinationi, hariolationi, aliisque huius generis superstitionibus dediti erant, quas ceterum etiam S. Ephraem reprobat[8]. Totus Sermo animum Auctoris ad superstitiones pronum ostendit, coaevos crudeles, effrenatos, tempora tristia, exagitata, insecura, quibus nemo quid fas sit et nefas, valde sollicitus fuisse videtur.

III

DE HOMINE.

9. Hominis partes ac liberum arbitrium. — 10. Adae natura, charismata, lex perfectionis ipsi lata. — 11. Paradisus spiritualis protoplastorum. — 12. Necessitudo huius doctrinae ad placita : Neoplatonicorum, porro — 13. Athanasii, — 14. Gregorii Nysseni, — 15. Philoxeni, Moysis bar Kephae, Išô'dadi, Salomonis Basrensis sententias. — 16. Protoplastorum lapsus; eorum matrimonium daemone instigante contractum. — 17. Similes Cassiani et Tatiani sententiae.

9. Sermone XXVIII *de partibus hominis* sat fuse agit Auctor et reiecta eorum opinione[9], qui trichotomismo inhaerentes tres hominis partes statuant : *corpus* videlicet, *animam*, quam sanguinem esse arbitrentur, atque *spiritum* immortalem, animamque, utpote partem corporis materialem, una cum corpore mori contendant : e Scriptura demonstrare satagit animam et spiritum unam eandemque rem esse et hominem e duabus partibus tantum essentialibus consistere, quibus perfectione consecuta accedat tertia : *Spiritus Paraclitus,* quo obtento hominem *in trinitate* constitui. Hac de inferius sermo erit ideoque haec commemorasse sufficit.

Liberum hominis arbitrium Auctor ante et post lapsum apertis verbis docet : Adam libere peccasse, licet eum Deus unico nutu ad obedientiam revocare potuisset[10], et homines sua sponte servos Diaboli fieri[11]. Sine voluntate Dei quidem nihil omnino fieri, attamen homicidas, quibus Deus

[1] Serm. VII, 6 sq. — [2] Serm. VII, 3. — [3] Serm. VII, 3, 14.
[4] Serm. VII, 15. — [5] Serm. VII, 3. — [6] Serm. VII, 15. — [7] Serm. VII, 14.
[8] *Sermone de magis, incantatoribus et divinis,* ed. Lamy in op. *S. Ephraemi Syri Hymni et Sermones,* Mechliniae, 1886, t. II, col. 419-422.
[9] Num forte Bardesanitarum? Cf. *P. S.* II, 506, 572; Haase, *op. cit.* p. 82.
[10] Serm. XXI, 8. — [11] Serm. VII, 5.

ad animas hominum educendas instrumenti ad instar utatur, iudicari a Deo atque puniri, cum omnibus libertatem dederit agendi[1]. Quanam autem ratione providentiae divinae efficacia, quam Auctor imprimis Sermone VII describit, cum libero hominis arbitrio componatur, explicare omisit.

10. *De statu naturae integrae* Sermone XV et XXI disserit Auctor. Veram autem eius mentem hac de re penitus explorare perquam difficile est. Doctrina enim, quam de statu primordiali protoplastorum tradit, unitatis ratione carere et ex duobus elementis valde disparatis constare videtur : nimirum e doctrina Scripturarum canonicarum atque ex aliqua speculatione philosophica, quae indolem gnosticam encratiticamque prae se fert.

Nunc singula Auctoris effata videamus.

Adam, ait, ante lapsum erat perfectus, caelum iugiter intuebatur, cum angelis caelestibus gaudebat, expers dolorum et sollicitudinum victus atque vestitus a Deo mirabiliter nutriebatur corpore in terra, mente in caelo constitutus. Labor doloresque corporis usque ad lapsum non erant; ipsa animalia Adae obtemperabant[2].

Protoplasti immunes erant a concupiscentia, nam teste Scriptura « non apparuit nuditas eorum », sed in terra ambulantes mente in caelo, in Ierusalem superna, in Eden spirituali, hoc est, in paradiso caelesti, in Dei civitate degebant[3].

Adam usque ad lapsum caelum incolebat; mente ad terram conversus factus est in terra; id est, de paradiso caelesti in paradisum terrestrem delapsus est, imaginem paradisi caelestis[4].

Adam ante lapsum erat *caelestis* ܫܡܝܢܐ, πνευματικός ܪܘܚܢܐ, post lapsum factus est *inferior* ܬܚܬܝܐ, ὑλικός ܦܓܪܢܐ, spiraculum vitae vero, quod habuit, factum est « gustus mortis[5] ».

Protoplasti immunes erant a concupiscentia, velut infantes neonati, qui etsi nudi sint, non erubescunt, nam Christo docente[6] in resurrectione neque nubent, neque nubentur; cum vero resurrectio nil aliud sit, nisi restitutio ordinis primordialis, etiam protoparentes in eodem habitu « sancto » i. e. casto conditos esse necesse est. Non obstat eos membra genitalia, ad generandum apta habuisse; haec enim ad urinam tantum emittendam destinata erant[7]. Si enim omnes homines perfectionem sectati essent, Deus omnes mirabiliter nutrisset et sine copula carnali — forte ex unguibus et capillis — multiplicasset, sicut ipsam Evam e corpore Adae produxit[8].

Deus Adae in creatione « spiraculum vitae » i. e. Spiritum Paraclitum insufflavit, qua ratione Adam factus est, sicut Apostoli die Pentecostes, Paraclito accepto[9].

[1] Serm. VII, 8. Cf. XXII, 6; XXVIII, 7. — [2] Serm. XXI, 7.
[3] Serm. XXI, 8. — [4] Serm. XXI, 10. — [5] Serm. XXI, 17. — [6] Luc. xx, 35.
[7] Serm. XV, 3, 7. — [8] Serm. XXV, 8. — [9] Serm. XXVIII, 1.

Adae ministerium ante lapsum spirituale erat, post lapsum factum est corporale, imago ministerii spiritualis[1].

Conditionem Adae integram Christus revelavit nobis, qui alter Adam omnia in se ipso innovavit[2] eaque ratione naturam Adae integram hominibus demonstravit[3]. Huc spectat parabola de agro[4], in quo Deus bonum semen seminavit, Malignus vero zizania : sic et protoplasti a Deo boni creati sunt[5].

Adae olim « lex perfectionis » a Deo data est, vi cuius castus, curis corporis expers, veluti angelus Deo servire debuisset. Post lapsum « legem iustitiae », in lege mosaica accuratius promulgatam accepit. Hanc legem Christus abrogavit et « legem perfectionis » Adae datam restituit, iuxta verba : *primi facti sunt novissimi et novissimi primi*[6]; prima enim lex erat « perfectionis », per Christum facta novissima seu ultima; secunda erat « iustitia », seu mosaica, quae cum a Christo abrogata esset, facta est prima, i. e. oblivioni tradita[7].

11. Placita Auctoris modo adumbrata cum doctrina Ecclesiae partim conveniunt, partim errores periculosos continent. Admittit dona aliqua praeternaturalia Adae divinitus largita : impassibilitatem, dominium in animalia (saltem passivum), immunitatem a laboribus vitaeque curis.

Ex altera parte dona alia Adae a Deo data valde exaggerat. Gratiam nimirum sanctificantem, Adae a Deo infusam, quam verbis Geneseos : *spiraculum vitae*[8] indigitatam esse putat, non solum internum iustificationis principium, sed omnium charismatum complexum autumat, cum Spiritu Paraclito identicum, quem et Apostoli acceperint, eumque non solum *sanctitatis* sed et *perfectionis principium* in Adam concipit, vi cuius terrestria transcendens in caelo cum angelis moratus sit. Error per se non adeo gravis, dummodo caelum non sensu litterali intelligatur. At Auctor notionem Adae sanctitatis pervertit, quando e Patre humani generis monachum facit nudum, vel potius gymnosophistam, quietismo absoluto deditum, semper orantem, laboremque corporalem, ut rem foedam aspernantem, idem vitae institutum ipsi Salvatori tribuens. Haec doctrina a mente christianismi aliena Scripturae tota quanta adversatur; quanam vero ratione eam Auctor cum narratione biblica componere voluerit, inferius ostendetur.

Aliquam difficultatem parat quaestio, quid Noster de paradiso senserit. Adam enim saepenumero in « paradiso » « in Eden », « in Ierusalem superna », « in caelo » Deum cum angelis laudasse et « de caelo ad terram decidisse » affirmat. Primo igitur obtutu eorum opinionem sequi videtur, qui narratio-

[1] Serm. XXVIII, 8 sq. — [2] Cf. Ephes. I, 10. — [3] Serm. XXI, 7. — [4] Matth. XIII, 27.
[5] Serm. XXIII, 1. — [6] Matth. XX, 16.
[7] Serm. XXVI, 5. — [8] Gen. II, 7.

nem biblicam allegorice interpretantes Paradisum in caelis collocarunt[1]. Vix tamen credibile est Auctorem meram aliquam spiritualem existentiam Adae tribuisse. Hoc ideo improbabile est, quia de dominio Adae in animalia agit; unde concludendum erit eum nomine paradisi, Eden, Ierusalem supernae non locum aliquem materialem designasse, sed, uti videtur, contemplationem rerum caelestium et ad eius mentem Adam *anima*, vel potius *mente,* non corpore caelum inhabitasse[2].

Si ea perpendantur, quae ad mentem Nostri de duplici mundo intellectuali eiusque imagine, materiali, atque de doctrina ἀνακεφαλαιώσεως iam superius dicta sunt, non est difficile definire nexum harum sententiarum mutuum. Adam nimirum in L° G. describitur ut ens corpore et anima praeditum; at

[1] Sententia illa inter Iudaeos sub influxu doctrinae platonicae orta esse videtur. Iam translatores Gen. II, 8, hac in re hallucinabantur. In textu enim hebraico Dominus paradisum מִקֶּדֶם plantasse dicitur, quod Aquila interpretabatur verbis : ἀπ' ἀρχῆς; Symmachos : ἐκ πρώτης; Theodotion : ἐν πρώτοις. Exinde iam auctor Iubilaeorum (II, 7) conclusisse videtur Gan 'Eden die adhuc tertia creationis conditum esse (cf. Rönsch, *Das Buch der Iubiläen*, Leipzig, 1874, p. 268). In libro apocrypho Henoch ex lingua palaeoslavica a Bonwetsch germanice reddito (*Das slavische Henochbuch* in *Abhandlungen der königlichen Ges. der Wissenschaften zu Göttingen,* Berlin, 1896, p. 12), cap. VIII, describitur iter Henoch in caelo tertio, ubi conspexerit « paradisum pulchritudinis ineffabilis ». Etiam *Apocalypsis Baruch* syriaca, IV, 2-4 supponit paradisum in mundo invisibili idearum existere; ceterum loci authentiam Charles in dubium vocavit (v. *The Apocalypse of Baruch,* London, 1896, p. 6). Irenaeus ad quaestionem, ubi ergo primus homo positus sit, respondet : *in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit : « Et plantavit Deus paradisum in Eden contra orientem et posuit ibi hominem, quem plasmavit » et inde proiectus est in hunc mundum non obediens, quo et iustos spiritum habentes translatos esse* vult dicentibus presbyteris et *Paulum asportatum Haer.* V, v, 1; Harvey II, 331). Similia docebant Ophitae : Adam nempe et Evam e paradiso in hunc mundum proiectos esse a Ialdabaoth, cuius praeceptum transgrèssi sint (Irenaeus, *Haer.* I, XXVIII, 4; Harvey I, 234) et Valentinus, qui de septem caelis intellectualibus loquitur, qui sint totidem Angeli, sicut etiam paradisus supra tertium caelum existens sit virtus, Archangelus quartus, cum quo conversatus sit Adam (*Haer.* I, I, 9; Harvey I, 45 sq.). Quem S. Irenaei locum Harvey sententiis ex opere cabbalistico עמק המלך desumptis illustrat. Error sane singularis; docente namque Philippo Bloch (*Geschichte der Entwicklung der Kabbala,* Trier, 1894, p. 67) liber עמק המלך a Iacob Elchanan, circa annum Dñi 1653 exaratus est . Iudaei antiquiores de allegorica paradisi interpretatione vix quidquam tradunt. In commentario *Berešith Rabba,* par. 15, n. 4, R. Samuel bar Nachmani reiicit sententiam eorum, qui verbo מקדם paradisum ante creationem mundi factum esse intelligant; par. 21, n. 7, ubi de eiectione Adae agitur e paradiso, Rabbi Iehuda duplicem paradisum distinguit : alium in hoc mundo situm, alium in futuro et Adam ex utroque eiectum esse dicit; *ib.* n. 14, iuxta aliam sententiam Gehenna die secunda, Gan 'Eden (paradisus) die tertia creatum esse refertur. Speculationes Iudaeorum circa paradisum inferiorem et superiorem (cf. Eisenmenger, *Entdecktes Iudenthum,* Königsberg, 1711, t. II, 296 sq.) posterioris sunt aetatis.

[2] Cf. Serm. XXIV, 4.

eius corporeitas adeo extenuatur, ut ei Auctor ipsas functiones vitae vegetativae denegasse videatur, uti usum cibi et generationem, quorum loco Auctor interventionem aliquam divinam supponit, ad conservandam vitam individui humani specieique immediate, modo scilicet miraculoso, concurrentem. Adam ex eius mente ad hunc mundum eatenus tantum pertinuit, quatenus corpore hac in terra degebat; at mente quasi extra se raptus et in iugi quadam extasi constitutus semper in mundo invisibili, inter angelos versabatur, i. e. rationali eius parte spectata totus ad mundum supernum illum pertinebat, cuius mundus inferior mera imago sit imperfecta. Verum, Adam vitam aliquam visionariam et pure contemplativam agens non potuit sibi victum et vestitum comparare : haec ei ab angelis subministrabantur, Adam « pane de caelo » nutrientibus. Adam igitur veluti gymnosophista indicus describitur, totus contemplationi deditus, laborem corporalem anxie fugiens.

12. Haec doctrina Scripturae certe non est. Conceptum perfectionis aprioristicum ope doctrinae ἀνακεφαλαιώσεως ad primum Adam refert Auctor, verba S. Pauli Ephes. I, 10 allegans, quibus Christus omnia « innovasse » dicatur. Hinc infert vitam Christi, utpote Adae alterius, nil nisi *repetitionem*, seu *recapitulationem* esse vitae Adae primi adhuc innocentis, contemplationi rerum caelestium dediti vitamque angelicam agentis, unde ad materialia prolapsus defecerit. Attamen ἀνακεφαλαιώσεως doctrinâ solâ placita Nostri adhuc non explicantur, nam vitae Christi et redemptionis conceptus in L° G. obvius non minus arbitrarius est, ac eiusdem ad Adam primum relatio; hinc inferendum est Auctori vitae quoddam institutum concretum ethico-philosophicum praeluxisse, quod perfectionis culmen habens ad ambos Adam — terrenum primum, caelestem, ceu Christum alterum — retulit. Quale autem hoc vitae genus fuerit, divinare difficile non est. Adam ex mente Auctoris anachoretarum primus erat; vitae vero ratio, quam ei adscribit, erat vitae solitariae institutum, quod in Oriente inde a saeculo IV percrebuerat et culmen perfectionis haberi coepit. Praesuppositiones quidem philosophicae conceptus huiusce perfectionis per scholas Neoplatonicorum usque ad Philonem Iudaeum pertingunt; nam etiam Neoplatonici quidam eandem docuere animae humanae ab ordine caelesti primordialem apostasiam utpote peccati et miseriae humanae causam[1]; attamen eorum placita in animarum praeexistentia fundata

[1] Plotinus v. g. putavit animas a mundo intelligibili declinantes in caelum procedere ibique acceptis corporibus per ipsum in corpora magis terrena labi. Et alias quidem a caelo in corpora inferiora atque vicissim, alias vero ab aliis in alia transire (μετεμψύχωσις) quippe cum his facultas non contingat se hinc attolendi, propter pondus atque oblivionem plurimum trahentes secum, quo gravante per inferiora praecipitentur. Differentes fieri animas inter se, vel ob diversitatem corporum quibus insinuantur, vel ob fortunas, vel ob educationes, vel ob alias causas, quas fato, εἱμαρμένῃ adscribit (*Enneadis* IV, III, 15, ed. Creuzer et Moser, Parisiis, 1896, p. 208). Multas dein animas eandem sortem subire

ab Ecclesia tolerari haud poterant. Hinc evenit, ut Patres saeculi IV relictis Origenis placitis, qui doctrinam de praeexistentia animarum ad peccatum originale explicandum adoptavit et systemati suo adaptavit, ad Philonem recurrentes sententias de statu Adae primordiali L[i] G. persimiles proposuerint.

Philo nimirum Scripturae narrationem de creatione hominis allegorice interpretatus sub paradiso vim animae intellexit myriadibus opinionum plenae, arbore vero pietatem significari arbitrabatur, a qua homo ad arborem scientiae boni et mali defecerit, i. e. ad prudentiam, cuius ope discreverit res natura contrarias[1]. Causam vero ruinae hominis primi mulierem fuisse

ait, sicut gubernatores navigiorum fluctuantium, qui sui obliti vix animadvertant se in eo discrimine constitutos submersum iri : tales nimirum animas a se discedentes quam plurimum demum arctius detineri fascinationis vinculis, naturae cura devinctas (*ib.* n. 17, p. 210). Quod fieri, quando animae singulae caelo derelicto sui iuris esse velint; tunc enim animam seiunctam desolari impotentemque factam negotiis distrahi. Licet igitur animae ad perfectionem universi descendant, etiamsi hoc aliqua necessitate fiat, ex mente Plotini ea necessitas non excludit voluntarium ex parte animae, nam anima corpori adiuncta motu proprio vadens et interea deteriora patiens dicitur pro his, quae fecit, merita reportare (*Enn.* IV, VIII, 4 sq., p. 289 sq. Cf. Zeller, *Die Philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwicklung*, III. Theil, II. Abtheilung : *Die nachsokratische Philosophie*[4], Leipzig, 1903, pp. 627-632). Plotinus malam esse opinatur animam, si commixta sit corpori simulque cum ipso patiatur et per omnia cum illo opinione consentiat (*Enn.* I, II, n. 3, p. 10). Causam vero, cur animae, quae sint divinae sortis deique omnino, dei patris obliviscantur ignorantes se ipsas et illum, esse audaciam, generationem, primam diversitatem et, quia voluerint sui iuris esse. « Postquam igitur libertate hac, sive licientia delectari coeperunt, fretae plurimum suo quodam ex se ipsis movendi munere et iter contrarium ineuntes factaeque iam remotissimae iam se ipsas illic exortas esse prorsus ignorant, velut pueri statim nati a parentibus segregati proculque diutius educati et se et parentes ignorant. Cum igitur neque patrem neque se ipsas videant, suique generis ignorantia se parvi faciant honorantes alia et, quidquid occurrit magis, quam se, admirantes, atque stupidae hinc et admirabundae pendentes, nimirum se iam longissime proiecerunt disiunxeruntque a patre atque se ipsis, dum scilicet ea, a quibus nimium aversae sunt, parvi facerent... Cum igitur deteriorem se ipsam rebus nascentibus et occidentibus existimet (sc. anima), ideoque abiectissimum quiddam maximeque caducum omnium, quae honorat, esse se putet : merito neque dei naturam neque potentiam animo concipit » (*Enn.* V, I, 1, p. 298). Cf. Koch, *Pseudo-Dionysius Areopagita in seiner Beziehung zum Neoplatonismus und Mysterienwesen,* Mainz, 1900, p. 135 sqq.). Eisdem causis lapsum Adae in L° Gr. tribui mox videbimus. Idem etiam remedium lapsus extenuata activitate Christi salvifica utrobique commendari, ubi de doctrina soteriologica L[i] Gr. erit sermo, ostendetur.

[1] *De mundi opificio*, n. 54 (ed. Mangey, p. 57) : ... ὡς ἔοικεν αἰνίττεται, διὰ μὲν τοῦ παραδείσου τὸ τῆς ψυχῆς ἡγεμονικὸν, ὅπερ ἐστὶ κατάπλεων οἷα φυτῶν, μυρίων ὅσων δοξῶν· διὰ δὲ τοῦ δένδρου τῆς ζωῆς τὴν μεγίστην τῶν ἀρετῶν, θεοσέβειαν δι' ἧς ἀθανατίζεται ἡ ψυχή· διὰ δὲ τοῦ τῶν καλῶν καὶ πονηρῶν γνωστικοῦ φρόνησιν τὴν μέσην, ᾗ διακρίνεται τἀναντία φύσει. Θέμενος (nempe Deus) οὖν τοὺς ὅρους τούτους ἐν ψυχῇ, καθάπερ δικαστὴς ἐσκόπει πρὸς πότερον ἐπικλινῶς ἕξει. Ὡς δὲ εἶδε ῥέπουσαν μὲν πρὸς πανουργίαν ὁσιότητος δὲ καὶ εὐσεβείας ὀλιγωροῦσαν, ἐξ ὧν ἡ ἀθάνατος ζωὴ ἐπιγίνεται, προὐβάλετο κατ' εἰκὸς καὶ ἐφυγάδευσεν ἐκ τοῦ παραδείσου... κτλ.

autumat; nam amore utrique superveniente cupidinem in eis ortam esse procreandi similem prolem ex mutua consuetudine, dein voluptatem, ex voluptate vero omnia iniquitatum genera; quo factum sit, ut vitam beatam et immortalem cum mortali commutarint[1].

13. Hac doctrina cum priore collata orta est verisimiliter ea sententia, quam de causa primi hominis lapsu invenies in opere S. Athanasii *Contra Gentes* adhuc ante synodum Nicaenam exarato[2]. Ibi habet strenuus orthodoxiae defensor[3] :

[1] *De mundi opificio*, n. 53 (ed. Mangey, p. 35) : Ἐπεὶ δὲ ἐπλάσθη καὶ γυνή, θεασάμενος ἀδελφὸν εἶδος καὶ συγγενῆ μορφήν, ἐνησμένισε τῇ θέᾳ καὶ προσιὼν ἠσπάζετο. Ἡ δὲ οὐδὲν ἐκείνου προσβλέπουσα ζῷον ἐμφερέστερον ἑαυτῇ, γάννυταί τε καὶ ἀντιπροσφθέγγεται μετ' αἰδοῦς. Ἔρως δ' ἐπιγενόμενος, καθάπερ ἑνὸς ζώου διττὰ τμήματα διεστηκότα συναγαγὼν εἰς ταὐτόν, ἁρμόττεται, πόθον ἐνιδρυσάμενος ἑκατέρῳ τῆς πρὸς θάτερον κοινωνίας εἰς τὴν τοῦ ὁμοίου γένεσιν. Ὁ δὲ πόθος οὗτος καὶ τὴν τῶν σωμάτων ἡδονὴν ἐγέννησεν, ἥτις ἐστὶν ἀδικημάτων καὶ παρανομημάτων ἀρχή, δι' οὗ ὑπαλλάττονται τὸν θνητὸν καὶ κακοδαίμονα βίον ἀντ' ἀθανάτου καὶ εὐδαίμονος. Cf. Heinisch, *Der Einfluss Philos auf die älteste christliche Exegese,* Münster, 1908, pp. 169-174.

[2] Probabiliter anno Dñi 318. Cf. Bardenhewer, *Patrologie*[3], p. 212.

[3] *C. Gentes,* n. 2, Migne, *P. G.* t. XXV, col. 5 sq. : Ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐκ ἦν κακία... Ὁ μὲν γὰρ τοῦ παντὸς δημιουργὸς καὶ παμβασιλεὺς Θεός... διὰ τοῦ ἰδίου Λόγου τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὸ ἀνθρώπινον γένος κατ' ἰδίαν εἰκόνα πεποίηκε· καὶ τῶν ὄντων αὐτὸν θεωρητὴν καὶ ἐπιστήμονα διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν ὁμοιώσεως κατεσκεύασε, δοὺς αὐτῷ καὶ τῆς ἰδίας ἀϊδιότητος ἔννοιαν καὶ γνῶσιν, ἵνα τὴν ταυτότητα σώζων, μήτε τῆς περὶ Θεοῦ φαντασίας ποτὲ ἀποστῇ, μήτε τῆς τῶν ἁγίων συζήσεως ἀποπηδήσῃ, ἀλλ' ἔχων τὴν τοῦ δεδωκότος χάριν, ἔχων καὶ τὴν ἰδίαν ἐκ τοῦ πατρικοῦ Λόγου δύναμιν, ἀγάλληται καὶ συνομιλῇ τῷ θείῳ ζῶν τὸν ἀπήμονα καὶ μακάριον ὄντως τὸν ἀθάνατον βίον. Οὐδὲν γὰρ ἔχων ἐμπόδιον εἰς τὴν περὶ τοῦ θείου γνῶσιν θεωρεῖ μὲν ἀεὶ διὰ τῆς αὐτοῦ καθαρότητος τὴν τοῦ Πατρὸς εἰκόνα τὸν Θεὸν Λόγον, οὗ καὶ κατ' εἰκόνα γέγονεν· ὑπερεκπλήττεται δὲ κατανοῶν τὴν δι' αὐτοῦ εἰς τὸ πᾶν πρόνοιαν, ὑπεράνω μὲν τῶν αἰσθητῶν καὶ πάσης σωματικῆς φαντασίας γινόμενος, πρὸς δὲ τὰ ἐν οὐρανοῖς θεῖα καὶ νοητὰ τῇ δυνάμει τοῦ νοῦ συναπτόμενος. Ὅτε γὰρ οὐ συνομιλεῖ τοῖς σώμασιν ὁ νοῦς ὁ τῶν ἀνθρώπων, οὐδέ τι τῆς ἐκ τούτων ἐπιθυμίας μεμιγμένον ἔξωθεν ἔχει, ἀλλ' ὅλος ἐστὶν ἄνω ἑαυτῷ συνὼν ὡς γέγονεν ἐξ ἀρχῆς· τότε δή, τὰ αἰσθητὰ καὶ πάντα τὰ ἀνθρώπινα διαβάς, ἄνω μετάρσιος γίνεται, καὶ τὸν Λόγον ἰδών, ὁρᾷ ἐν αὐτῷ καὶ τὸν τοῦ Λόγου Πατέρα, ἡδόμενος ἐπὶ τῇ τούτου θεωρίᾳ, καὶ ἀνακαινούμενος ἐπὶ τῷ πρὸς τοῦτον πόθῳ· ὥσπερ οὖν τὸν πρῶτον τῶν ἀνθρώπων γενόμενον, ὃς καὶ κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν Ἀδὰμ ὠνομάσθη, λέγουσιν αἱ ἱεραὶ Γραφαὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν ἀνεπαισχύντῳ παρρησίᾳ τὸν νοῦν ἐσχηκέναι πρὸς τὸν Θεόν, καὶ συνδιαιτᾶσθαι τοῖς ἁγίοις ἐν τῇ τῶν νοητῶν θεωρίᾳ, ἣν εἶχεν ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ, ὃν καὶ ὁ ἅγιος Μωϋσῆς τροπικῶς παράδεισον ὠνόμασεν. Ἱκανὴ δὲ ἡ τῆς ψυχῆς καθαρότης ἐστὶ τὸν Θεὸν δι' ἑαυτῆς κατοπτρίζεσθαι, καθάπερ καὶ ὁ Κύριός φησι· Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται.

Οὕτω μὲν ὁ Δημιουργός... τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος κατεσκεύασε, καὶ μένειν ἠθέλησεν· οἱ δὲ ἄνθρωποι κατολιγωρήσαντες τῶν κρειττόντων καὶ ὀκνήσαντες περὶ τὴν τούτων κατάληψιν, τὰ ἐγγυτέρω μᾶλλον ἑαυτῶν ἐζήτησαν. Ἐγγύτερα δὲ τούτοις ἦν τὸ σῶμα καὶ αἱ τούτου αἰσθήσεις. Ὅθεν τῶν μὲν νοητῶν ἀπέστησαν ἑαυτῶν τὸν νοῦν, ἑαυτοὺς δὲ κατανοεῖν ἤρξαντο. Ἑαυτοὺς δὲ κατανοοῦντες, καὶ τοῦ τε σώματος καὶ τῶν ἄλλων αἰσθητῶν ἀντιλαμβανόμενοι, καὶ ὡς ἐν ἰδίοις ἀπατώμενοι, εἰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίαν ἔπεσαν, τὰ ἴδια προτιμήσαντες τῆς πρὸς τὰ θεῖα θεωρίας· ἐνδιατρίψαντες δὲ τούτοις, καὶ τῶν ἐγγυτέρων μὴ ἀποστῆναι θέλοντες, ταῖς μὲν τοῦ σώματος ἡδοναῖς συνέκλεισαν ἑαυτῶν τὴν ψυχήν, τεταραγμένην καὶ πεφυρμένην πάσαις ἐπιθυμίαις... κτλ.

Principio quidem malitia non fuit... Nempe mundi opifex et omnium moderator Deus... ut vere bonus ac summe benignus per proprium Verbum et Salvatorem nostrum Iesum Christum humanum genus ad propriam imaginem fecit, qua illa secum similitudine hominem ad rerum naturam cognoscendam et contemplandam aptum reddidit. Hinc propriae etiam aeternitatis cogitationem et cognitionem eidem impertivit, ut videlicet hac conservata similitudine nunquam cogitationem a Deo averteret, neque a sanctorum convictu discederet, sed datam Dei gratiam et propriam ex paterno Verbo vim infusam retinens exultaret et cum Deo familiariter viveret securamque ac vere beatam immortalem vitam duceret. Nam si nulla re a Dei cognitione impediatur animae munditia, Patris imaginem, Deum Verbum, ad cuius quoque imaginem factus est, semper contemplatur, maximaque admiratione afficitur, cum Providentiam, qua mundus per ipsum administratur, intelligit. Ita rebus quidem, quae sub sensus cadunt et corporeae sunt, excelsior efficitur, cum his vero vi mentis coniungitur, quae caelestes ac divinae sunt solaque intelligentia comprehenduntur. Cum enim corporibus mens humana non adhaerescit, neque aliquid ex eorum cupiditate extrinsecus admistum habet, sed tota ipsa sursum secum est, sicuti initio facta est : tunc ea, quae sensus movent, omniaque humana transcendens in sublime fertur Verbumque et in Verbo Verbi Patrem videt, cuius contemplatione delectata suo erga illum amore et desiderio renovatur : quemadmodum utique primum hominem, qui hebraea lingua Adam dictus est, sacrae Scripturae narrant initio summa cum libertate et fiducia mente Deo adhaesisse sanctorumque societate et consuetudine potitum fuisse in illa rerum caelestium contemplatione, qua illo in loco fruebatur, quem sanctus Moyses tropo quodam paradisum appellavit. Animae enim munditia eam ad Deum per seipsam contuendum idoneam reddit, uti ipse Dominus ait (Matth. v, 8) : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Sic ergo Creator hominum genus condidit, quos etiam in eo statu perseverare voluit. At illi rebus potioribus neglectis ignavique et inertes ad illas intelligendas effecti, sese ad ea, quae sibi propiora erant, convertere. Haec autem corpus et sensus corporis erant. Itaque homines mentem et cogitationem a rebus caelestibus avocaverunt et seipsos contemplari coeperunt. Seipsos autem contemplando corporique aliisve rebus, quae sensus movent, inhaerendo ac velut in propriis decepti in sui cupiditatem delapsi sunt propriis rebus divinarum contemplationi antepositis. In his porro commorantes nolentesque a proximis sibi rebus recedere, suam animam omni cupiditatum genere turbatam et inquinatam corporis voluptatibus constrinxere etc.

S. Athanasius in statu Adae primordiali describendo cum L° G. in eo convenit, quod fontem beatitudinis naturae integrae in contemplatione ordinis intelligibilium seu metaphysici situm fuisse arbitratur. Differt a doctrina L° G., quatenus allegorica Geneseos interpretatione gratias praeternaturales Adae concessas adeo extenuat, ut alibi Adam nihil amplius ceteris

habuisse vel a posteris differre asseruerit, nisi quod solus hominum a Deo formatus sit[1].

14. Similia docet, multo tamen brevius, S. Gregorius Nyssenus, cuius scripta hinc inde etiam de statu hominis primordiali notulas sparsas exhibent.

In opere, cui inscribitur *De virginitate,* S. Pater : Finis, ait, vitae Christianae est, divinae imaginis, quae carnis sordibus modo obscurata est, in integrum restitutio. Hoc igitur fieri debemus, quod initio vitae suae erat πρωτόπλαστος. Quidnam igitur ille erat? Nudus erat, necdum mortuis pellibus amictus, libere autem vultum Dei intuens nec bonum gustu et visu discernens, sed in solo Domino delectabundus et in hoc dato sibi adiutorio utens, sicut innuit divina Littera, eum non prius eam cognovisse, nisi postquam a paradiso expulsus est, ipsa ob peccatum, quod circumventa perpetraverat, dolorum partus supplicio damnata[2].

Igitur S. Pater — perinde ac L. G. — ope doctrinae ἀποκαταστάσεως definit statum naturae integrae et hac methodo infert protoplastos vitam innocentem, castam contemplativamque egisse. Simili modo ratiocinatur in opere *De opificio hominis,* ubi ad eandem ἀποκαταστάσεως doctrinam recurrens duas sententias falsas refutare intendit. Alia eorum est, qui contra ἀποκαταστάσεως doctrinam eam ob rationem moveant difficultatem, quod protoplasti in paradiso cibo materiali usi esse dicantur, quod in restitutionis statu non contingat. S. Pater respondet in Scriptura non agi de cibo materiali, cum verba Scripturae alium quoque sensum cibi admittant. Cibum autem protoplastorum spiritualem fuisse contendit, lignum vitae, ceu Sapientiam, quae sit teste Salomone[3]

[1] *De decretis Nicaenae synodi,* n. 8 in fine (Migne, *P. G.* t. XXV, col. 437/8) : Ἀδὰμ μόνος ὑπὸ μόνου τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ Λόγου γέγονεν· ἀλλ' οὐκ ἐν τῷ πάλιν τὸν Ἀδὰμ πλέον τι τῶν πάντων ἀνθρώπων ἔχειν, ἢ διαφέρειν τῶν μετ' αὐτὸν ἄν τις φήσειεν, εἰ μόνος μὲν αὐτὸς ὑπὸ μόνου τοῦ Θεοῦ πεποίηται κτλ. Ad locum cf. Schwane, *Dogmengeschichte* [2], t. II, p. 443. Ex his Athanasii verbis certe non sequitur nos peccato originali obnoxios non esse, sed utique liquet Athanasium nulla dona praeternaturalia Adae admisisse, prouti de his rebus loco superius laudato prorsus tacetur. Praeterea, spectata interpretatione allegorica Geneseos, in qua omnia, quae allegavimus, fundantur, prorsus incredibile est Athanasium privilegia ulla corporalia Adae unquam tribuisse, cum notionem paradisi ad meram contemplationem rerum divinarum reduxisset.

[2] *Bibliothek der Kirchenwäter hsg.* v. Fr. Oeler. *Gregr. v. Nyssa,* B. IV, p. 89 : Εἰ οὖν αὕτη ἐστὶν ἡ ἐπίνοια τῆς τοῦ ζητομένου εὑρήσεως, ἡ τῆς θείας εἰκόνος εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀποκατάστασις, τῆς νῦν ἐν τῷ τῆς σαρκὸς ῥύπῳ κεκαλυμμένης, ἐκεῖνο γενώμεθα ὃ ἦν παρὰ τὴν πρώτην ἑαυτοῦ ζωὴν ὁ πρωτόπλαστος. Τί οὖν ἐκεῖνος ἦν; γυμνὸς μὲν τῆς τῶν νεκρῶν δερμάτων ἐπιβολῆς, ἐν παῤῥησίᾳ δὲ τὸ τοῦ Θεοῦ πρόσωπον βλέπων· οὔπω δὲ διὰ γεύσεως καὶ ὁράσεως τὸ καλὸν κρίνων, ἀλλὰ μόνον τοῦ κυρίου κατατρύφων, καὶ τῇ δοθείσῃ βοηθῷ πρὸς τοῦτο συγχρώμενος, καθὼς ἐπισημαίνεται ἡ θεία γραφή, ὅτι οὐ πρότερον αὐτὴν ἔγνω, πρὶν ἐξορισθῆναι τοῦ παραδείσου, καὶ πρὶν ἐκείνην ἀντὶ τῆς ἁμαρτίας ἣν ἀπατηθεῖσα ἐξήμαρτε, τῇ τῶν ὠδίνων τιμωρίᾳ κατακριθῆναι. (Cf. Migne, *P. G.* t. XLVI, col. 374 c).

[3] Prov. III, 18.

ipse Dominus[1]. Alia sententia a S. Gregorio reprobata vicissim eorum erat, qui peccatum protoplastorum generi humano utile fuisse autumarent, cum secus animae humanae in paradiso multiplicatae non essent. Nulla enim, dicebant, in Scriptura mentio fit generationis et parturitionis ante lapsum Adae. S. Pater hanc doctrinam refutaturus pariter ad doctrinam ἀποκαταστάσεως recurrit. Dño etenim teste — ita ratiocinatur — in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Deique filii, cum sint filii resurrectionis. Atqui resurrectionis gratia nil aliud est, nisi εἰς τὸ ἀρχαῖον τῶν πεπτωκότων ἀποκατάστασις, i. e. restitutio in integrum; si igitur in hac restitutione similes futuri simus angelis, in statu naturae integrae olim eis nos similes fuisse necesse est : igitur in paradiso homines non via matrimonii, sed modo aliquo alio multiplicati essent, si homo non peccasset[2]. Eandem igitur supponit legem castitatis Adae impositam, quae in L° Gr. « lex perfectionis » dicitur. Sed in alia adhuc doctrina convenit cum L° Gr.

Gregorius etenim Nyssenus iuxta axioma « per quam causam aliquid fit per eamdem solvitur » — quod de lapsu animae intellectum iam pridem sic expressit Porphyrius[3] : Ψυχὴ καταδεῖται πρὸς τὸ σῶμα τῇ ἐπιστροφῇ τῇ πρὸς τὰ πάθη, τὰ ἀπ' αὐτοῦ· καὶ λύεται δὲ πάλιν διὰ τῆς ἀπ' αὐτοῦ ἀπαθείας, — nos ad pristinam beatitudinem eadem via reverti posse asseruit, qua cum protopatre damnati paradisum amisimus. Sicut igitur voluptas fraude a peccato inducta initium erat lapsus finisque eius matrimonium : nobis a patria peregrinantibus ab ultimo stadio lapsus est incipiendum iter ad illum ferens locum, unde profecti sumus, id est, a matrimonio, quo relicto dein a colenda terra segregari debemus et demum carnis prudentia exuta, quasi veste, qua Adam e paradiso pulsus indutus est, iterum ad Christum redire poterimus[4].

Haec omnia etiam L. G. docet; discrimen autem maximum intercedit inter doctrinam S. Patris Nostrique. S. Gregorius enim, dum doctrinae ἀποκαταστάσεως innixus virginitatem, tamquam restitutionis in integrum exordium summopere commendat, matrimonium tantum abest ut damnet, quin etiam divinam eius institutionem eiusque honestatem contra haereticos defendat[5] nec unquam salutis spem constitutis in matrimonio deneget, dum L. G. diversos salutis gradus in caelo dari asserens, homines in matrimonio viventes ob inhaerentem eis maculam a visione beatifica Dei excludit eisque exiguam aliquam salutis speciem adiudicat, uti inferius ostendetur.

[1] *De opificio hominis*, cap. XIX (ed. Oeler, *o. c.* t. III, p. 113 sq.; cf. Migne, *P. G.* t. XLIV, col. 195-198).

[2] *De opificio hominis*, cap. XVIII sq. (ed. Oeler, t. III, p. 112-115; cf. Migne, *P. G.* t. XLIV, col. 195-198).

[3] *Sent.* VII (in ed. opp. Plotini citata, p. XXXI, 23).

[4] *De virginitate,* cap. XII (ed. Oeler IV, 89; Migne, *P. G.* XLVI, col. 373 sqq.).

[5] *Ibid.,* cap. VIII (ed. Oeler IV, 57; Migne, *P. G.* XLVI, 353 sq.).

Sed quaeres, qui fiat, ut non obstante praemissarum similitudine, ne dicam identitate, L. G. ad alias conclusiones pervenerit? Responsum in promptu est. S. Pater nimirum ἀποκατάστασιν demum in resurrectione futuram esse docet. ita tamen, ut non omnes eidem vitae restituantur, sed pro diverso puritatis gradu, quam in hac vita consecuti sint, post resurrectionem brevius diutiusve purgandi sint, donec deletis eorum maculis Deo salventur [1]. S. Pater igitur virginitate et ascesi commendata non docet eos, qui hasce virtutes non exercuerint, salvari non posse, sed iam hac in vita purgatos in vita aeterna Deo statim unitum iri, alios vero heic impuros demum detersis igne maculis salutem consecuturos. Aliter L. G., ubi ἀποκατάστασις iam hac in vita ponitur eo sensu, quod nisi quis ad statum naturae innocentis ope asceseos redierit, post mortem ad Dei visionem admittendus non sit, cum ex mente Auctoris defunctorum animae macula infectae peccati, cum Deo uniri nequeant.

Vestigia similis doctrinae de statu naturae integrae etiam apud S. Basilium inveniuntur, qui Adam cum superis conversatum esse, non loco, sed animo, eundem victum cum Archangelis comedisse, omnibusque bonis satiatum esse docuit [2].

15. Sed non solum apud Patres Ecclesiae graecae ideis aliquando neoplatonicis imbutos huiusmodi placita ferebantur, sed etiam in Ecclesia syriaca, quamquam ob raritatem documentorum ante saeculum VI fere nulla huius rei testimonia nobis praesto sunt.

Testem doctrinae huius antiquissimum inter Syros habemus Philoxenum Mabugensem, qui in opere ascetico *De perfectione christiana,* Sermone XII ubi de fornicatione agit, sententiam suam de vita Adae caelesti, doctrinae L[i] Gr[um] simillimam proponit, quam propterea operae pretium existimamus integram adducere [3].

[1] *Oratio catechetica,* cap. xxxv (ed. Oeler, t. II, p. 131; Migne, *P. G.* t. XLV, col. 92. Ad locum cf. Schwane, *Dogmengeschichte*[2], II, p. 605).

[2] *Quod non est Deus auctor malorum,* cap. vii.

[3] *The Discourses Philoxenus.* Ed. Budge, vol. 1, pag. 500 : [illegible]

Philoxenus in sermone laudato de stimulo agit sexuali et asserit : bene quidem naturae humanae instinctum carnalem generandi a Deo inditum esse ad propagandum genus humanum, subdit autem : post praeceptum Dei contemptum motus inordinatos sexuales in humana ortos esse natura, ob quos mens Adae de saeculo spiritali superno ad res corporales delapsa sit.

Typi enim, inquit, *ambarum conversationum in primordiis generis nostri apparuere : spiritualium et corporalium atque mundi spiritualis et corporalis ac Adae primi et Adae novissimi. Etenim antequam manducassent escam praevaricationis mandati, ex qua orta est etiam concupiscentia, quae in membris latebat, tota conversatio ipsorum spiritualis erat, et modo spirituali movebantur in rebus omnibus : sanctis cogitationibus, mente pura, scientia Deo digna, intellectu mundo, a motibus foedis concupiscentiae purificato. Vita ipsorum in medio paradiso ad imaginem exercituum spiritualium efformata erat, cum sola specie corporali apparerent, occulte vero scientia spirituali in caelo habitarent. Spiritualia enim initio gustare fecit Adam Creator, nam heredem eorum volebat eum fieri. Quamquam enim res mundanae omnes verbo utique Factoris factae ac conditae sunt : tamen eas liberum Adae arbitrium appetiit et voluntarie eis adhaesit.*

Quod constat ex esu fructus, qui evenit in praevaricatione praecepti; esus enim fructus huius initium erat omnium concupiscentiarum teste doctore nostro Apostolo dicente (Rom. VII, 7) : « *Ne concupiscentiam quidem nossem, si Lex non dixisset : Non concupisces. Hoc enim praecepto peccatum occasionem invenit consummare in me omnem concupiscentiam* ». *Proinde relate ad nos prior erat concupiscentia spiritus, quam carnis, sicut ostendit historia initii generis nostri. Etenim de summo ad imum descendit Adam et de concupiscentia spirituali delapsus est ad concupiscentiam carnalem et de conversatione caelicolarum prostitutus est ad conversationem terrigenarum et a visione pulchritudinis Dei insatiabili conversus est ad intuendam pulchritudinem uxoris suae. Priusquam enim ad exteriores res conversus esset, exteriora non apparuere ipsi; et antequam animam ad res mundanas applicuisset, appetibilia mundi non stetere coram intuitu eius, quorum omnium causa exordiumque erat esus fructus; eademque ratione, sicut illic e ventre ortae sunt omnes concupiscentiae : sic et nunc illinc incipiunt cuntae nequitiae.*

Uti ex opere Moysis Bar Kephae, cui inscribitur « *De Paradiso*[1] » comper-

ܠܗ ܗ̈ܘܝ ܒܪ̈ܝܢ : ܘܥܕܡܐ ܕܗܦܟ ܢܦܫܗ ܠܘܬ ܥܠܡܐ : ܠܐ ܐܩܝܡܘ ܩܕܡ ܚܙܬܗ ܪ̈ܓܝܓܬܗ ܕܥܠܡܐ : ܗܠܝܢ ܕܗܘܬ ܥܠܬܐ ܘܡܫܪܝܬܐ ܠܟܠܗܘܢ
ܡܐܟܘܠܬܗ ܕܦܐܪܐ. ܘܐܝܟܢܐ ܕܬܡܢ ܕܐܝܟ ܡܢ ܟܪܣܐ ܐܬܝܠܕ ܟܠܗ ܪ̈ܓܝܓܬܐ : ܗܟܢܐ ܐܦ ܗܫܐ ܡܢ ܬܡܢ ܡܫܪ̈ܝܢ ܟܠܗ ܒܝ̈ܫܬܐ ܀

[1] Moše bar Kepha episcopus dioeceseon unitarum Bêt Ramâm et Bêt Kionaya natus est a. 815 in vico Balad, mortuus a. 903. Opera ab ipso composita praecipua sunt : *Liber de Paradiso,* a Ioanne Masio translatus et a Renaudot in op. *Liturgiarum orientalium collectio,* Parisiis, 1716, parte II, pag. 398 editus atque in *Patrologia Graeca* a Migne reimpressus vol. CXI, col. 480-608. *Liber de anima* germanice translatus ab O. Braun in op. : *Moses Bar Kepha und sein Buch von der Seele.* Freiburg im Br., 1891. Commentariorum in Libros SS. fragmenta in Cod. Add. 17,274 (cf. Wright, *CBM* p. 620)

tum habemus, inter Iacobitas doctrinas de paradiso placitis L^{i} Gr^{um} persimiles alii quoque doctores Syrorum proposuerunt. Parte enim prima operis laudati cap. VII, dicit : *Sunt, qui in caelo paradisum esse putent, eo quod divus Apostolus de se ipso dicat raptum se fuisse in caelum et in paradisum*[1]. Cap. XIX vero eorum refert sententiam, qui putent « *non fuisse arborem id, de quo gustavit Adam, sed venereum amplexum, quo cum uxore ille corpus miscuit; eamque ob rem aiunt partum mulieris esse per Dei sententiam doloribus factum obnoxium; neque aliud voluisse illud praeceptum : Ne edatis de illa arbore, quam : Ne coeatis, sed sancte et absque omni venere vivatis; et : Quo die illa edetis, morte moriemini, id esse : quo die corpora miscebitis*[2]. Hanc quidem sententiam Moyses Bar Kepha reiicit; praeeunte autem S. Gregorio Nysseno[3] putat observato Dei praecepto homines mirabili quodam modo, absque carnis concupiscentia multiplicatum iri potuisse[4]. Moyses ipse paradisum corporalem esse contendit *et hunc unicum eumque unum paradisum duplicis esse conditionis : corporeae et incorporeae, sive et eius, quae sensu, et eius, quae ratione intelligentiaque mentis percipiatur*[5]. Eam mysticam paradisi interpretationem parte operis secunda proponit, ubi paradisum mysticum (cap. II) sic definit : *Paradisus spiritualis, sive mysticus, vita est spiritualis, quae animo agitatur, plena summae temperantiae atque sanctitatis et perpetuis meditationibus rerum divinarum earumque, quae sunt a Deo conditae, addicta, atque omnino vita beata et angelica, procul ab omnibus animi perturbationibus, anxietatibus, suspiriis, luctu remota, atque cum gaudio, laetitia, exultatione coniuncta, itaque pollens potensque, ut radios atque splendorem divinarum notionum concipere queat, quippe qui in hoc paradiso versantur, in summa vivunt beatitudine atque creatorem Deum eiusque creaturas mente contemplantes oblectantur. Nam et supernae copiae angelicae illic habitant; et Adam Evaque, antequam adversum Dei mandatum fecissent, ibidem morabantur*[6].

Ea interpretatio bifaria paradisi apud patres Graecos, ni fallor, primo apud S. Ioannem Damascenum accuratius proponitur, qui Adam corpore quidem in regione amoenissima, animo autem in sublimissa habitasse opinatur[7].

adhuc inedita sunt. De aliis eiusdem auctoris scriptis v. R. Duval, *La littérature syriaque*, ed. II, Paris, 1900, p. 319 sq. Assemani, *Bibl. Orient.* II, p. 127 sqq.

1 Migne, *P. G.* CXI, col. 491. — 2 *O. c.* col. 504.

3 Περὶ κατασκευῆς ἀνθρώπου, cap. 17 sq. (Ed. Oehler III, 103-113).

4 Migne, *P. G.* CXI, col. 516. — 5 *O. c.* col. 488.

6 *O. c.* col. 583. Cf. definitionem apud antiquos celeberrimam Euagrii Pontici (*Capita practica ad Anatolium*, Migne, *P. G.* XL, col. 1221) : Βασιλεία οὐρανῶν ἐστὶν ἀπάθεια ψυχῆς μετὰ γνώσεως τῶν ὄντων ἀληθοῦς.

7 Etiam S. Ioannes Damascenus refert duplicem de Paradiso dari sententiam : eorum, qui Paradisum locum sensibilem existiment, et eorum, qui solum Paradisum spiritualem admittant; dein suam subdit sententiam dicens (*De fide orthodoxa* II, 11) : πλὴν ἐμοί γε δοκεῖ, ὅτι ὥσπερ ὁ ἄνθρωπος αἰσθητὸς ἅμα καὶ νοητὸς δεδημιούργητο, οὕτω καὶ τὸ τούτου ἱερωτάτου

Vestigia eiusmodi doctrinarum inter Nestorianos quoque occurrunt. Išoʿdad episcopus Ḥadetensis[1] in *Commentario* in Genesim adhuc inedito ad verba : *et aperti sunt oculi amborum* hancce glossam addit, quam e Codice Or. 4,524, fol. 23ᵇ Musei Britannici excerptam heic adiicimus.

Alii autem, quod « aperti sunt » aiunt « oculi », non quasi caeci fuerint, sed quod in ordine angelorum creati sint sine passibilitate et in θεωρίᾳ *spiritualium fuerint. Postquam vero praevaricati sint praeceptum, descendisse de* θεωρίᾳ *ad* θεωρίαν *corporum et exinde conspexisse nuditatem alterutrius et commotos esse cupidine alterutrius. In membris autem genitalibus accepisse primo pudorem, quia acris sit potensque lubricitas naturae, qua ad* μίξιν *cum mulieribus pellamur. Ne igitur veluti animalia re vera ad coitum feramur, praeposuisse pudorem membro coeundi, ut habenae instar ipse pudor eos retrahat ab impetu cupidinis lascivae*[2].

Similis traditionis mentionem facit Salomo, episcopus Baṣrensis in *Libro Apis*, cap. xv[3].

Omnibus fere locis patristicis heic laudatis subest idea philosophica neoplatonica : animas in corpora descendentes ibidem coinquinari et proinde purgatione indigere, ut labe macularum solutae ad Numen divinum redire possint. In scriptis Patrum citatis doctrina superius exposita originem suam prodit iam eo, quod Patres saeculi IV in describendo primi hominis lapsu momentum principale peccati Adae non in praevaricatione praecepti divini posuerint, sed in defectione eiusdem ad mundum materialem; serpens, Evae seductio, etc. obiter tantum commemorantur, nam in eorum systemate theologico momento reapse carebant. Hinc explicatur etiam allegorica expositio historiae protoparentum. Manifestum etenim est ideas philosophicas Neo-

τέμενος αἰσθητὸν ἅμα καὶ νοητὸν καὶ διπλῆν ἔχον τὴν ἔμφασιν· τῷ γὰρ σώματι ἐντῷ θειωτάτῳ χώρῳ καὶ ὑπερκάλλει.... αὐλιζόμενος, τῇ δὲ ψυχῇ ὑπερτέρῳ καὶ περεκαλλεστέρῳ τόπῳ διέτριβε θεὸν ἔχων οἶκον τὸν ἔνοικον.

[1] Vixit circa medium saeculum IX. Totam fere interpretatus est Scripturam (cf. R. Duval, *o. c.* pag. 84 et 87). Glossae ad Vetus Testamentum, ut sciam, in duobus exemplis exstant : Br. M. Or. 4,524 Londini et in Codice patriarchatus graeci num. 10 Ierosolymis (cf. Κατάλογος συνόπτικος τῶν ἐν τῇ βιβλ. τοῦ ἱεροῦ κοινοῦ τοῦ π. τάφου a P. Cl. Koikylide, ed. Berolini, 1898, pag. 11).

[2] ܘܐܬܦܬܚ ܥܝ̈ܢܐ ܕܬܪܝܗܘܢ.... ܐܚܪ̈ܢܐ ܕܝܢ ܗܘ ܠܡ ܕܐܬܦܬܚ ܥܝ̈ܢܐ ܠܘ ܕܣܡܝ̈ܐ ܗܘܘ : ܐܠܐ ܡܛܠ ܕܒܛܟܣܐ ܕܡܠܐܟ̈ܐ ܐܬܒܪܝܘ ܗܘܘ ܒܠܐ ܚܫܐ ܘܒܬܐܘܪܝܐ ܕܪ̈ܘܚܢܝܐ ܗܘܘ. ܟܕ ܕܝܢ ܥܒܪܘ ܥܠ ܦܘܩܕܢܐ : ܢܚܬܘ ܡܢ ܗܝ ܬܐܘܪܝܐ ܠܬܐܘܪܝܐ ܕܦܓܪ̈ܐ. ܘܡܟܝܠ ܚܙܘ ܠܥܪܛܠܝܘܬܐ ܕܚܕ̈ܕܐ ܘܐܬܬܙܝܥܘ ܒܪܓܬܐ ܚܕ ܠܘܬ ܚܕ. ܒܗܕܡ̈ܐ ܕܝܢ ܕܡܘܠܕܢܘܬܐ ܩܒܠܘ ܠܘܩܕܡ ܒܗܬܬܐ. ܡܛܠ ܕܚܪܝܦܐ ܗܘ ܘܚܝܠܬܢܐ ܫܘܪܥܐ ܕܟܝܢܐ ܕܒܗ ܡܬܢܓܕܝܢܢ ܠܡܘܙܓܐ ܥܡ ܢܫ̈ܐ. ܕܠܐ ܗܟܝܠ ܐܝܟ ܚܝ̈ܘܬܐ ܫܪܝܪܐܝܬ ܢܬܬܙܝܥ ܠܘܬ ܙܘܘܓܐ : ܩܕܡ ܣܡܗ ܠܒܗܬܬܐ ܥܠ ܗܕܡܐ ܕܙܘܘܓܐ ܕܐܝܟ ܦܓܘܕܐ ܗܝ ܒܗܬܬܐ ܬܗܦܟ ܐܢܘܢ ܡܢ ܥܘܫܢܐ ܕܪܓܬܐ ܦܩܝܪܬܐ.

[3] Ed. Budge, Oxford, 1886, p. ܦܒ : *Quidam dicunt paradisum esse mentem et arborem scientiae boni et mali cognitionem* [rerum] *existentium et arborem vitae cognitionem rerum divinarum, quae non fuerit utilis puerilitati scientiae Adae*, etc.
ܐܢܫܝܢ ܐܡܪܝܢ ܕܦܪܕܝܣܐ ܗܘܢܐ ܗܘ ܘܐܝܠܢܐ ܕܝܕܥܬܐ ܕܛܒܬܐ ܘܕܒܝܫܬܐ ܝܕܥܬܐ ܕܗܘܝ̈ܐ ܘܐܝܠܢܐ ܕܚܝ̈ܐ ܝܕܥܬܐ ܕܐܠܗܝܘܬܐ ܗܝ ܕܠܐ ܦܩܚܐ ܗܘܬ ܠܫܒܪܘܬܐ ܕܝܕܥܬܗ ܕܐܕܡ.

platonicorum a sensu Scripturae litterali longe abesse; nil igitur supererat, nisi ad allegoricam Scripturae interpretationem recurrere, ut philosophumena sibi tam cara salvare possent.

16. Quae L. G. *De lapsu protoplastorum* docet, intime cohaerent cum eius circa paradisum doctrina. Adam debuisset mente in caelo degisse : quoniam vero noluit caelestis fieri, factus est ὑλικός[1]; defecit ab ordine rerum caelestium et ad terrena conversus rebus saeculi adstrictus est[2]. Idea haec fundamentalis Operis, quae Sermone XV et XXI sat fuse et accurate proponitur, cum toto Libri systemate theologico tam arcte cohaeret, ut de eius sensu ac potentia ad mentem Auctoris accepta dubitari nequeat. Singula autem momenta lapsus Adae — sicut in L° G. describuntur — unitatis ratione carent et ex fontibus diversis hausta videntur. Disparata enim systematis elementa praesentiam suam continuo produnt citatis, quibus Auctor doctrinam suam demonstrare satagit. Porro haec citata ad duas scriptorum species pertinent. Auctor enim praeter Scripturas canonicas opus aliquod spurium allegasse videtur, quod, — uti ex fragmentis hinc inde dispersis concludere licet, — historiam protoparentum ad mentem Encratitarum depravatam exhibuit. His documentis « fidei » sibi haud raro contradicentibus Noster diversa ratione utitur. Citata nempe ex illo opere suppositio allegata semper sensu litterali accipit, utpote suo systemati convenientia; Scripturas autem canonicas modo allegorico interpretatur eaque methodo doctrinam suam defendere ac demonstrare satagit.

Modo singula videamus.

Historia lapsus sic refertur[3] :

Satanas accessit ad protoparentes et adulatus est eos, sicut olim Dñum, et suasit Evae, ut Adae consilium daret, et praecepit ei dicere Adae, ut possideret opes fieretque rex. « Ecce aurum et argentum est in terra et omnes deliciae. Possidete et oblectamini et regnate et crescite et multiplicamini » suasit Malignus et « *abiicite a vobis continentiam et renunciationem et sanctitatem et etiam humilitatem et cognoscite mala et cognoscite bona et crescite et estote sicut Deus, qui creavit vos*[4] ». *Et suasit Eva Adae : « Optimum nobis consilium dedit rebellis ille; siquidem prior et senior est, quam nos, ipse* [melius] *novit ». Et dixit Adam Evae : « Revertere dicque ei : praecepit nobis Creator noster, ne obediremus tibi neque comederemus ex eo*[5], *ne in terrenis detineremur »... Et* [serpens] *linguam suam retorquens persuasit eam : « Quia non vult nec acquiescit* [Deus], *ut ei similes efficiamini ». Et dixit Adam : « Et si non vult nos tales fieri, non puniet nos, quod audacter egerimus? » Et dixit Malignus : « Quando ei similes eritis, quid ad vos? »*

[1] Serm. XV, 1. — [2] Serm. XXI, 1. — [3] Serm. XXI, 9. — [4] Gen. I, 28.
[5] Agitur de *arbore* ܐܝܠܢܐ, quod in lingua syriaca gen. masc. est.

Auctor subin refert « Adam et Evam obedisse [Diabolo] et mentem ad terram convertentes de caelo descendisse et mente sicut et corpore in terra factos esse » dein exposito momento principali peccati Adae, nempe superbia n. 17 filum historiae biblicae iterum suscipit suo modo enarrans, quomodo apparuerit Dominus Adae iam lapso inter paradisi arbores. Omissis glossis, quas narrationi suae inseruit, eum huiusmodi fere textum allegare invenimus :

Et condescendit Maiestas et locuta est cum Adam; *et Adam et Eva fugientes absconderunt se inter arbores stantes in terra. Et dixit Dominus Adae : Ubi es Adam, quod non es inter angelos supernos? Et dixit : Vocem tuam audivi et abscondi me, quia pudet me videre te etiam in terra, qui in caelo iugiter ante faciem tuam stabam et nunc vides pudorem meum.* [Glossa] *Et dixit Dominus Adae : Ecce fructus es re, de qua te monui, ut caveas eam.* [Glossa].

Dein quaerit :

Cur dixit Adam : *Eva mihi consilium dedit? Eva dixit : Serpens mihi consilium dedit? Serpens dixit : Rebellis decepit et misit me?*

Primo obtutu liquet, hancce narrationem a relatione biblica totam quantam discrepare et proinde aliunde provenire. Notabile imprimis est verba Geneseos I, 28, in ore Serpentis poni. Dialogus inter Adam et Evam et Serpentem notabiliter auctus est; Serpens enim Eva mediante cum Adam loquitur, quod, uti nemo non novit, in narratione biblica non contingit. Praecepti divini esum fructus arboris vetitae prohibentis in exordio dialogi Evae ac Satanae nulla adhuc mentio fit; Satanas arboris vetitae non meminit, sed protoparentes ad usum thesaurorum terrae et ad actum generationis seducere vult; demum Adae responsum alludit ad arborem vetitam : *neque comederemus ex eo,* certe verbis ex libro Geneseos III, 3 desumptis.

In altera narrationis parte n. 17 contenta Deus etiam serpentem ad rationem reddendam provocat isque eadem ratione ad excusationes recurrit, uti Adam et Eva, delictum suum ad Diabolum revolvens. Dei quaestionem et Serpentis responsum partem integrantem narrationis fuisse ostendit explicatio ab Auctore adiecta.

Modo quaeritur, unde Auctori haec? Duo hic possibilia sunt : aut librum aliquem apocryphum allegat, aut sua commenta proponit. Alterum autem vix credibile est. In hac suppositione Auctor mala fide Scripturam adulterasset, quod coniicere tota L[i] G. indole spectata nefas est. Praeterea in laudata descriptione lapsus protoparentum quaedam leguntur, quae confingere falsatoris non interat; v. g. inducere Adam mediante Eva cum Serpente loquentem, vel amplificare dialogum verbis Adae dubitantis et responso Serpentis dubia eius demulcere studentis. Finis enim narrationis spuriae est ostendere Adae peccatum fuisse lapsum ad usum terrestrium rerum, caelo paradisoque spirituali relicto. Iam vero secunda dialogi pars non ad concupiscentiam Adae spectat, sed ad momentum rebellionis cum peccato Adae

connexum; hoc autem urgere Auctoris non intererat, monstrantibus aliis Operis locis, ubi Auctor duo haec momenta prorsus diversa sibi conciliaturus, peccatum rebellionis in Deum in eo situm esse putat, quod Adam rebellaturus in *similitudine consortii,* seu coitus animalium fieri voluerit[1]; paulo inferius tamen admittit Adam Deo similem fieri cupientem *etiam sine concupiscentia foedatum esse,* id est, sola rebellione in Deum, et protoparentes id esse molitos, quod Malignus in aures eorum immisisset[2]. Ad mentem igitur Auctoris concupiscentia in Adam orta simul etiam peccatum rebellionis in Deum involvit, nam Adam iuxta « legem perfectionis » ipsi divinitus datam sanctus, a rebus terrenis matrimonioque prorsus liber in paradiso perseverare debuisset[3]; duo autem haec peccati primi momenta tam inepte componit, ut primo obtutu pateat eum praeter narrationem biblicam alias quoque eiusdem eventus relationes praesto habuisse.

Idem suadent aliquot citata, quae in forma a verbis Scripturae aliena aliquando recurrunt.

GEN. II, 17.

a) *Die* ܟܕ[4] *quo verbum meum transgressus eris, mortem gustabis*[5].

b) *Si de hac arbore comederis, mortem gustabis*[6].

c) *Die quo transgressi eritis verbum meum, morte moriemini*[7] hoc autem loco initium citati cum a) convenit; prior citati b) pars textum canonicum sequitur (*si de hac arbore comederis*); citatum c) vicissim in apodosi textui canonico conforme est (*morte moriemini*). Unde manifestum est, Auctorem duas relationes praecepti allegare.

GEN. II, 25.

a) *Adam et Eva erant nudi, nec apparuit nuditas eorum*[8].

b) *Erant Adam et Eva nudi, nec eis nuditas ipsorum apparuit*[9].

Textum canonicum Sermone XXI allegorice interpretatur : *arbor mala* = Satanas; *ex arbore scientiae boni et mali nolite comedere* = nolite obedire Diabolo; *arbor bona* = Jesus; fructus eius = virtutes, quae in epistola S. Pauli ad Galatas IV, 18 enumerantur[10]. Simili ratione exponit verba Psalmistae[11] : *homo honorem suum non intellexit* = odio habuit sanctitatem; *et assimilitatus est iumentis insipientibus* = imitatus est coitum bestiarum Satana monstrante[12].

Sequelas peccati originalis sic describit :

Adam factus est in terra; caelicola (ܫܡܝܢܐ) factus est inferior (ܐܪܥܢܐ); πνευματικός (ܪܘܚܢܐ) factus est σωματικός (ܦܓܪܢܐ); spiraculum vitae factum est gustus mortis[13]. His verbis tota Auctoris doctrina exprimitur circa lapsum Adae, es-

[1] Serm. XV, 6. — [2] *Ibid.* — [3] Serm. XXI, 2-4.
[4] Particula ܟܕ citata solent allegari. — [5] Serm. XXIV, 8. — [6] Serm. XXVIII, 5.
[7] Serm. XXI, 1. — [8] Serm. XV, 3. — [9] Serm. XXI, 8. — [10] Serm. XXI, 1-3; II, 7.
[11] Ps. XLIX, 20. — [12] Serm. XV, 2, 7; XXI, 7. — [13] Serm. XXI, 17.

sentiam enim lapsus in descensu ponit Adae ad terrestria, effectum vero eiusdem principalem in amissione Paraclitici et in contrahendo « peccato », ceu concupiscentia mala, uti mox ostendemus.

Adam ob superbiam suam eiectus est e paradiso[1]; de caelo ad terram descendit, permutavit exemplar perfectum — caelum — cum imagine — terra — et ministerio terrestri[2]; amisit impassibilitatem, mortis morborumque obnoxius factus est et Deus contrivit cor eius[3]. Adam e paradiso eiectus factus est σωματικός[4], et concupiscentia orta est in corde eius, nam visa nuditate sua erubuit; erubuit vero propterea, quia peccatum ortum est in corde eius[5]. Spiraculum vitae ipsi a Deo insufflatum amisit[6] et gustavit insuper mortem[7]. Ante peccatum Adam et Eva non laborarunt; post peccatum Deus maledixerat eis et tunc terram colere coacti sunt; pane caelesti destituti victus et vestitus curam habere coeperunt, nam cognoverunt se esse nudos et demum concupierunt generationem non intelligentes honorem suum[8].

Sermone XV et XXI aliqua effata invenies, ex quibus facile concludes peccatum Adae et Evae nil aliud fuisse nisi coitum, quo protoparentes se multiplicatum iri et Deo similes fore arbitrati sint[9]. Re tamen accuratius inspecta manifestum est Auctorem non *actum,* quo Adam uxorem suam cognovit, respicere, sed *libidinem,* quae viso coitu bestiarum iam in paradiso orta sit in ipso; etenim pluries expresse dicit Deum protoparentibus e paradiso eiectis coitum permisisse et tunc Adam cognita uxore sua generasse Cain[10]. Liquet igitur Auctorem, a narratione Geneseos id tantum differre, quod symbolicae Scripturae expositioni innixus Adae peccatum in eius ad res materiales nisu et coeundi cupidine ponat; hanc vero ideam non unice e scripto illo spurio nactus est, sed, ut ita dicam, etiam « ex ratione theologica », nimirum ex idea ἀνακεφαλαιώσεως falsa. Christus etenim venit omnia innovaturus, sicut voluit Adam fuisse. Par est proinde voluntas Dei prima et novissima : prima voluit protoparentes sine cura, sine sollicitudine, sine cogitationibus malis esse : ultima praecepit per Apostolum : Estote sine cura et sine cogitationibus[11]: Primâ suâ voluntate Adam mundum creavit : ultimâ beatos dixit mundos corde[12]. Etiam tentatio Dñi est typus Adae tentati; omnia enim renovata sunt in Christo. Christus videlicet ostendere voluit, quid Adam a Diabolo tentatus facere debuisset[13].

Simili ratione alios quoque locos Novi Testamenti ad statum integrum Adae eiusque lapsum refert. Matth. XVIII, 3 : « *nisi convertamini et efficiamini ut*

[1] Serm. XXI, 10, 17. — [2] Serm. XXI, 4; XXV, 9. — [3] Serm. XXI, 7.
[4] Serm. XV, 1. — [5] Serm. XV, 3, 8. — [6] Serm. XX, 6; XXVIII, 1.
[7] Serm. XX, 1; XXVIII, 5. — [8] Ps. XLIX, 20. Serm. XXI, 10.
[9] Serm. XV, 2 s., 6 sq.; XXI, 9 sq. In spuria, quam Serm. XXI allegat, Adae historia protoparentum lapsus tamquam eorum coitus describi videtur.
[10] Serm. XV, 8; XXI, 10. — [11] I Cor. VII, 32. — [12] Matth. V, 8. — [13] Serm. XXI, 3 sq.

parvuli » etc. de Adam adhuc puro intelligit, qui puerorum instar non erubuerit[1]. Rom. vi, 19 : « *sicut parastis membra vestra peccato* » de libidine Adae interpretatur[2], et sic porro.

Modo de quaestione maximi momenti agendum erit. Iam supra dictum est ex mente Auctoris Adam amisisse spiraculum vitae et gustasse mortem[3]. Operae pretium est inquirere, quidnam Auctor his verbis sibi velit; videbimus enim eum mortem non unice et principaliter sensu mortis physicae accepisse, sed peccati; huic porro non vim peccati originalis tribuisse, uti docet Ecclesia, sed concupiscentiae, uti saepius, imprimis autem in Sermone XX sat aperte innuit. Hoc enim Sermone describit « gradus arduos », qui in civitatem Dñi ferant, et hosce tres statuit : primum, inimicos reconciliare; secundum, saeculo renunciare; tertium, manus caste levare coram Dño. Hunc autem ultimum omnium difficillimum dicit, nam in hoc gradu, ait, *peccatum totum evellitur et cogitationes et fruges eius e corde, illius peccati, quod patri nostro Adam et matri nostrae Evae insitum est die, quo peccaverant, quod discurrendo ad omnes posteros eius pervenit*[4].

Paulo inferius vero ait : Tota ratio, cur gradus ille ultimus tam difficilis sit, ea est, quod in *illo gradu evellitur mors occulta, quam gustavit Adam, postquam mandatum transgressus est et omnes cogitationes peccati, quod in homine foeda quaeque cogitat... quod peccatum mors illa est, quam parentes nostri, Adam et Eva gustarunt, postquam mandatum primum transgressi erant*[5].

E mutua locorum comparatione liquet Auctorem peccatum Adae in « morte occulta », quam olim gustaverit, ponere; utrobique enim foedae cogitationes fructus peccati ceu mortis dicuntur, quia praesentiam mortis ceu peccati in homine indicent, quod Sermone XVIII, 3 hisce exprimitur verbis : *Igitur omnia visibilia relinquamus, nam caduca sunt, et a peccatis invisibilibus consurgamus ad* [ineundum] *praelium contra peccatum, quod in nos ab intus transit, quae sunt cogitationes malae, quas peccatum in medio corde fingit.* Sermone vero XXIV, 8 sic exponit verba Geneseos[6] : « die quo verbum meum transgressus eris, mortem gustabis » : *die, quo deliqueris, malam cogitationem habebis et, quotiescunque peccaveris, multiplicabitur et tu morieris.* Proinde « malae cogitationes » in homine manifestationes sunt « peccati », peccatum vero nil nisi concupiscentia est, nam malas cogitationes « peccatum fingit in corde »; « peccatum » vicissim ipsam « mortem » esse, quam contraxerit Adam, ostendunt verba : die quo peccaveris et malam cogitationem habebis « morieris » non utique sensu physico, sed eo sensu, quo alibi exponit, quo pacto liberari possint posteri Adae a morte peccati : *Si itaque salvari velis a morte arboris, quae occidit patrem nostrum Adam et nos quoque nec ultra mori : evacuare a Satana et a doctrina eius, hoc est, ab omni re mala et a saeculo et sollici-*

[1] Serm. XV, 3. — [2] Serm. XV, 9. — [3] Serm. XXI, 1. — [4] Serm. XX, 3. Cf. V, 14.
[5] Serm. XX, 4. — [6] Gen. ii, 17.

tudine eius[1]. Homo etenim — docet Auctor — rebus terrenis adhaerens comedit ex arbore scientiae boni et mali, ceu ex doctrina Satanae; si igitur salvari velit a morte, quam suadente Diabolo subiit, debet exterminare concupiscentiam rerum terrestrium e corde suo; cum porro ea concupiscentia mala sit, eam metonymice Satanam appellat[2].

Peccatum originale igitur iuxta Auctorem essentialiter concupiscentia est, et quidem concupiscentia tamquam *actus* Adae, qui relicto ordine invisibili ad res terrestres defecit eorumque usum appetiit, et simul tamquam *habitus* vitiosus semet « malis cogitationibus » in posteris eius manifestans. Qua actus, peccatum in Adam voluntarium est; qua habitus in posteris eius pariter voluntarium et item peccatum personale est. Hoc utique Auctor expressis verbis non asserit, res autem ex toto systemate theologico Operis colligitur; docet nimirum « cogitationes malas » i. e. concupiscentiam superari posse, eaque eradicata, ubi quis mundo corde factus sit, spiraculum vitae recipi[3]. Iam vero si homines ob meram ignaviam nequeant ad « perfectionem » accedere et spiraculum vitae accipere[4], liquet concupiscentiam malam non esse aliquid involuntarium, secus enim non assereret homines stante in eis concupiscentia a visione Dei excludi[5].

Pro singulari hoc conceptu peccati originalis non est mirum in systemate theologico Nostri momentum essentiale peccati originalis, videlicet *reatum culpae et poenae* tamquam sequelas peccati fere omnino disparere. Non dico Auctorem reatum culpae in Adam et reatum poenae in posteris eius simpliciter negasse — nam expressis verbis dicit Deum Adae iratum esse[6] et inde inimicitiam ortam inter Deum et hominem, cuius maceriam Christus perforaverit[7] — nihilominus systemate accuratius inspecto manifestum est momentum reatus cuiuscunque ad meram speciem in eo redigi.

Sermone nimirum XXVIII Adam insufflato ipsi spiraculo vitae factum esse « animam viventem » docet[8], « spiraculum vitae » porro non esse spiritum creatum, sed Spiritum Sanctum, ceu Dominum ipsum, vel Paraclitum die Pentecostes Apostolis datum, hunc porro ab Adam peccante recessisse et item a peccantibus eius posteris quoque recedere[9]. Hucusque ea omnia speciem prorsus orthodoxam prae se ferunt. Attamen mente tenendum est ex eius mente Spiritum Paraclitum, ceu *spiraculum vitae non esse principium formale sanctitatis Adae;* aliis verbis : Adam sanctum fuisse, non quod « spiraculum vitae » ei inditum esset, sed quod immunis esset a concupiscentia; hoc est, *Adam ideo habuit « spiraculum vitae » quia sanctus erat*, non vice versa.

[1] Serm. XXI, 2. Ceterum Serm. XXIV, 8 mortem physicam a morte peccati ceu concupiscentiae expressis distinguit verbis. — [2] Serm. XXI, 1 sq.
[3] Serm. XX, 6; III, 14; VI, 2. — [4] Serm. XIX, 4. — [5] Serm. XX, 6; III, 10, 14.
[6] Serm. XV, 7. — [7] Serm. II, vi, 4; IX, 2, 4, 5, 12; XV, 12. — [8] Serm. XXVIII, 1.
[9] Serm. XXVIII, 5.

Quamquam sententia haec nullibi in toto Libro occurrit, ex ipso systemate sole clarius colligitur. a) Auctor enim iterum et iterum inculcat posteros Adae Paraclitum recuperare, ubi cor mundaverint et rebus mundi relictis in statum innocentem primi hominis redierint[1]. Hinc sequitur rationem, cur amiserit Adam « spiraculum vitae », non esse reatum ullum culpae vel poenae, sed inconsistentiam Paracliti cum « peccato » ceu cum concupiscentia[2]. Adam proinde iam ante insufflatum ipsi spiraculum erat sanctus, sicuti etiam posteri eius prius sanctificari debent, ut demum Paraclitum accipere possint; spiraculum vero ideo amisit, quia concupiscentia orta est in corde eius, quemadmodum et posteri eius ideo nequeunt Paraclitum accipere et mente Deum contemplari, quia saeculo renunciare nolunt et viam perfectionis abhorrent[3]. b) Auctor opus redemptionis Christi in sola doctrina ponit, non autem in satisfactione vicaria ab ipso praestita, uti suo loco ostendetur, proinde nec ullum reatum peccati originalis admittere potuit. c) Idem colligitur ex iis, quae de charismatibus tradit. Etenim praeter gratiarum maximum, Paraclitum, etiam minus quoddam charisma dari asserit, quod « commixtionem vitae » appellat docetque ex altera parte « commixtionem vitae » cum peccato coexistere et hoc ea ratione, ut homo « aliquid ex Deo et aliquid ex Satana » habeat[4], ex altera vero parte neminem a Deo reprobari, qui saltem aliqua bona opera perfecerit, nec quemquam a « commixtione vitae » evacuari, nisi semet totum peccato dederit[5]. Haec pariter in ea tantum suppositione intelligi possunt, quod Auctor negato reatu culpae sequelas peccati ad demeritum poenamque restrinxerit, non autem aeternam, sed pro singulorum peccatorem gravitate diversam et hanc temporalem.

17. Si modo quaeritur, quaenam sit origo doctrinae huiusce, responsum difficillimum esse nemo dubitabit. Summatim dici potest ideas Auctoris circa hominis lapsum indolem neoplatonicam prae se ferre. Sicut nempe Neoplatonici originem peccati e lapsu animarum in corpora et ex eorum ad res materiales nisu derivabant[6] : ita et Auctor, cum hoc tamen discrimine, quod praeexistentiae doctrina evitata ea, quae Neoplatonici in caelo evenisse putabant, ipse in paradiso facta esse arbitraretur, in cuius notione ceterum cum Neoplatonicis aliqua ratione convenit, nam paradiso non tam aliquem materialem locum, ubi *corpus* beatitudine terrestri fructum sit, quam potius *mentis* protoplastorum statum, in Dei contemplatione et in consortio Angelorum beatum intelligi vult, unde Adam prolapsus mentem suam ad res terrae converterit et orta in ipso concupiscentia totus carnalis factus sit, uti idea

[1] Serm. III, 12; VI, 2. — [2] Serm. XV, 4, 11, 16; XVIII, 4; XX, 6, 14.
[3] Serm. XIX, 39, 40. — [4] Serm. III, 11 init. — [5] *Ibid.*, fin. Cf. XV, 10 sq.
[6] Cf. Plotini *Enn.* IV, III, 17, p. 209; IV, VII, 13, p. 284; IV, VIII, 4, p. 289. Porphyrii *Sent.* XXXIX (p. XLIII). Zeller, *o. c.* p. 628 sqq.

eadem etiam apud Neoplatonicos occurrit. Cum his porro in eo quoque convenit, quod medelam lapsus eam ipsam commendat, quam olim Plotinus et alii Neoplatonici praescripserunt[1] : afflictionem corporis orationemque, ut post regressum in statum pristinum anima eadem beatitudine frui possit, in qua olim constituta erat.

Sed haec summatim tantum affirmari possunt; originem singulorum theologumenorum definire res est difficillima. Ipsa doctrina Libri ascetica, vi cuius « perfecti » bonis terrae renunciare et caste vivere debeant, antiquissima est. Eius vestigia prima apud Essenos occurrunt, a quibus ceterum Auctor placita sua vix haurire potuit. Multo probabilius est ea ab illis sectariis derivari, qui olim Encratitae appellabantur. Quod nomen quidem apud S. Epiphanium sectae unicae tribuitur, re autem vera nomen generis est. Encratitas in duas classes dividere licebit : in gnosticos nimirum et christianos. Notissimum quippe est, non omnes sectarios usum matrimonii damnantes et ascesim rigorosam professos sese ab Ecclesia separasse, sed haeresiologis antiquis testibus quosdam huius sententiae asseclas in aliis Ecclesiae dogmatibus nil innovasse. Quod Encratitas Gnosi deditos attinet, hi doctrinam asceticam, quam professi sunt, plerumque rationibus theogonicis adstruebant : animam, quae ad eorum mentem divinae sit originis, casu infausto in corpora delapsam ibidem velut in ergastulo detineri atque hominis esse eam e carcere hoc immundo liberare, quod non nisi ope asceseos severissimae fieri possit. Cum quibusdam placitis horum haereticorum doctrina Nostri mirum in modum convenit, licet cum theogoniis Gnosticorum nil commune habeat. Multo difficilius est necessitudinem L[i] G. ad doctrinas Encratitarum christianorum definire. Hi quidem de matrimonio et de usu carnium idem fere sentiebant, quod et Gnostici, at de praemissis dogmaticis eiusmodi sententiarum[2], fere nihil compertum habemus, unde et futile est eorum placita cum doctrina L[i] G. comparare materia comparationis deficiente.

Sed modo ad Encratitas gnosticos redeamus, e quorum scriptis Clemens Alexandrinus, quaedam adducit, placitis asceticis L[i] G. simillima.

Ad hoc genus scriptorum pertinet fragmentum operis Περὶ ἐγκρατείας i. e.

[1] Plotini *Enn.* I, vi, 6, p. 34; IV, viii, 1, p. 286; V, v, 8, p. 336; VI, vii, 35, p. 502; VI, ix, 9, p. 537. Porphyrii *Sent.* XXXIV (pag. xxxviii), XLI (pag. xlv). Iamblichi *De Mysteriis* II, 11; III, 5. Koch, *Pseudo-Dionysius,* p. 143-147; Zeller, *o. c.* p. 481, 527 sq.

[2] Ad hanc sectariorum classem pertinent : 1) Encratitae christiani, de quibus Hippolytus agit in *Philosophumenis,* l. VIII, c. vii, n. 20; hos Eusebio teste Musanus refutavit (*Hist. Eccl.* IV, xxviii). In Panario Epiphanii (*Haer.* XLVII) Encratitis species quaedam dualismi manichaici (Deus atque Satan utpote principia coordinata boni et mali) adscribitur. 2) Apostolici (apud Epiphanium, *Haer.* LI). 3) Audiani in Catalogo Haereticorum a Maruta exarato, de quibus v. supra p. 28. Cf. Batiffol, *Études d'histoire et de théologie positive*[3], Paris, 1904, p. 50-61.

De renunciatione auctore Iulio Cassiano[1], quem Clemens Alexandrinus haecce docuisse refert[2] :

Nec dicat aliquis, quod quoniam talia habemus membra, ut aliter figurata sit foemina aliter vero masculus : illa quidem ad suscipiendum, hic vero ad seminandum, concessam esse a Deo consuetudinem. Si enim a Deo, ad quem tendimus, esset haec constitutio, non beatos dixisset esse eunuchos (Matth. XIX, 12), *neque Propheta dixisset eos non esse arborem infrugiferam* (Is. LVI, 3), *transferens ab arbore ad hominem, qui sua sponte et ex instituto se castrat tali cogitatione...*

Quomodo autem non iure quis reprehenderit Servatorem, si nos transformavit et ab errore liberavit et a coniunctione membrorum et additamentorum et pudendorum?

Obiectio, quam sibi Cassianus refutandam proponit, sc. hominem iam natura sua habere corpus ad generandum aptum, proinde ab ipso naturae Opifice ad hoc destinatum, etiam in L° G. pertractatur; nam sciscitanti, « nonne ea membra ad consortium carnale destinata sunt? » respondetur : « *Si tu consortium carnale non vis, ea ad urinam emittendam fecit Creator* ». Et quaestione repetita : quare fecerit masculum et feminam? respondet sophismate : *Vade, increpa eum : cur fecisti masculum et feminam; et ipse dicet tibi : nil hoc tibi nocuisset, si tu noluisses fieri sicut iumentum et non sicut angeli. Aspexit enim homo iumentum et ei similis fieri optavit*[3]. Quae interpretatio Psalmi XLIX, una cum Valentino atque Marcione a Clemente Alexandrino[4] etiam Cassiano tribuitur : *quoniam homo operam dans veneri assimilitatus est iumentis*. Et paulo infra[5] : *quod si dicat Serpentem a brutis animantibus accepta consilii sui ratione*

[1] Iulius Cassianus scripsit teste Hieronymo (*Com. in ep. ad Galatas* ad c. VI, v. 8) opus Ἐξηγητικά, ubi placita Docetarum resuscitavit, Περὶ ἐγκρατείας ἢ περὶ εὐνουχίας, cuius fragmenta in l. III *Stromatum* Clem. Al. citantur. De Cassiano cf. Walch, *Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzereien*, Leipzig, 1762, t. I, p. 441. Hilgenfeld, *Ketzergeschichte d. Urchristenthums*, p. 547 sq. Harnack, *Gesch. d. altchristlichen Litteratur*, I, p. 201 sqq. Bardenhewer, *Gesch. d. altkirchlichen Litteratur*, I, p. 346.

[2] *Strom.* III, XIII, 91, ed. Stählin II, 238 : καὶ μηδεὶς λεγέτω ὅτι, ἐπειδὴ τοιαῦτα μόρια ἔσχομεν ὡς τὴν μὲν θήλειαν οὕτως ἐσχηματίσθαι τὸν δὲ ἄρρενα οὕτως, τὴν μὲν πρὸς τὸ δέχεσθαι, τὴν δὲ πρὸς τὸ ἐνσπείρειν, συγκεχώηται (sic emendat Hilgenfeld, *o. c.* p. 547, edd. συγκεχωρῆσθαι) τὸ τῆς ὁμιλίας παρὰ θεοῦ· εἰ γὰρ ἦν παρὰ θεοῦ, εἰς ὃν σπεύδομεν, ἡ τοιαύτη διασκευή, οὐκ ἂν ἐμακάρισεν τοὺς εὐνούχους, οὐδ' ἂν ὁ προφήτης εἰρήκει μὴ εἶναι ξύλον ἄκαρπον αὐτούς, μεταλάβων ἀπὸ τοῦ δενδροῦ ἐπὶ τὸν κατὰ προαίρεσιν ἄνθρωπον ἑαυτὸν τῆς τοιαύτης ἐννοίας εὐνουχίζοντα.

Πῶς δὲ οὐκ ἂν καὶ εὐλόγως τις αἰτιῷτο τὸν σωτῆρα, εἰ μετέπλασεν ἡμᾶς καὶ τῆς πλάνης ἀπήλλαξεν καὶ τῆς κοινωνίας τῶν μορίων καὶ προσθεμάτων καὶ αἰδοίων; — [3] Serm. XV, 6 sq.

[4] *Strom.* III, XVII init. (ed. Stählin II, 243) : ὅτι φασὶν ὁ ἄνθρωπος παρωμοιώθη τοῖς κτήνεσιν εἰς συνδυασμὸν ἀφικνούμενος. Ceterum similis expositio Psalmi citati etiam apud Patres saeculi IV hinc inde invenitur, uti v. g. apud S. Gregorium Nyssenum in op. *De hominis opificio*, cap. XVII (Migne, *P. G.* XLIV, col. 189 D sq.).

[5] *Ibid.* : κἂν ἀπὸ τῶν ἀλόγων ζῴων τὴν ἐπιτήδευσιν τῆς συνουσίας ὁ ὄφις εἰληφὼς καὶ παραπείσας τῇ κοινωνίᾳ τῆς Εὔας συγκαταθέσθαι τὸν Ἀδὰμ τύχῃ, ὡς ἂν μὴ φύσει ταύτῃ κεχρημένων τῶν πρωτοπλάστων, ὡς ἀξιοῦσι τινές· ἡ κτίσις πάλιν βλασφημεῖται.

Adamo persuasisse, ut cum Eva coire consentiret, tamquam alioquin, ut quidam existimant, Protoplasti hac natura usuri non fuissent : rursus vituperatur creatio, etc. Hi ergo Gnostici idem docuerunt, quod etiam in L° G. ad nauseam usque inculcatur : ad Evam cognoscendam Adam suadente Diabolo consensum dedisse.

Sed etiam Tatianus similia docebat. Mortuo enim S. Iustino in errores Gnosticorum incidit et factus « complexus omnium haereticorum » Aeonas invisibiles introduxit, nuptias vero corruptelas et fornicationes, ut Marcion et Saturnilus, declaravit[1]. Porro teste eodem Clemente Alexandrino scripsit opus Περὶ τοῦ κατὰ τὸν σωτῆρα καταρτισμοῦ, i. e. *De perfectione secundum Salvatorem,* unde Clemens haecce allegat[2] :

Consensus[3] *quidem coniungit orationi*[4] *: communio autem corruptelae solvit intercessionem. Iterum proinde circumspecte arcet concessionem. Nam cum rursus permisit 'simul convenire propter Satanam et intemperantiam' pronunciavit eum, qui obtemperaturus est, 'serviturum duobus dominis'*[5] *: per consensum quidem Deo, per dissensionem autem, intemperantiae et fornicationi et Diabolo.*

Tatianus igitur ob duas rationes respuit matrimonium : prima ea est, quod « communio corruptionis » solvat orandi studium; altera vero, quod matrimonio iuncti duobus domini sint servituri : Deo et Diabolo. Utramque rationem Noster quoque agnoscit, dum docet hominem in matrimonio viventem et curis saeculi deditum perfici non posse et dum sine haesitatione asserit ipsi matrimonio iusto iniquitatem esse annexam, cum ex eo oriantur fornicationes et adulteria et peccata adhuc peiora[6].

Ex his locis licet concludere doctrinam L[i] Gr. aliqua ratione cum placitis Encratitarum cohaerere. Origo autem immediata, fonsque proximus, unde Auctor haec omnia hauserit, ob defectum materiae historicae accuratius definiri non possunt.

Idem fere dicendum est de narratione lapsus Adae in L° G. obvia, quae, ut iam superius monuimus, ex aliquo libro apocrypho provenisse videtur. Libri quidem apocryphi haud pauci dantur, qui Adae historiae narrandae dant operam; at nullus inter eos reperitur, ubi nisus encratiticus tam aperte ad lucem prodeat, quam in fragmentis a Nostro allegatis. In *Vita Adae et Evae* Adam filiis suis narrat paradisum in duas partes a Deo divisum esse; par-

[1] Irenaeus, *Adv. Haer.* I, 26 (Harvey I, 220).

[2] *Strom.* III, XII, 81 (ed. Stählin II, 232. Cf. Hilgenfeld, *Ketzergeschichte*, p. 390) : Συμφωνία μὲν οὖν ἁρμόζει προσευχῇ, κοινωνία δὲ φθορᾶς λύει τὴν ἔντευξιν. πάνυ γοῦν δυσωπητικῶς διὰ τῆς συγχωρήσεως εἴργει· 'πάλιν' γὰρ 'ἐπὶ ταὐτὸ συγχωρήσας γενέσθαι, διὰ τὸν σατανᾶν καὶ τὴν ἀκρασίαν' τὸν πειθησόμενον 'δυσὶ κυρίοις μέλλειν δουλεύειν' ἀπεφήνατο, διὰ μὲν συμφωνίας θεῷ, διὰ δὲ τῆς ἀσυμφωνίας ἀκρασίᾳ καὶ πορνείᾳ καὶ διαβόλῳ.

[3] Recepta coniectione Marani cum Ottone et Hilgenfeldio lego : συμφωνία; codices et editiones legunt : συμφωνίαν; at κοινωνία ostendit in praecedentibus nominativum esse legendum; sic et Stählin. — [4] I Cor. VII, 5. — [5] Matth. VI, 24. — [6] Serm. XV, 9.

tem quidem orientalem et septentrionalem Adae, partem vero meridionalem et occidentalem Evae datam esse custodiendam[1], quasi ab invicem separati caste vivere debuissent. Immo in Apocalypsi Moysis additur Deum Adae animalia masculina, Evae feminina tradidisse custodienda[2]. Item in Apocalypsi Moysis refertur serpentem veneno suo infecisse fructum arboris vetitae, i. e. iuxta explicationem additam : concupiscentiâ, omnis peccati initio[3]. Sed haec omnia remotam tantum similitudinem prae se ferunt cum narratione L[i] G. nec ad eius originem explicandam sufficiunt. Idem dicendum est de apocryphis christianis ad Adam spectantibus; saltem, ut sciam, neque in hoc scriptorum genere quidquam occurrit, quod singularia L[i] G. placita explicare iuvet.

IV

DE REDEMPTIONE.

18. Notio redemptionis — 19. propriis hominis viribus efficiendae. — 20. Gratia eiusque species : « charisma magnum » (*Paraclitus*) et « charisma parvum » (*Commixtio Spiritus S.*). — 21. Placita similia Gnosticorum, — 22. Tatiani et Hieracae, — 23. Irenaei, — 24. Macarii, — 25. Antonii Magni, — 26. Ammonii eremitae.

18. Redemptio definiri solet : « restitutio in libertatem amissam pretio soluto ». Hac notione sensu stricto accepta de redemptione ad mentem L[i] G. vix sermo fieri potest. Auctor extenuato reatu culpae peccatum originale (et plus minusve omnia peccata personalia) ad concupiscentiam refert, quae post lapsum Adae ad omnes posteros eius transierit. Iam vero hac notione peccati originalis admissa sua sponte orta est quaestio : Si Christus redemptor est a quanam servitute nos liberavit? A servitute peccati vix, nam experientia teste concupiscentia (= peccatum!), post ipsum opus redemptionis invicta remansit in homine. Hinc nil supererat, nisi totam vim redemptionis in doctrina Christi, in praeceptis ab ipso promulgatis ponere, quibus nobis modum ostenderit salutis, libera nostra activitate viribusque propriis efficiendae.

Haec est idea fundamentalis totius soteriologiae Operis. Fallitur autem, qui putet Auctorem ubique sibi constare et ideam vicariae satisfactionis simpliciter negasse. Illa etenim in forma corrupta tamen recurrit, non autem tamquam elementum doctrinale, sed mere exegeticum ex aliquot locis in Epistolis S. Pauli occurrentibus derivatum, ubi Christus inimicitiae maceriam perforasse[4], Deus vero sanguine crucis Filii sui hominibus reconciliatus esse[5] dicitur. Quos locos Auctor ea ratione exponit, quod usque ad adventum Salvatoris nemo « perfici potuerit » et Deus iustos aliquos Antiqui Testamenti non solum a perfectione arcuerit, sed etiam iniustos reddiderit

[1] *Vita Adae et Evae*, § 32. Cf. Kautzsch, *Apokryphen und Pseudepigraphen d. A. T.*, t. II, p. 517. — [2] § 15. Cf. Kautzch, *o. c.* p. 520. — [3] § 19. Cf. Kautzch, *o. c.* p. 521.
[4] Eph. II, 14. — [5] Col. I, 20.

missis eis occisum inimicos suos[1]. Ob hanc inimicitiam inter Deum et homines stantem promissiones iustis A[i] T[i] factas nonnisi mortuo Salvatore adimpletas esse, cum Deus sanguine demum crucis Filii sui mundo reconciliari decrevisset[2].

Quam parum quadrent ista in systema theologicum L[i] G., ostendit notio redemptionis ad mentem Auctoris accepta.

Ad eius mentem Redemptio quidem pariter restitutio est humani generis in statum Adae pristinum, non autem a principio aliquo extra hominem sito procedens, sed *activitate libera hominis efficienda.* Homo enim, ait Noster, eadem via revertitur ad statum naturae suae antiquae et sanctae, qua inde excidit; excidit per concupiscentiam, revertitur per renunciationem[3]. Conceptus hic redemptionis simillimus est notioni ἀποκαταστάσεως, in re litteraria antiquae Christianitatis frequentissimae.

Modus porro ἀποκαταστάσεως, ceu reditus in primum Adae statum cognoscitur e Christi doctrina, qui alter Adam, *omnia in se innovavit,* i. e. vitam Adae integri exemplo suo nobis proposuit imitandam, uti iam supra dictum est[4].

Redemptio igitur secundum L[um] G. in doctrina Christi consistit. Summa doctrinae huiusce theoreticae est ܡܕܥܐ γνῶσις, cuius ope cognoscimus, unde exciderimus et quo tendere debeamus, sicuti Auctor e parabola Filii Prodigi mystice concludit[5]. Summa porro doctrinae Christi practicae est ܡܣܪܩܘܬܐ κένωσις, i. e. abdicatio perfecta rerum saeculi ad exemplum Salvatoris, qui teste S. Paulo evacuavit semetipsum[6] formam servi accipiens[7], nobis exemplum daturus, qua ratione in statum Adae sanctum redeamus[8].

Porro ratiocinatio, cuius ope Auctor ad hasce conclusiones pervenit, huiusmodi est : α) In resurrectione, inquit, teste Salvatore[9] neque nubent neque nubentur, sed erunt omnes sicut angeli Dei[10]. Iam vero secundum citatum aliquod apocryphum, quod Auctor saepissime allegat[11] : *sicut inveniemini, assumemini*[12]. Si quis igitur concupiscentiae labe maculatus transierit

[1] Serm. IX, 3. — [2] Serm. II, vi, 4; IX, 12 sq.; XV, 13 sqq. — [3] Serm. XV, 9.

[4] Vide supra nn. 6, 12. Cf. Ephes. i, 10. — [5] Serm. XV, 10.

[6] ܣܪܩ ܢܦܫܗ ἐκένωσε ἑαυτόν. — [7] Philipp. ii, 7. — [8] Serm. XXI, 11; cf. XX, 12 sq.

[9] Matth. xxii, 30. — [10] Serm. XV, 4.

[11] Serm. III, 3; XV, 4; XXIV, 2. Cf. IX, 14.

[12] Simile citatum apud Patres Graecos saepius recurrit : Iustinus, *Dial. cum Tryphone,* n. 47 : ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω, ἐν τούτοις καὶ κρινῶ. Clem. Alex. *Quis dives salvetur,* n. 40 : ἐφ' οἷς γὰρ ἂν εὕρω ὑμᾶς, φησὶν, ἐπὶ τούτοις καὶ κρινῶ. *Apophthegmata Patrum* sub littera Σ, n. 38 : Sisoes dicit : ἐν ᾧ γὰρ εὑρίσκεται ἄνθρωπος, ἐν αὐτῷ καὶ πορεύεται (Migne, *P. G.* LXV, col. 404 c). Cf. Resch, *Agrapha*[2], pp. 102, 322; Ropes, *Die Sprüche Jesu* (*Texte u. Untersuchungen*, ed. Gebhardt und Harnack, XIV , 2), Leipzig, 1896, p. 137 sq. *Texts and Studies*, Vol. V, n. 2 : *Clement of Alexandria, Quis dives salvetur,* ed. Barnard, p. 46. Preuschen, *Antilegomena,* I, p. 31_{20}.

in saeculum futurum, ibi quoque foedus erit nec Deum videre facie ad faciem poterit[1]; nam semper bene mente tenendum est ad mentem Auctoris concupiscentiam idem esse ac peccatum. Atqui nemo videt Deum, nisi mundus corde[2]. Hanc ob rationem homo iam in hoc saeculo a peccato mundari debet, ut in illo saeculo ad visionem Dei beatificam pervenire possit. Debet proinde « spiritualis » fieri ad instar Adae primi, ut in « paradisum spiritualem » redire et « creaturae pristinae » Adae conformari possit[3]. Hunc in finem opibus deliciisque terre renunciare debet atque sine cura et sollicitudine fieri[4]. Sed hoc nondum sufficit. Si quis enim toti mundo valedixerat, tantum « folia peccati » eradicavit; debet autem ipsam « radicem eius amaram » evellere, i. e. « peccatum occultum » exterminare, quod in homine « foeda quaeque » cogitat[5] quodque, uti supra ostendimus, concupiscentia est. Superata autem concupiscentia accipitur Paraclitus, seu « spiraculum vitae », quod Adam in paradiso amisit, et homo fit veluti « prima Adae creatura », sanctus spiritualisque[6].

β) Aliud eiusdem doctrinae argumentum petit e verbis Salvatoris : *nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum*[7]. Conditio proinde intrandi in regnum caelorum est parvulos imitari. Parvuli autem non concupiscunt, neminem iudicant, possunt semper flere. Sic et is, qui perfici vult, debet concupiscentiam e corde evellere, mundo renuntiare, nec res huius saeculi appetere, quippe quas nec infans appetat[8].

19. Nemo non videt in huiuscemodi redemptionis notione vicariam satisfactionem nullas fere agere partes, vel — si enuntiationem aliis verbis exprimere placet — redemptionem ex parte hominis ad salutem consequendam absolute necessariam non esse. Quod ceterum Auctor expressis fatetur verbis. Dicit enim : Quoniam pax non erat diebus iustorum antiquorum, perfecti non sunt, quoniam Pater et Dominus per passionem crucis Filii sui voluit facere reconciliationem. Et, si totus mundus ante adventum eius voluisset ad instar Moysis et Eliae fieri, Dn̄s permisisset, ut perfecti fierent *nec necesse fuisset eum ad nativitatem et ignominiam crucis venire et perforasset maceriam inimicitiae, per transgressionem pracepti ortam, sedens in caelo in gloria maiestatis suae*[9]. — Manifestum est modo inimicitiam, quam dicit, inter Deum et homines ante adventum Salvatoris existentem, in L° Gr. non esse partem integrantem systematis eiusdem theologici, sed opus mere exegeticum ex locis Paulinis, Eph. II, 14 et Col. I, 20 ortum, nam causam inimicitiae

[1] Serm. XX, 13 sq. (ubi parabolae de veste nuptiali hunc sensum subiicit).
[2] Matth. V, 8. Cf. Serm. XVIII, 2; XX, 14 sq. — [3] Serm. XXI, 2.
[4] Serm. XXI, 3. — [5] Serm. XX, 2-4.
[6] Serm. VI, 2; XV, 16, 19; XX, 6; XXIII, 1; XXV, 2; XXVIII, 1 sq.
[7] Matth. XVIII, 3. — [8] Serm. XV, 3; XVI, 6; XX, 6. — [9] Serm. XV, 12.

Auctor sufficienter explicare nec potest, nec eam ceterum ad peccatum originale refert, sed ad malam gentilium voluntatem, qui iustos antiquos imitari noluerint et Deo audacter restiterint [1]. Characterem autem addititium huius doctrinae optime illustrat, quod de iustis V[is] T[i] dicit. Putat namque eos ab ipso Deo in sectanda perfectione impeditos et propterea a Christo per modum exceptionis post resurrectionem suam perfectos et in caelum introductos esse [2]. Idea haec toti systemati L[i] G. repugnat. Auctor probabiliter doctrinam Tatiani de Adae damnatione vitare voluit, nam citatum apocryphum, quo hanc suam doctrinam demonstrare satagit, rem non evincit [3].

Redemptionis necessitatem apertius adhuc negat dicens : *Si quisque capax esset ad Spiritum S. audiendum, neque Dñs apparuisset in corpore ut homo, nec misisset prophetas et apostolos* [4].

Sed quaeres : cur itaque venit Salvator? Respondet Noster : omnium emolumenti causa, ut omnes discerent veritatem humilitatis eius [5]. Vita enim Salvatoris status Adae primi adumbratur [6]. Tota quippe eius vita doctrina est. Par etenim est, ait, voluntas Dei prima et novissima; primā voluit Adam in caelestibus versari et caste et sine sollicitudine vivere : novissimā vult posteros eius saeculo eiusque usui renunciare et Deum mundo corde contemplari [7]. Voluntatem Dei novissimam circa nos statumque Adae integrum Salvator revelavit nobis, suo nobis exemplo ostensurus, quae sit via reformationis nostrae; ideo permisit se a Satana tentari, ideo oravit in horto, ut et nos superatis tentationibus post multas preces, post ieiunia longa in paradisum spiritualem, in statum innocentiae pristinae redire valeamus [8]. Hanc ob rationem ne passio quidem Salvatoris alium praeter didacticum valorem habet. Christus, inquit, passus est, ut et nos ipsi compatiamur et passionibus superatis perfectionem consequamur [9]. Valore didactico passio Dñi nequaquam differt a morte apostolorum, quos Auctor expressis verbis pro peccatoribus mortuos esse palam docet [10].

[1] Serm. XV, 15. — [2] Serm. IX, 13; XV, 12, 14.

[3] Provocat ad locum corruptum Matth. XXVII, 52 sq. : *Sicut scriptum est : post resurrectionem Dñi ascenderunt ex iustis, qui dormierant, et apparuerunt in civitatibus superioribus cum Dño* (Serm. XV, 14). Eodem sensu exponit verba Epistolae ad Hebr. XI, 40 : ܕܒܠܥܕܝܢ ܠܐ ܡܫܬܡܠܝܢ *sine nobis perfecti non sunt* (Serm. IX, 13; XV, 12 sq.) quibus verbis significari putat iustos antiquos coram apostolis a Christo perfectos esse. Sed ipsa hanc interpretatio verborum violenta sat superque prodit indolem doctrinae addititiam.

[4] Serm. XX, 15. Quid sibi incapacitas, quam dicit, ad Sp. S. audiendum velit, Auctor non explicat. Quod ad prophetas attinet, Serm. IX, 15 ait eos ideo a Deo missos esse inimicorum eius occidendorum causa, ne forte, si eos ipse modo quodam invisibili punisset, gentes dicerent se idola sua occidisse. Probabiliter ergo dicere voluit multos homines ob ruditatem incapaces esse cum Deo unionis intimioris ineundae.

[5] Serm. IX, 1. — [6] Serm. XXI, 8; XXIII, 1.

[7] Serm. XXI, 3, 5. — [8] Serm. XX, 11 sq. — [9] Serm. XVII. — [10] Serm. XXI, 15.

20. Cum hac doctrina soteriologica intime cohaerent ea, quae in L° G. de gratia, tamquam principio vitae supernaturalis traduntur.

Mundato, inquit, hominis corde a concupiscentia et perfectione obtenta accipitur Paraclitus, ceu « spiraculum vitae » in paradiso amissum, et tunc homo fit « anima vivens » in *trinitate* constitutus [1]. Accepto Paraclito in paradiso spirituali incipit habitare [2], cognoscit voluntatem Dei perfectam et acceptam, concupiscentia penitus aufertur e cordo eius [3], fit purus, ut Angeli, Deumque contemplatur in corde suo, velut in speculo [4].

Conditiones Paracliti accipiendi sunt : paupertas absoluta [5], caritas erga omnes, dilectio inimicorum [6], atque castitas perfecta [7]. Perfectioni repugnant deliciae, usus imprimis carnium et vini [8]. Paraclitus amittitur, si quis ad usum saeculi redeat [9].

At hanc doctrinam perfectionis non omnes capiunt prae imbecillitate sua. Quidam enim « parvuli » sunt, i. e. homines parvae scientiae, qui ob puerilitatem facillime seducuntur [10]. Alii vicissim « infirmi », i. e. scrupulosi et zelosi, qui contra peccatores cito excandescunt, eos traducunt, puniunt, immo quandoque occidunt putantes se peccatis aliorum coinquinari [11]. Omnes isti ob defectus ipsis inhaerentes nequeunt Paraclitum accipere, nam perfecti non sunt et, dum in rebus saeculi versantur, manet concupiscentia in cordibus eorum. Si autem nemini malefaciant, egenis eleemonynas distribuant, inimicos diligant, etiamsi bonis saeculi matrimonioque fruantur, fiunt *iusti* [12]. Qua tales non possunt quidem perfici, nec Paraclitum accipere, nec Deum in saeculo futuro facie ad faciem videre, inferiorem tamen aliquam salutis speciem consequuntur. Auctor proinde homines in iustos atque perfectos dividit eisque diversum salutis gradum tribuit. Cui divisione convenit etiam doctrina Operis charitologica. Perfecti enim iuxta dicta Paraclitum accipiunt, ceu spiraculum vitae in paradiso amissum. Iusti quidem charisma hoc maximum non possunt recipere, cum sint adhuc imperfecti, habent tamen aliud « charisma minus » quasi reliquias « spiraculi », quod Auctor *commixtionem Spiritus Sancti* ܚܘܠܛܐ ܕܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ appellat [13]. Notio haec singularis theologica in L° G. modo gratiae actualis modo gratiae habitualis partes agit [14]; ea enim gratiae species cum peccato coexistit et cuique inest, nisi

[1] Serm. XXVIII, 1-3. — [2] Serm. VI, 2. — [3] Serm. XV, 4, 7.
[4] Serm. XIV, 2; XVI, 12; XVIII, 3. — [5] Serm. III, 6, 14; VIII, 6; XIII, 7; XXV, 3-8.
[6] Serm. VIII, 2 sq.; IX, 16; XX, 2; XXVII, 4; XXX, 1-3.
[7] Serm. XV, 9; XX, 1, 3. — [8] Serm. X, 5; XXIX, 4, 13, 16; XXX, 12.
[9] Serm. XXI, 8. — [10] Serm. V, 1; XIX, 6.
[11] Serm. IV, 1; XIX, 5, 37. — [12] Serm. VII, 1; XIII, 1-3; XIV, 1 sqq.
[13] Serm. III, 11 sq.; XV, 19; XXVIII, 2 sqq., 5.
[14] Cf. Serm. III, 11 : *Et sunt homines, in quibus aliquid ex Deo, aliquid ex Satana est, et ob commixtionem Spiritus S., qui est in eis, bona operantur et transgressi mala committunt ob mixturam peccati, quae in eis est. Et commixtio illa Sp. S. eos quotidie*

quis absolute reprobus fiat[1]. Commixtio enim Sp. S. principium est bonorum operum in homine et iusto et peccatore; igitur nemo adhuc reprobus est, qui saltem hinc inde bona quaedam opera perficiat[2].

De relatione gratiae ad liberum hominis arbitrium Auctor nullibi disserit. L. G. enim iam pro fine suo practico eiusmodi quaestiones subtiliores movere non solet.

21. In doctrina L[i] G. soteriologica, quam modo delineavimus, duo momenta inveniuntur, quae placita gnostica redolent : primum est, quod Auctor effectum salutiferum mortis Christi aperte negat, secundum, quod homines more Gnosticorum in iustos et perfectos dividit. Nihilominus utraque L[i] G. doctrina spectatis earum praemissis a placitis Gnosticorum valde differt. Gnosticis nimirum passio morsque Christi momento ideo carebant, quia mortem opus autumabant principii mali, quod per nefas in mundum irrepsisset; essentiam vero redemptionis in doctrina Christi occulta, paucis electis tradita ponebant. Consequens ergo erat momentum satisfactionis vicariae in theoriis eorum theogonicis omnino supprimi. Demum saeculo III, postquam Patres Ecclesiae Gnosticos toties refutarant, ad extremas calces redacti rudera aedificii phantastici salvaturi passionem et mortem Christi admittere coacti sunt, non quidem sensu doctrinae christianae, sed tamquam factum mere historicum momento salutifero destitutum, uti hoc in libro *Pistis Sophia* contigit[3]. Aliter in L[o] G. Auctor, uti vidimus, ex praemissis suis theologicis concludit salutem lapsui correlatam esse debere. Homo autem primus lapsus est per concupiscentiam, salvatur poinde per abstinentiam. Peccatum enim, uti ostendimus, ad mentem L[i] G. non causat reatum culpae, sed poenae duntaxat; proinde si causa sublata cessat effectus : ubiprimum concupiscentia desinit, reditur in statum Adae pristinum nec opus est ulla satisfactione.

Quod vero ad hominum divisionem in iustos et perfectos attinet, haec pariter toto caelo differt a commentis similibus Valentini discipulorumque eius. Valentinus enim tres hominum classes *naturâ* diversas statuit : *pneu-*

hortatur, ut recedant ab operibus malis et bona operentur et seipsos cum Maligno crucifigant eumque devincant... Et infra n. 12 : *Quemadmodum enim malae cogitationes in corde a Satana fiunt, sic etiam cogitationes bonae in ipso a Deo sunt; et qui bona et mala operatur, aliquid ex Deo et aliquid ex Satana est in ipso.* His locis malae cogitationes ad Satanam ita referuntur, quasi eum Auctor in homine residere arbitretur eumque ad peccatum compellere; Serm. XXI, 1-2 vicissim malam arborem paradisi cum Satana respective cum maligna eiusdem doctrina aequiparat et inhabitationem Satanae in homine sensu tropico intellexisse videtur.

[1] Serm. III, 11 in fine; XXVIII, 1. — [2] Serm. III, 11; cf. XV, 10.

[3] C. Schmidt, *Gnostische Schriften in koptischer Sprache aus dem Codex Brucianus* (in *Texte u. Untersuchungen* hsg. v. Gebhardt u. Harnack, B. VIII, Heft 1-2), Leipzig, 1892,p. 473.

maticos, spiritum, *psychicos* animam habentes et *hylicos*, homines carnales ac materiales [1]. L. G. contra non solum reiicit trichotomisticam partitionem humanae naturae, sed etiam dissidet a schola Gnosticorum, quod differentiam specificam inter iustos et perfectos non in eorum natura fundatam statuat, sed eam accidentalem esse liberaque hominis activitate tolli posse asserat, si quis nempe mundo et usui bonorum eius renunciet. Verum quidem est Auctorem « iustis » non visionem Dei, sed speciem aliquam beatitudinis minoris promittere, rationem autem huius rei aliam assignat ac Gnostici, qui pneumaticos tantum salvari posse et in *pleroma* redire docebant. Ad mentem L[i] G. nimirum, cur iusti non possint videre Deum, ratio proxima est concupiscentia, qua inquinatus homo ad Deum accedere non possit, ratio autem ultima est cuiusque libera voluntas, vel aliis verbis, segnities et tepiditas hominum, non autem *impotentia naturalis,* uti docebant Gnostici. Suo loco dein videbimus Auctorem iustos fere eadem ratione describere, ac Gnostici, eorumque ad Ecclesiam relationem haud aliter definire; his tamen non obstantibus tuto asseri potest Auctorem ad conclusiones doctrinae gnosticae simillimas alia prorsus via pervenisse.

Multo difficilius est nexum doctrinae charitologicae superius expositae L[i] G. cum doctrina antiquae Christianitatis accuratius definire, siquidem systema theologicum cum doctrina charitologica L[i] G. ad amussim conveniens, ut sciam, vix detur. Singularia autem placita L[i] G. circa gratiam praecipue haec sunt :

α) *Post renunciationem perfectam rerum mundi recipitur spiraculum vitae in Paradiso amissum, eo accepto homo in « trinitate » constituitur fitque perfectus.* — Similia docebat Tatianus, Irenaeus, atque auctor Homiliarum, quae sub nomine Macarii Magni circumferuntur. Vestigia denique eiusdem doctrinae invenies apud Marcum eremitam, qui eam impugnavit.

β) « *Iusti* » « *charisma minus* » *ceu* « *commixtionem Spiritus Sancti* » *habent a* « *Paraclito* » *diversum.* — Simili ratione olim Tatianus, distinguebat inter divinum spiritum in primordiis humani generis homini copulatum eiusque scintillam — ἔναυσμα — quae post lapsum in homine remansisset. Magis adhuc conspirat cum Nostro Ammonius monachus, S. Antonii Magni discipulus, qui inter Paraclitum ascetis dandum, charismatum, ad instar margaritae, pretiosissimum et « Spiritum poenitentiae » quem etiam alii homines consequantur, discrimen statuit.

γ) *Commixtio*, quam dicit, *Spiritus S. coexistit cum peccato.* — Singularem hanc doctrinam hucusque in solis homiliis Macario adscriptis inveni.

Ad praecavendas repetitiones otiosas opera singulorum auctorum, quos diximus, perlustrabimus, locos ex eis doctrinae L[i] G. cognatos proponentes.

[1] Irenaeus, *Adv. Haer.* I, I, 14 (Harvey I, 64 sq.).

22. Tatianus in Oratione ad Graecos[1] duo in homine spirituum discrimina statuit : nimirum animam et aliud animâ praestantius : Dei imaginem et similitudinem. Cum vero utraque primis hominibus inesset, homo partim ex materia constabat, partim materia praestantior erat. Paulo infra monet[2] animam per se immortalem non esse. Dei cognitione, ait, destituta dissolvitur cum corpore et post resurrectionem mortem per supplicia in immortalitate accipit; anima enim per se non est lux, sed tenebrae; igitur a luce Verbi destituta ad materiam vergit et una cum carne moritur; divino spiritui copulata sursum ascendit, ubi Spiritus residet. Iam initio generis humani Spiritus animae convictor erat, sed eam obsequi nolentem Spiritus dereliquit. Quaedam tamen scintillae Spiritus in homine remanserunt; homo igitur Spiritu carens Deum quaerit, sed rerum sublimiorum intuendarum impar errores confingit et seductus daemones sequitur. Spiritus Dei vero non omnibus inest, sed in iis tantum residet, qui iuste et pie vivunt, quibus et res occultas manifestat. Animae igitur Sapientiae obedientes cognatum sibi Spiritum adtrahunt, quae vero Dei ministerium reiiciunt, non tam colunt Deum, quam potius pugnant cum ipso.

Tatianus igitur in hisce convenit cum L° G^{um} : a) distinguit tres partes in homine, corpus, animam et spiritum, quo gratiam sanctificantem designat animae immortalitatem, auxilium, cognitionemque rerum absconditarum impertientem[3], b) lapsum hominis ponit in descensu animae ad materialia et in amissione « spiritus », c) distinguit, inter πνεῦμα, quod solis piis hominibus

[1] N. 12 : Δύο πνευμάτων διαφορὰς ἴσμεν ἡμεῖς, ὧν τὸ μὲν καλεῖται ψυχή, τὸ δὲ μεῖζον μὲν τῆς ψυχῆς, Θεοῦ δὲ εἰκὼν καὶ ὁμοίωσις. ἑκάτερα δὲ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις τοῖς πρώτοις ὑπῆρχεν, ἵνα τὸ μέν τι ὦσιν ὑλικοί, τὸ δὲ ἀνώτεροι τῆς ὕλης.

[2] N. 13 : Οὐκ ἔστιν ἀθάνατος, ἄνδρες Ἕλληνες, ἡ ψυχὴ καθ' ἑαυτήν, θνητὴ δέ· ἀλλὰ δύναται ἡ αὐτὴ καὶ μὴ ἀποθνήσκειν. θνήσκει μὲν γὰρ καὶ λύεται μετὰ τοῦ σώματος, μὴ γινώσκουσα τὴν ἀλήθειαν, ἀνίσταται δὲ εἰς ὕστερον ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ κόσμου σὺν τῷ σώματι, θάνατον διὰ τιμωρίας ἐν ἀθανασίᾳ λαμβάνουσα, πάλιν τε οὐ θνήσκει, κἂν πρὸς καιρὸν λυθῇ, τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θεοῦ πεποιημένη. καθ' ἑαυτὴν γὰρ σκότος ἐστὶ καὶ οὐδὲν ἐν αὐτῇ φωτεινόν, καὶ τοῦτό ἐστιν ἄρα τὸ εἰρημένον (Io. I, 5)· ἡ σκοτία τὸ φῶς οὐ καταλαμβάνει. ψυχὴ γὰρ οὐκ αὐτὴ τὸ πνεῦμα ἔσωσεν, ἐσώθη δὲ ὑπ' αὐτοῦ, καὶ τὸ φῶς τὴν σκοτίαν κατέλαβεν. ὁ λόγος μέν ἐστι τὸ τοῦ θεοῦ φῶς, σκότος δὲ ἡ ἀνεπιστήμων ψυχή. διὰ τοῦτο μόνη μὲν διαιτωμένη, πρὸς τὴν ὕλην νεύει κάτω, συναποθνήσκουσα τῇ σαρκί· συζυγίαν δὲ κεκτημένη τὴν τοῦ θείου πνεύματος οὐκ ἔστιν ἀβοήθητος· ἀνέρχεται δὲ πρὸς ἅπερ αὐτὴν ὁδηγεῖ χωρία τὸ πνεῦμα· τοῦ μὲν γάρ ἐστιν ἄνω τὸ οἰκητήριον, τῆς δὲ κάτωθέν ἐστιν ἡ γένεσις. γέγονε μὲν οὖν συνδίαιτον ἀρχῆθεν τὸ πνεῦμα τῇ ψυχῇ· τὸ δὲ πνεῦμα ταύτην ἕπεσθαι μὴ βουλομένην αὐτῷ καταλέλοιπεν. ἡ δὲ ὥσπερ ἔναυσμα τῆς δυνάμεως αὐτοῦ κεκτημένη, καὶ διὰ τὸν χωρισμὸν τὰ τέλεια καθορᾶν μὴ δυναμένη, ζητοῦσα τὸν θεὸν κατὰ πλάνην πολλοὺς θεοὺς ἀνετύπωσε, τοῖς ἀντισοφιστεύουσι δαίμοσι κατακολουθήσασα. πνεῦμα δὲ τοῦ θεοῦ παρὰ πᾶσιν μὲν οὐκ ἔστι· παρὰ δέ τισι τοῖς δικαίως πολιτευμένοις καταγόμενον, καὶ συμπλεκόμενον τῇ ψυχῇ, διὰ προαγορεύσεων ταῖς λοιπαῖς ψυχαῖς τὸ κεκρυμμένον ἀνήγγειλε· καὶ αἳ μὲν πειθόμεναι σοφίᾳ σφίσιν αὐταῖς ἐφείλκοντο πνεῦμα συγγενές· αἳ δὲ μὴ πειθόμεναι καὶ τὸν διάκονον τοῦ πεπονθότος θεοῦ παραιτούμεναι, θεομάχοι μᾶλλον ἤπερ θεοσεβεῖς ἀνεφαίνοντο. — Cf. ed. Otto, Ienae, 1851, p. 58-63.

[3] *Ib.*, n. 15, ait : μόνοις δὲ τοῖς πνεύματι θεοῦ φρουρουμένοις εὐσύνοπτα καὶ τὰ τῶν δαιμόνων ἐστὶν σώματα (Cod. σώματος). — *Ib.*, p. 70.

inesse docet, et reliquias gratiae, quas scintillam (ἔναυσμα) luminis amissi gratiae appellat, quae cuique insit, neminem tamen capacem reddat ad res caelestes intelligendas, d) similem ac L. G. iustificationis viam proponit : amissa recuperanda esse docens animamque cum spiritu copulandam [1]. Qua ratione vero hoc fiat, accuratius non explicat. Differt a L° G., quod animam una cum corpore mori et demum fine mundi resurrecturam esse docet. Quam sententiam medio saeculo III in Oriente multum agitatam L. G. expressis reiicit verbis [2].

Operae pretium puto adhuc alius erroris Tatiani iam haeretici mentionem facere, cuius vestigia subobscura etiam in L° G. reperiuntur. S. Irenaeus nimirum refert Tatianum *Adae saluti ex se contradictionem fecisse* [3]. L. G. quidem tantum abest, ut Adae salutem neget, ut potius iustos antiquos a Christo post resurrectionem perfectos et in paradisum introductos esse doceat; sed iam supra monuimus hanc doctrinam in systema theologicum Auctoris nequaquam quadrare [4]. Secundum rigorem theseon L^i G. Adam, utpote generis humani pater, matrimonio iunctus nec perfici, nec visionem Dei beatificam assequi potuit. Si igitur Auctor iustos antiquos per modum exceptionis a Christo mechanice, ut ita dicam, perfectos esse doceat, evidens est eum ideam hanc a reliqua eius doctrina alienam vix a se ipso excogitasse, sed aliunde nactum esse, et quidem, uti fere certum existimo, e *Pastore* Hermae, ubi iusti antiqui, qui in iustitia dormierint et in magna castitate, sigillum autem [baptismatis] non acceperint, cum sint ante [Christi adventum] mortui, per apostolos dicuntur vitam recepisse et nomen filii Dei cognovisse [5]. Hoc autem Opus Auctor novit, uti suo loco ostendemus. Ceterum mox post Tatianum quidam ex Encratitis duram magistri sententiam circa salutem Adae mitigasse videntur. Saltem Clemens Alexandrinus allegatis contra eos verbis S. Pauli matrimonium dissolvi prohibentis [6], interrogat : *Quid autem ad haec dicunt, qui in Legem invehuntur et in matrimonium, quasi sit solum a Lege*

[1] N. 15. *Ib.* : καὶ χρὴ λοιπὸν ἡμᾶς ὅπερ ἔχοντες ἀπολωλέκαμεν, τοῦτο νῦν ἀναζητεῖν, ζευγνῦναί τε τὴν ψυχὴν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ καὶ τὴν κατὰ θεὸν συζυγίαν πραγματεύεσθαι. — *Ib.*, p. 66.

[2] Eusebius (*Hist. Eccl.* VI, xxxvii; cf. Hefele, *Conciliengeschichte,* Ed. II. Freiburg, 1873, t. I, p. 110) refert similia docuisse Thnetopsychitas quoque, animam una cum corpore dissolvi contendentes. Theologumenon istud innititur suppositioni animam sanguinem esse, quod iam Clemens Alexandrinus (*Paed.* I, 6, ed. Potter, p. 121) et Origenes (Περὶ ἀρχῶν, III, iv, 2) reiecerunt. Errat Gennadius, qui eam sententiam Iacobo, i. e. Aphraati tribuit (*Epistola de fide sua,* cap. xv). Aphraates enim non docuit animam una cum corpore mori, sed in statu aliquo sopori simili usque ad iudicium ultimum perseverare, spiritum vero in baptismo acceptum ad Christum reverti (cf. *P. S.* t. I, Praef., cap. iii, n. 15; Forget, *De vita et scriptis Aphraatis,* Lovanii, 1882, pag. 293-329). Labourt, *Le Christianisme dans l'empire Perse,* p. 34.

[3] *Haer.* I, xxvi, 1 (Harvey I, 220). — [4] Vide supra nn. 18 sq.

[5] *Sim.* IX, xvi, 5 sqq. Cf. Clem. Alex. *Strom.* VI, vi, 45 sq., ed. Stählin II, 454.

[6] I Cor. vi, 10-13.

concessum, non autem etiam in Novo Testamento [1]? Quae verba quidem etiam ad Tatianum referri possunt, quippe qui inter Legem et Evangelium distinguens matrimonium sub Lege ab altero Deo data permissum fuisse docuerit [2]; nihilominus iam saeculo III exeunte Hieracas Leontopolitanus, Origenis discipulus eodem sensu ac L. G. affirmabat matrimonium sub Lege tantum licitum fuisse, non propterea, quod Lex a Demiurgo data fuisset, sed quod post Christi adventum nemo in matrimonio constitutus regnum caelorum hereditare posset, uti refert Epiphanius [3].

23. Doctrinae tum L^i G^um tum Tatiani similia leguntur apud S. Irenaeum, qui *Adv. Haer.* V, VI, 1, ait : *Anima... et spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam : perfectus autem homo commixtio et adunatio est animae assumentis Spiritum Patris et admixta ei carni, quae est plasmata secundum imaginem Dei.* — His verbis innuit trifariam hominis divisionem (caro, anima, spiritus), quam paulo inferius apertius explicat dicens : *Propter quod et Apostolus ait : Sapientiam loquimur inter perfectos* [4], *perfectos dicens eos, qui perceperunt Spiritum Dei et omnibus linguis loquuntur per spiritum Dei, quemadmodum et ipse loquebatur. Quemadmodum et multos audivimus fratres in Ecclesia, prophetica habentes charismata et per Spiritum universis linguis loquentes ... ad utilitatem et mysteria Dei enarrantes, quos et spiritales Apostolus vocat, secundum participationem Spiritus existentes spiritales, sed non secundum defraudationem et interceptionem carnis et nude hoc ipsum solum. Si enim substantiam tollat aliquis carnis, id est, plasmatis, et nude ipsum solum spiritum intelligat, iam non spiritalis homo est quod tale, sed spiritus hominis aut Spiritus Dei. Cum autem spiritus hic commixtus animae unitur plasmati, propter effusionem Spiritus spiritalis et perfectus homo factus est : et hic est, qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei. Si autem defuerit animae Spiritus, animalis est vere, qui est talis, et carnalis derelictus imperfectus erit : imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per Spiritum; sicut autem hic imperfectus est* [5]. Igitur ex mente S. Irenaei homo fit perfectus — sensu physico — quando ei Spiritus Dei adunatur; sine Spiritu enim Dei animalis est. Hoc sensu explicat etiam verba Apostoli [6] : *integer vester spiritus et anima et corpus sine querela in adventum Domini Iesu Christi servetur,* dicens : *Et quam utique*

[1] *Strom.* III, XVIII, 108 (ed. Stählin II, 246) : Τί δὲ λέγουσι πρὸς ταῦτα οἱ τοῦ Νόμου κατατρέχοντες καὶ τοῦ γάμου ὡς κατὰ Νόμον συγκεχωρημένου μόνου, οὐχὶ δὲ καὶ κατὰ τὴν Διαθήκην τὴν καινήν;

[2] *Strom.* III, XII, 82 (ed Stählin II, 233).

[3] *Haer.* LXVII, 1 : Οὐ παραδέχεται οὗτος γάμον φάσκων [φάσκειν Cod.] εἶναι τοῦτο παλαιᾶς Διαθήκης, τοὺς μὲν γὰρ περὶ τὸν Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ιωακὼβ καὶ Μωϋσεὰ καὶ Ἀαρὼν καὶ πάντας τοὺς ἁγίους Ἠσαΐαν καὶ Ἱερεμίαν ὁμοίως δέχεται καὶ Προφήτας ἡγεῖται καὶ συγκεχωρῆσθαί φησιν ἐν τῇ παλαιᾷ Διαθήκῃ τῷ γάμῳ συνάπτεσθαι. ἀπὸ δὲ τῆς ἐνδημίας τοῦ Χριστοῦ μηκέτι τὸν γάμον παραδέχεσθαι, μήτε δύνασθαι αὐτὸν κληρονομεῖν βασιλείαν οὐρανῶν.

[4] I Cor. II, 6. — [5] Ed. Harvey II, 333 sq. — [6] I Thess. V, 23.

causam habebat his tribus, id est, animae et corpori et spiritui integram et perfectam et perseverationem precari in adventum Domini, nisi redintegrationem et adunationem trium et unam et eandem ipsorum sciebat salutem? Propter quod et perfectos ait eos, qui tria sine querela exhibent Domino. Perfecti igitur, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint Dei, ... id est illam, quae ad Deum est, fidem servantes et eam, quae ad proximum est, iustitiam custodientes. — S. Irenaeus igitur convenit cum L° G. perfectos dicens eos, qui Spiritum Dei habeant, ceu « secundum participationem Dei existentes », animales vero hac participatione Spiritus carentes. Etiam in L° G. perfectus dicitur homo, ubi « Paraclitum » acceperit, cum secus lege Dei servata fiat iustus. Utique multum differt modus, quo Irenaeus notionem perfectionis per Spiritum Dei acquisitae concipit. Ex mente enim Irenaei « perfectus » est quilibet Christianus, qui modo Christiano vivens praecepta observat, tantum abest, ut aliam sublimiorem et aliam inferiorem vitae Christianae normam statuat. Denique ex eius mente participatio Spiritus sancti non est *effectus* perfectionis, uti docet L. Gr., — sed *causa,* nam expresse asserit nos *nunc partem aliquam a Spiritu eius sumere ad perfectionem et praeparationem incorruptelae paulatim assuescentes capere et portare Deum*[1]. Irenaeus enim perfectionem, quam homo Spiritu Dei accepto, acquirat, sensu potius *physico* intelligit; hominem nempe fieri perfectum, quod praeter tres illas naturae suae partes novam aliquam acquirere ultra non possit. L. G. contra eam perfectionem intelligit sensu *morali;* hominem scilicet iam ante acceptum Spiritum Paraclitum ope abnegationis et aliorum virtutis exercitiorum aliquam sanctitatis mensuram acquirere, cum qua concupiscentia, ceu « peccatum » in corde hominis carnalis residens coexistere nequeat; et hoc sensu appellat perfectum eum, qui evulso e corde suo peccato occulto dignus efficiatur « Paraclito » accipiendo.

24. Saeculo IV doctrinam charitologicam placitis L^{i} G., similem reperies in scriptis asceticis quibusdam Aegypti monachorum. His annumerandae sunt imprimis *Homiliae spirituales* quinquaginta, quae in editionibus impressis *Macario Aegyptio*[2] adscribuntur. An earum auctor re vera Macarius sit, vix

[1] *Haer.* V, VIII, 1 (Harvey II, 339). — Ad rem cf. Klebba, *Die Anthropologie des hl. Irenaeus,* Münster, 1894, p. 26, 29-32, 72 sq. [*Kirchengeschichtliche Studien,* hsg. von Knöpfler, Schrörs, Sdralek, II. Band, 3. Heft].

[2] De quo († 390) v. Palladii *Hist. Laus.* c. XVII, ed. Butler, II, p. 43 et not. 26, p. 198. Schiewitz, *o. c.* 104 sq. Iuxta Gennadium (*De viris illustribus,* c. 10) unam tantum ad iuniores professionis suae scripsit epistolam. Apud Migne, *P. G.* t. XXXIV, col. 405, re vera reperitur epistola aliqua a Floss e tribus Codicibus edita (init. : *In primis quidem, si coeperit homo semetipsum agnoscere...*) quae etiam in recensione breviore existit (*ib.* col. 443) et in Codicibus syriacis tum Vaticanis tum Londinensibus reperitur. In Codice Syriaco Bibl. Vat. CXXII (A. D. 796; cf. Assemani, *Bibl. Apost. Vatic. Codicum manuscriptorum Catalogus,* t. III. Romae, MDCCLIX, p. 135). S. Macario Aegyptio tres

certo statui potest; ex indicis internis certum est, eas saeculo adhuc quarto exaratas esse [1], quapropter doctrina ibidem contenta pro nostra re tanto maioris est momenti.

Sermones ascetici et octo Epistolae tribuuntur, qui etiam in quibusdam codicibus Londinensibus recurrunt. *Sermonum* initia in Cod. Vat. Syro CXXII haec sunt : I, p. 192 : ܡܛܠ ܕܝܢ ܐܦ ܐܢܘܢ ܐܚ̈ܝ ܩܕ̈ܝܫܐ ܘܡܫܬ̈ܕܠܐ ܕܪ̈ܘܚܢܝܐ ܦܢ̈ܝܬܐ ܕܡܢ ܢܦܫܐ ܕܫܠܝ̈ܚܘܗܝ ܬܠܡ̈ܝܕܘܗܝ ܡܢ ܒܪ̈ܝܫܝܬ — II, p. 205 : ܟܠ ܡܢ ܕܝܢ ܕܨܒܐ ܡܢ ܟܠܗ ܠܒܗ ܙܒܢܐ ܠܡܫܡܫܘ ܠܐܠܗܐ... — III, p. 212 : ܟܠ ܡܢ ܗܘܡܠܐ ܕܙܒܢܐ ܠܡܫܡܫܢܘܬܗ ܠܐܘܪܚܐ ܕܢܦܫܐ... — *Epistolarum* vero haec : I, p. 221. ܡܢ ܡܒܪܟ ܟܠ ܡܕܡ ܕܝܢ ܐܢܘܢ ܕܝܠܕܐ ܐܝܟ ܕܝܕܥ ܢܦܫܗ... — II, p. 224 : ܠܒ̈ܢܝܐ ܩ̈ܕܝܫܐ. ܡܕܪܐ ܐܢܐ ܐܘܒ ܠܐܠܗܐ.. — III, p. 226 : ܠܐ ܐܝܟ ܡܫܡܫܢ ܟܠܗܝܢ ܡܕܒܪܝܢ ܠܡܫܡܫܢ — IV, 227 : ܒܗ ܡܢ ܡܕܒܪܐ ܕܐܚܝܐ ܠܐܠܗܘܢ ܒܡܫܝܚܘܬܗ... — V, p. 228 : ܟܡܐ ܕܙܕܩܐ ܡܢ ܕܣܓܝ ܠܐܠܗܐ... — VI, p. 230 : ܡܛܠ ܕܝܢ ܕܐܬܠܗܘܢ ܡܛܠ ܡܫܡܫܢܘܬܐ... — VII, p. 231 : ܪܒܐ ܗܘ ܫܡܥܢܐ ܕܡܢ ܐܠܗܐ ܒܫܡܫܘܬܐ ܕܟܠ ܫܢܝܐ... — VIII, p. 233 : ܗܘܝܘ ܐܠܗܐ ܐܒ̈ܝ ܕܡܫܡܫܢ : ܗܝܡܢܘܬܐ... Epistola I correspondet textui latino a Floss edito. Notandum est in Cod. Vat. Syr. CXXVI (Assemani, *o. c.* p. 173) Macario Aegyptio quaedam opuscula tribui, quae in Codice priore Macario Alexandrino tribuuntur; huc pertinent tres hae epistolae : CXXVI, fol. 236[b] ܢܛܘܪ ܐܚ̈ܝ ܫܡܝܢܐ..., fol. 271[b] *De bello daemonum* ܐܢܫܐ ܗܘ ܦܪܝܫܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܐܢܫܘܬ ܕܫܐܕ̈ܐ, fol. 272[a] *De oratione* ܐܝ ܕܝܢ ܡܬܘܡ ܐܢܬ ܐܘ ܦܢ ܨܠܘܬܐ ܐܢܬ...

Ex his prima in quibusdam codicibus Londinensibus quoque Macario Aegyptio adiudicatur, nimirum Add. 12175 (Wright, *CBM* 636) fol. 220[a]; Add. 14582 (Wright 693) fol. 53[a]; Add. 14612 (Wright 699) fol. 177[b]; Add. 12167 (Wright 770) fol. 77[b]; Add. 18814 (Wright 794) fol. 198[a]; Add. 14522 (Wright 831) fol. 40[a]. Notandum quoque est nullum ex his opusculis inter Homilias quinquaginta Macario adscriptas inveniri (apud Migne, *P. G.* XXXIV, coll. 449-822). Opuscula septem ascetica (Migne, *P. G.* XXXIV, coll. 822-968) quae sub nomine Macarii feruntur, saeculo fere XI a Simone Logotheta compilata sunt ex Homiliis L. De authentia Homiliarum nil certi constat; eam Casimirus Oudinus in op. *Commentarius de scriptoribus Ecclesiae antiquis illorumque scriptis,* Francoforti ad Moenum, 1722, t. I, p. 474-480 (partem ad Macarium pertinentem recudit Migne, *o. c.* col. 377 sqq.) in dubium vocavit et ad silentium veterum provocans Homilias a monachis graecis posterioris aetatis suppositas esse arbitratus est. Earum authentiam defendunt Gore, *The Homelies of St. Macarius of Egypt,* in *The Journal of Theol. Studies,* t. VIII (1906), p. 85-90. Stoffels, *Die mystiche Theologie Makarius des Aegypters und die ältesten Ansätze christlicher Mystik,* Bonn, 1908, p. 11 sq. Valde doleo me iis, quae Stoffels in hoc opere proponit, praecipue ad doctrinam hamartiologicam Macarii spectantibus, assentiri non posse. Stoffels non perspexit mysticam Macarii theologiam circa ἀπάθειαν, proinde circa passiones earumque causam, concupiscentiam, versari.

[1] Auctor testatur se superstites persecutionis Diocletiani novisse : *Hom.* XXVII, 15. Alii vicissim loci ostendunt Auctorem demum saec. IV ad alteram medietatem vergente scripsisse. Dicit primum Christianis mensem esse Aprilem : *Hom.* V, 9; id est, tempore illo Christianos initium anni inde ab Aprili computasse ob festum resurrectionis eum in mensem incidens. Notum autem est, eum computandorum annorum modum apud Christianos altero dimidio saeculi IV inveniri (*Constit. Apost.* V, xiv, 1; Epiphanius, *Haer.* LXX, 11. Cf. Ideler, *Handbuch der mathematischen u. technischen Chronologie,* Berlin, 1826, t. II, p. 326). Forte accuratius adhuc aetas Homiliarum definiri potest; Auctor saepius, alludit ad bellum Persarum contra Romanos gestum : *Hom.* XV, 46; XXVII, 22. Quod bellum videtur expeditio esse Juliani Apostatae, qui in sua persona copiis romanis praefuit, uti Auctor *Hom.* XV, 46 innuere videtur : *Si gens magna,* ait, *cum gente sibi aequali bellum gerat, rex cum rege, rex Persarum cum rege Romanorum, oportet utrumque regem moveri cum exercitu suo.* Notissimum est, post expeditionem Juliani

Homiliarum Auctor, quem brevitatis causa nomine tradito Macarii appellabimus, cum L° G. multis in rebus convenit, quamquam theologumena eius[1] alii fundamento superstructa sunt. Ratio consensus huiusce est conceptus peccati originalis utrique auctori communis, unde necessitate quadam ambos similes conclusiones deduxisse haud mirum est.

Macarius nimirum essentiam peccati originalis perinde ac L. G. in concupiscentia ob Adae peccatum contracta posuit. Propter inobedientiam primi hominis, ait, *malitiam affectionum* in nos recepimus[2]. Sicut ab uno Adam genus humanum super terram multiplicatum est, ita etiam malitia affectionum (κακία τῶν παθῶν) universum genus humanum invasit et abhinc princeps malitiae homines continuis cogitationibus (intellige : λογισμοῖς κακοῖς) voluptatibusque mundi exagitat[3]. Pravas passiones Macarius etiam fermentum malitiae (ζύμην κακίας) appellat, quo genus humanum, participatione quadam (κατὰ μετοχήν) fermentatum, naturali progressu (κατὰ προκοπὴν καὶ αὔξησιν) sensim in peius ruerit, donec totum fermentatum sit[4]. Post praevaricationem Adae peccatum invasit animam, eius membrum factum est, corporeo homini adhaeret; inde manant impurae cogitationes[5]. Ex mente Macarii tota vita vegetativa hominis vinculis peccati huiusce obstricta est. Post lapsum enim, inquit, homo duobus modis duobusque vinculis obstrictus est : primo quidem rebus ad vitam pertinentibus, uxore, liberis, cognatis, summatim rebus visibilibus, secundo spiritibus malitiae, qui hominem non sinunt Deum ad lubitum diligere[6]. Peccatum autem, quod homo post Adae praevaricationem contraxit, dicit virtutem esse quandam rationalem Satanae ac substantiam, quae in homine omnia mala inseverit, occulte ac latenter in interiore homine operetur, atque ope cogitationum pugnet[7]. In hac autem definitione habes notionem concupiscentiae. Iuxta dicta enim peccatum non consistit in aliquo statu aversionis a Deo, atque inimicitia inter Deum ac hominem propterea exorta, sed est in homine virtus Satanae, Deo contraria, quae semet in homine cogitationibus malis manifestat. Idem docet etiam L. G. cum quo Macarius in eo quoque convenit, quod remedium simile peccati originalis assignat : perfectam mundi renunciationem.

Ut homo, ait Macarius, a morte peccati liberari possit, debet fieri sacri-

Romanos unicum bellum maius cum Persis gessisse : saec. V, tempore Theodosii iunioris, qui autem non ipse exercitui suo praeerat (cf. Spiegel, *Erânische Alterthumskunde*, Leipzig, 1878, t. III, p. 350 sq. Gibbon, *The Decline and Fall of the Roman Empire*, chap. XXXII).

[1] Cf. Lindner, *De Macario dissertatio historico-theologica*, Lipsiae, 1846.

[2] *Hom.* VII, 8. — [3] *Hom.* V, 3. — [4] *Hom.* XXIV, 2. — [5] *Hom.* XV, 35; XVI, 4.

[6] *Hom.* XXI, 2, 3.

[7] *Hom.* XV, 49 : Ἡ γὰρ ἁμαρτία ἡ παρελθοῦσα δύναμίς τις οὖσα λογικὴ τοῦ Σατανᾶ καὶ οὐσία, ἐνέσπειρε τὰ κακὰ πάντα· ἐπειδὴ λεληθότως εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον καὶ εἰς τὸν νοῦν ἐνεργεῖ καὶ μάχεται τοῖς λογισμοῖς. Migne, *P. G.* XXXIV, 609 B.

ficium Deo dignum, debet a pontifice Christo mactari, i. e. saeculo mori, quod tunc fit, quando pravae ab eo vitae instar exeunt cogitationes. Anima enim, quae in mundo et in tenebris peccatorum adhuc vivit et ab eo, a mundo nempe, mortificata non est, sed adhuc animam malitiae, hoc est, potentiam tenebrosarum peccati affectionum in se habet, et ab illa nutritur, non est de corpore lucis, sed corpus tenebrarum[1]. Anima proinde, quae apud Deum vivere vult, debet mundo, ac priori vitae tenebrarum et malitiarum mori, atque transferri in alteram vitam[2]. Sicut currus in stadio praecurrens reliquos praepedit et palmam abripit : sic peccatum et cogitationes malae in homine currentes impediunt animam, quominus ad Deum accedat[3]. Nemo itaque potest ad Deum pervenire et cum eo uniri, nisi liber evaserit ab affectionibus peccati in nobis habitantis[4].

Si modo quaeras, quanam ratione mentis puritas obtineatur, Macarius perinde ac L. G. respondet : ope abnegationis, i. e. renunciationis perfectae saeculi et exstirpationis passionum, quibus homo lapsus subiectus est. Hanc esse Macarii doctrinam ulterius demonstrare plane superfluum est, cum nulla hoc non commendet Homilia. Differentia praecipue inter Nostrum et Macarium ea est, quod Macarius necessitatem absolutam redemptionis[5] et gratiae[6] expressis verbis defendit, dum L. G. relativam tantum necessitatem adventus Christi (non redemptionis!) docet, gratiam vero non causam iustificationis, sed effectum statuit. Errori ceterum ultimo etiam Macarius indulget, quamquam non eodem prorsus modo.

Ad mentem Macarii nimirum anima iam suapte natura capax est cognitionis et dilectionis Dei habetque etiam post lapsum sacras quasdam reliquias bonitatis perfectionisque primaevae[7]. Licet actus hominis naturales, si ad dilectionem Dei spectent, Deo sint accepti atque boni, puri tamen non sunt; at, quod eis naturaliter deest, gratia Christi suppletur, quae eos perfectos reddit[8]. Falluntur quidam, ait Macarius, falsis doctrinis decepti, qui dicunt hominem ita esse mortuum, ut nil boni possit facere. Anima etenim infanti est similis, qui ad matrem pervenire utique non potest, at vagiendo et plorando matrem movet, ut ad se veniat sibique opem ferat. Simili itidem modo et anima, si Dño adhaereat et Dñs misericordia motus ad eam accedat eique adunetur : corpore in terram proiecto mente tota in Ierusalem caelesti versatur ad tertium usque ascendens caelum et illic ministrat Dño[9]. Magnum et mirabile opus est anima. Talem enim eam Deus condidit, ut in eius natura nullum insereret vitium; ad imaginem quippe Spiritus fecit eam; posuit in ea fidem, dilectionem, scientiam, prudentiam, ceterasque

[1] *Hom.* I, 6. — [2] *Hom.* I, 8. — [3] *Hom.* I, 10. — [4] *Hom.* II, 4.
[5] *Hom.* II, 4; V, 27; XI, 10, 15; XXIV, 2 sq.; XXVI, 1; XXVII, 5; XXX, 3.
[6] *Hom.* II, 2; III, 4; XXIV, 5; XXVI, 19, 21; XXX, 5.
[7] Lindner, *o. c.* p. 16 sq. — [8] *Hom.* XXVI, 21. — [9] *Hom.* XLVI, 3.

virtutes ad imaginem Spiritus. Adhuc enim vel nunc in scientia, prudentia, dilectione fideque reperitur et manifestatur ei Dñs. Locavit in ea intellectum, cogitationes, voluntatem, mentemque ducem. Fecit eam facile mobilem, volatilem, donavit ei momento ire et redire et sibi mente ministrare, ubi voluerit Spiritus; breviter : talem eam fecit, ut sibi sponsa sociaque fiat unusque secum spiritus [1].

Uti ex his verbis manifestum est, Macarius dona a Deo animae collata post lapsum non omnino periisse censet et quidem non solum naturalia, sed ne supernaturalia quidem : ἔτι γὰρ καὶ νῦν ἐν τῇ γνώσει καὶ πίστει εὑρίσκεται, ait [2]. Aliis verbis, etiam Macarius implicite ea fere docet, quae in L° G. de commixtione Spiritus S. invenimus. Hanc fuisse veram Macarii mentem iam ipsa doctrina charitologica Homiliarum suadet.

Ad mentem Macarii nimirum peccatum, i. e. concupiscentia, non sinit hominem ad Deum accedere [3]. Igitur iuxta verba Apostoli [4] veterem hominem exuere novumque induere debet [5], vel aliis verbis : debet e statu praesente in alterum statum et naturam divinam converti ac transmutari [6]. Quod quidem sine gratia fieri non potest, secus enim adventus Dñi necessarius non fuisset; attamen initium iustificationis ab ipso homine incipit [7]. Homo etenim primo credere debet, dein mundo renuntiare, perpetuae orationi vacare, Dñum fide expectare, se ad opera bona compellere : et cognito bono hominis proposito eiusque laudabili studio Deus miseretur eius, eum ab inhabitante in ipso peccato redimit, replet Spiritu S. et tunc homo mandata divina absque labore observat [8]. Anima participatione Spiritus S. dignata ab amore mundi exsolvitur [9], atque pristinae puritati restituta proprioque naturae statui, pure ac perpetuo purisque oculis gloriam veri luminis conspicit verumque solem iustitiae in visceribus cordis fulgentem [10], immo etiam revelationum supernaturalium fit particeps [11].

Macarius ergo iustificationis mysticam rationem eodem prorsus modo concipit, atque L. G. Sed alia ratione adhuc cum L° G. convenit.

Summa nimirum perfectio secundum Macarium, praeeunte iam olim Clemente Alexandrino [12] in ἀπαθείᾳ consistit, i. e. in vacuitate ab affectibus [13]. Iam vero ad hunc perfectionis gradum nemo statim pervenit, sed duodecim gradus debet transcendere, quoad ad eum perfectionis gradum pertingat, in quo nullum iam onus operis terreni suscipere possit (ne ministerio quidem verbi vacare!) sed in uno angulo sedeat purus ac liber, suspensus et inebria-

[1] *Hom.* XLVI, 5 sq. — [2] *Hom.* XLVI, 6. Migne, *P. G.* XXXIV, col. 795 C.
[3] *Hom.* I, 9. — [4] Eph. IV, 22. — [5] *Hom.* II, 2. — [6] *Hom.* XLIV, 5, 8.
[7] *Hom.* III, 4. — [8] *Hom.* XIX, 2. Cf. XX, 8. — [9] *Hom.* IV, 14 sq.
[10] *Hom.* XVII, 3. — [11] *Hom.* VIII, 3-5.
[12] *Strom.* II, 20, ed. Stählin, p. 180; VI, 9, p. 469; VII, 10, ed. Potter, p. 865; 16, p. 894. — [13] *Hom.* X, 5.

tus[1]. Nemo enim in utero confestim vir efformatur, sed paulatim formam recipit ac gignitur; nec quisquam statim fit peritus litterarum, sed prius scholas diversas debet frequentare, quoad scientias addiscat[2].

Ut autem homo ad tantum perfectionis gradum pervenire possit, indiget gratia; Deus enim solus hominem a peccato (subintellige concupiscentiam) liberare potest[3]. Iam vero Macarius unicam tantum speciem gratiae novit : nimirum gratiam habitualem. Cum porro operatio gratiae ad eius mentem perfectam hominis a peccato puritatem efficiat eamque proinde necessario praecedat : consequens erat dicere gratiam cum peccato in anima coexistere, uti idem in L° G. de commixtione Sp. S. docetur. Ad mentem scilicet Macarii gratia definiri potest *efficax Dei in anima inhabitatio*[4]; gratia, ait, indesinenter adest; et radicata et commista homini a tenera aetate, tamquam naturale et concretum quiddam est, quod adhaeret homini velut una substantia; variis vero eum modis ad suum libitum, prouti prodest, disponit (οἰκονομεῖ) : aliquando enim intentus accenditur et ardet ignis, aliquando vero remissius et lentius[5]. Porro gratia iam ante purgationem perfectam in homine reperitur. Natura enim humana particeps est daemonum et spirituum nequitiae, itidem angelorum et Spiritus S.; templum est Satanae ac templum Spiritus S.[6]. Multi namque praediti sunt gratia, licet puri corde non sint; quapropter non pauci lapsi sunt, quia puros se autumarunt[7]. Idem docet experientia quoque. Peccatum etenim post Christi adventum quoque habet pabulum disputandi in corde : multi sunt in Ecclesia corde impuri peccantque post susceptum baptisma[8]. Sed quaeres, qui potest Deus et Satanas in anima simul habitare? Respondet Noster : Deus non capit detrimentum, etiamsi in anima una cum Satana habitet, sicuti nec radii solis laeduntur, quando loca foetida illuminant[9]. Nequitia, inquit, ita adhaeret animae, sicut lolium agro, in quo una cum frumento crescit. Si frumentum praevalet, lolium nil ei noxae afferre potest. Sic et gratia, si abundaverit in homine; etiamsi adsit in aliqua parte nequitia, ea nil nocet[10]. Ex hisce Macarii verbis lucem capit phrasis L[i] G. : in homine, qui Paraclitum consecutus non sit, « aliquid ex Deo et aliquid e Satana » esse. Eiusmodi gratiae habitualis conceptus porro diversas eiusdem species supponit, sicuti in L° G. expresse docetur. Macarius pariter diversos gratiae gradus statuit[11] et inter charismata diversa recenset αἴσθησιν, ὅρασιν atque φωτισμόν[12], ea tamen gratiae divisio, quam L. G. asseruit, in systemate theologico Macarii momento caret. Diver-

[1] *Hom.* VIII, 4. Cf. IX, 12. — [2] *Hom.* XV, 41 sq. — [3] *Hom.* II, 2; III, 4; XVII, 15.
[4] Lindner, *o. c.* p. 26. — [5] *Hom.* VII, 2, 5; XXXVIII, 4. — [6] *Hom.* XXVII, 19.
[7] *Hom.* XXVI, 25. — [8] *Hom.* XV, 14. — [9] *Hom.* XVI, 3, 6; XVII, 4.
[10] *Hom.* XXVI, 22. Cf. adhuc IX, 7; XVI, 1 sq.; LX, 8; Lindner, *o. c.* p. 24.
[11] *Hom.* XVI, 12. — [12] *Hom.* VII, 5 sq.

sis namque gratiae gradibus necessario praemia diversa in vita aeterna correspondent, uti in L° G. vidimus. Quam sententiam etiam Macarius tenet, erroris arguens eos, qui Regnum unicum et Gehennam unicam dari putent : multi enim sunt, ait, gradus, differentiae atque mensurae; quidam precantur, nescientes quid petant, alii ieiunant, vel stant in ministerio ex motivo timoris; Deus iustus cuique retribuet bona eius opera, attamen non omnes erunt Regni heredes[1]; cum autem Macarius homines non dividat in iustos et perfectos : nec, ut sciam, docet eos, qui perfectam puritatem consecuti non sint, in Regnum caelorum ingredi et ad visionem Dei beatificam admitti non posse, immo putat Deum visa sollertia hominis cum peccato luctantis et conspecta eiusdem dilectione animam unicae horae momento a morte segregare eamque in sinum suum assumere[2].

Theologumena Macarii recurrunt etiam in quibusdam Epistolis, quae sub nomine Antonii Magni et Ammonii monachi eiusdem discipuli feruntur et maxima cum probabilitate ipsis auctoribus adscribendae sunt[3].

25. Ad rem illustrandam addo translationem textus Ep. I S. Antonii, quam e codice syriaco Add. 12,175, fol. 181ª-182ª exaravi[4]. Alias eiusdem recensiones vide apud Migne, *P. G.* XL, col. 977 et 999.

[1] *Hom.* XL, 3. — [2] *Hom.* XXVI, 18.

[3] S. Hieronymus in op. *De viris illustribus*, c. LXXXVIII (Migne, *P. L.* XXIII, col. 693), ait : *Antonius monachus, cuius vitam Athanasius Alexandrinae urbis episcopus insigni volumine prosecutus est, misit aegyptiace ad diversa monasteria apostolici sensus sermonisque epistolas septem, quae in graecam linguam translatae sunt, et quarum praecipua est ad Arsenoitas.* Re vera apud Migne, *P. G.* XL, duas recensiones septem Epistolarum Antonii reperies, quibus verba S. Hieronymi sat conveniunt. Iam enim a. 1515 edidit Symphorianus sermone latino septem Epistolas Antonii iuxta translationem latinam, quam Sarasius e codice graeco sed mox deperdito exaravit (Migne, *P. G.* XL, col. 977-999). In hac autem collectione Ep. II Antonii « ad Arsenoitas » inscribitur (Migne, *ib.* col. 981), quod verbis S. Hieronymi penitus correspondet. Hae septem Epistolae recurrunt etiam in collectione viginti Epistolarum Antonii, quam a. 1641 publici iuris fecit Abraham Ecchellensis sermone arabico, adiecta translatione latina. Eius collectionis septem priores epistolae (Migne, *ib.* 999-1019) nimirum eaedem sunt, quae etiam apud Sarasiun leguntur, dispari nihilominus ordine, sc. I Ecchellensis = I Sarasii; II Ecch. = IV Sar.; III Ecch. = VI Sar.; IV Ecch. = VII Sar.; = V Ecch. = V Sar.; VI Ecch. = II Sar. (*ad Arsenoitas*); VII Ecch. = III Sar. Arabica epistolarum recensio e textu syriaco manasse videtur; attamen in Codicibus syriacis prima duntaxat Antonii Epistola reperitur, nimirum in Codice Vat. Syr. CXXII, fol. 241 ܐܓܪܬܐ ܕܟܬܒ ܡܪܝ ܐܢܛܘܢܝܘܣ ܠܐܚܐ *Epistola, quam scripsit S. Antonius fratribus.* Init. : ܡܢ ܩܕܡ ܟܠ ܡܕܡ ܫܐܠ ܐܢܐ ܒܫܠܡܗ ܕܚܘܒܟܘܢ ܕܒܡܪܢ. ܣܒܪ ܐܢܐ ܐܚܝ ܕܢܦܫܬܐ ܐܝܠܝܢ ܕܩܪ̈ܝܒܢ ܠܚܘܒܗ ܕܐܠܗܐ : ܗܠܝܢ ܬܠܬܐ ܦܘܪ̈ܫܢܝܢ ܐܝܬ ܠܗܘܢ *Ante omnia saluto caritatem vestram in Dño. Puto, fratres, animas accedentes ad dilectionem Dei tres species habere.* Item Cod. Vat. Syr. XXVI fol. 256ª-257ᵇ. Epistola exstat in duobus quoque codicibus Musei Britannici : Add. 12,175 (A. D. 534; cf. Wright, *CBM* p. 635) fol. 181ª et Add. 14,621 (A. D. 802; cf. Wright, *CMB* p. 758) fol. 151ª.

[4] Eum publici iuris fecit F. Nau in *Revue de l'Orient chrétien,* 1909, p. 282-297.

« Puto, fratres, animarum, quae ad Dei pietatem accedunt, tres dari species, sive mas sit, sive femina. Sunt homines, qui a lege caritatis vocentur in eorum naturam et a bonitate primaeva initio creationis conditam. Et ubi verbum Dei pervenit ad eos, non dubitant, sed prompte ei adhaerent, sicut Abraham patriarcha, quem videns Deus non institutione humana elegisse sui dilectionem, sed lege naturae in plasmatione eius primaeva insita[1], apparuit ei Deus dicens ei : *Egredere de terra et de cognatione tua et vade in terram, quam dicturus sum tibi*[2]. Et abiit nil dubitans de ulla re, sed promptum se exhibuit vocationi suae. Quod exemplo erat ascensionis animabus contingenti, ut laborantes et timorem Dei cum patientia et tranquillitate quaerentes reciperent gloriam laboris sui, quoniam animae eorum praesto secutae sunt dilectionem Dei. Haec est vocatio prima.

« Secunda autem eiusmodi est : Sunt homines, qui audita lege testimonium reddente de cruciatibus et tribulationibus peccatoribus paratis et de promissionibus praeordinatis his, qui in Dei timore germinent, propter Legem scriptam excitent cogitationes suas et vocationem ingredi petant, sicut testatur David verbo dicens : *Lex Domini immaculata convertens animam*, etc.[3].

« Vocatio autem tertia haec est : Sunt homines, qui a primordiis suis duri sint corde et perseverent in operibus peccati. Et Deus bonus ob dilectionem suam inducit super eos castigationem tribulationum, quoad resipiscant et convertantur et ad scientiam perveniant et paenitentiam agant ex toto corde suo et accipiant et ipsi laudem morum bonorum, sicut et reliqui ante eos.

« Hae ascensiones tres dantur animabus, quae in paenitentiam ingrediuntur, donec consequuntur gratiam et vocationem filii Dei. »

*
* *

« Purificatur corpus ante omnia ieiunio multo et orationibus et vigiliis multis et illa operatione, quam oportet hominem effectui tradere in corpore suo et ab eo amputare omnes carnis voluntates; et Spiritus paenitentiae se ei magistrum praebet in istis, providetque ei, ne eum inimicus convertat retrorsum. Tunc Spiritus paenitentiae[4] incipit ei aperire oculos animae, dans et ipsi paenitentiam, ut purificetur. Et etiam conscientia cordis incipit distinguere inter utrumque, eo quod et cor incipit instrui a Spiritu, ut paenitentiâ ambo purificet : corpus et animam; et is disponit labores corporis et animae, ut ea purificet, et separat omnes fructus (fol. 181 verso) corporis, qui admixti sunt membris corporis, ecce iam inde a facta prima commotione, et reducit singula membra corporis ad primaevam constitutionem, ne sit in eo quidquam de spiritu Satanae et ut corpus subiiciatur imperio cogitationum cordis et discat a Spiritu iuxta verbum Pauli dicentis : *corpus meum subiicio et subigo*[5]; purificat etenim cor a cibo, potu, somno et, sicut aliquando dixi, ab omnibus commotionibus quoque, ita ut etiam a consortio seminis phantasiae arceat illud puritatis animae gratia.

« Puto etenim tres formas dari motuum difficilium. Est enim [motus] in corpore, qui insitus est naturae eius, postquam plasmatum est una cum eo initio creationis, attamen

[1] Habes hic theologumenon de commixtione Sp. S., uti in L° G. vidimus, sive de reliquiis naturae bonae pristinae, in Homiliis Macarii.

[2] Gen. XII, 1. — [3] Ps. XVII, 8 (Vulg.).

[4] Apud Ammonium (de quo v. i. n. 26) Spiritus paenitentiae idem est, quod in L° G. commixtio Spiritus S. appellatur; species nimirum inferior gratiae sanctificantis (seu Paracliti) cuius non solum perfecti, a peccato puri, participes sunt, sed etiam peccatores baptisati, concupiscentia adhuc maculati. — [5] I Cor. IX, 27.

sine consensu animae non operatur; constat autem eum in corpore esse. Est vero alius quoque motus in sanguine hominis, corpori suo cibum potumque nimium concedentis. Et fervor sanguinis ob ista alimenta bellum excitat in corpore, quod inde a formatione sua libidine commovetur. Propterea dixit Apostolus : *Nolite inebriari vino, in quo intemperantia est*[1], imprimis his, qui sanctitatem observare volunt. Motus autem tertius a spiritibus malignis fit, qui ob invidiam tentant et coinquinare volunt eos, qui exordium fecerunt in portione sanctitatis[2].

« Et modo, filii dilecti, per hosce tres typos, si anima semet extendat et patienter perferat testimonio Spiritus, cogitationi cordis testimonium reddentis, caveat sibi et ambas emundet species huius infirmitatis. Si autem contempserit anima tres hosce typos, potientur ea Spiritus nequam et in ipso corpore inserent omnes passiones et movent et inferunt ei bellum vehementissimum, quoad aegrota fiat anima et infirma et clamet et quaerat, unde veniat sibi adiutor[3], et poenitentiam agat et mandata Spiritus amplexa convalescat. Et tunc sibi persuadebit perseverare in Deo, adiutore suo.

« Si vero anima semet Deo tradiderit, miseretur eius et dat ei Spiritum paenitentiae. Et hic ostendit ei singula peccata, ne accedat ad ea, et revelat ei ea quoque, quae ei obstant et eam (sc. animam) persuadere satagunt, ne se ab eorum commixtione separet, et quae multum luctantur, ne in paenitentia perseveret. Si autem perferat et Spiritui se ad paenitendum hortanti obediat, Deus cito miseretur laboriosae paenitentiae eius. Et ubi viderit tribulationem, qua affligit corpus orationibus multis, ieiunio, obsecratione, doctrina verborum Dei, misericordia erga homines, lacrimis[4], humilitate, patientiaque[5] luctus : tunc Deus clemens viso labore et subiectione eius miseretur eius, eamque liberat ».

Sic Antonius. Charitologia in hac epistola exposita totaque doctrina ascetica Antonii eidem suppositioni innititur, quam etiam L. G. continuo urget : ad iustificationem scilicet perfectam acquirendam necesse esse in statum naturae integrae redire, unde exciderit primus homo facta in ipso commotione affectuum. His e corde amotis ope Spiritus paenitentiae animam deposita commixtione Satanae misericordiam Dei consequi.

26. Doctrina charitologica Antonii optime illustratur Epistolis asceticis Ammonii, quas olim arabice Abraham Ecchellensis sub nomine Sancti Antonii publicavit, re autem vera foetus sunt Ammonii, S. Antonii discipuli, cui

[1] Ephes. v, 18.

[2] Verba Epistolae inde a *puto... sanctitatis* exstant graece in *Apophthegmatibus Patrum* S. Antonio adscripta (Migne, *P. G.* LXV, col. 84) : Εἶπεν ὁ ἀββᾶς Ἀντώνιος· Λογίζομαι ὅτι ἔχει τὸ σῶμα κίνησιν φυσικὴν συναναφυρεῖσαν αὐτῷ· ἀλλ᾽ οὐκ ἐνεργεῖ, μὴ θελούσης τῆς ψυχῆς· μόνον δὲ σημαίνει ἐν τῷ σώματι ἀπαθῆ κίνησιν. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλη κίνησις ἐκ τοῦ τρέφειν καὶ θάλπειν τὸ σῶμα βρώμασι καὶ πόμασιν· ἐξ ὧν ἡ θέρμη τοῦ αἵματος διεγείρει τὸ σῶμα πρὸς ἐνέργειαν. Διὸ καὶ ἔλεγεν ὁ Ἀπόστολος (Ephes. v, 18) : Μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία· καὶ πάλιν ὁ Κύριος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ τοῖς μαθηταῖς ἐντελλόμενος εἶπε (Luc. xxi, 34)· Βλέπετε, μήποτε βαρηθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ. Ἔστι δέ τις καὶ ἑτέρα κίνησις τοῖς ἀγωνιζομένοις, ἐξ ἐπιβουλῆς καὶ φθόνου δαιμόνων ἐπιγινομένη, ὥστε εἰδέναι δεῖ, ὅτι τρεῖς εἰσι σωματικαὶ κινήσεις· μία μὲν φυσική, ἑτέρα δὲ ἐξ ἀδιαφορίας τροφῶν, ἡ δὲ τρίτη ἀπὸ δαιμόνων.

[3] Ps. cxx, 1. — [4] II Cor. vi, 5. — [5] Ps. xxiv, 18.

praeter Epistolas[1] iam in editione arabica Ecchellensis publici iuris factas aliae aliquot adhuc ineditae in perantiquis codicibus syriacis adscribuntur[2].

[1] Sc. Epp. VIII-XIII, XV, XVII-XIX, uti mox ostendetur.

[2] Ammonius, cui in codicibus syriacis Epistolae illae adscribuntur, ubique ܝܚܝܕܝܐ, eremita appellatur; in unico codice Vat. Syr. CXXVI, fol. 290[a] (cf. Assemani, *CBV* p. 174) titulus ei inditur ܝܚܝܕܝܐ ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܐܘܟܣܘܪܘܢܟܘܣ *eremita et episcopus Oxyrhynchi*. Codicis autem huiusce testimonium a. 1223 exarati cum grano salis accipiendum est. Personam auctoris eruere sat difficile est, cum monachi multi olim Ammonii nomine appellati celebres exstiterint; eorum res quasdam gestas e *Historia Lausiaca* Palladii atque ex *Apophthegmatibus Patrum* compertas habemus. De his cf. Butler, *o. c.* II, p. 190. Probabilissimum est auctorem Ammonium Pispirensem fuisse, successorem Antonii in praelatura congregationis monasticae ab ipso fundatae. Eius mentio fit in *Apophthegmatibus Patrum* sub littera A n. 24 ubi Ammonius dicitur εἰδὼς τὴν συνήθειαν αὐτοῦ (Migne, *P. G.* LXV, col. 84 c). In Codice porro syriaco Musei Britannici Add. 12,175, qui integram collectionem Epistolarum Ammonii exhibet, Epistola IX (fol. 228[b]) Ammonius se S. Antonii discipulum prodit verbis « *Pater Antonius dicebat nobis hominem sine tentatione non intrare in regnum caelorum* », quod effatum etiam in Apophthegmatibus S. Antonio tribuitur : Οὐδεὶς ἀπείραστος δυνήσεται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν (Migne, *ibid.* col. 77 A; effatum ceterum apud antiquos in ore Dñi positum; ita Tertullianus, *De Baptismo,* n. 20. *Didascalia Apostolorum,* II, 8, ed. Funk, Paderbornae, 1905, p. 44_5 et 45_4). Ammonii nostri mentio fit in *Hist. Monachorum,* c. 13 (Migne, *P. L.* XXI, col. 432); in *Vitis Patrum,* VIII, 74 (Migne, *P. L.* LXXIII, col. 1176); graece in ed. *Historiae Lausiacae* apud Migne, *P. G.* XXXIV, col. 1178; syriace apud Bedjan, *Acta SS. et Martyrum,* v. VII, p. 427.

Antiquissimam Epistolarum Ammonii collectionem habes in Codice Musei Britannici Add. 12,175 (Wright, *CBM* p. 636) A. D. 534 exarato. Continet quatuordecim Epistolas fol. 225[a]-232; Epistola autem V contra testimonium reliquorum Codicum rubrica destituta est, ita ut in Codice ipso tantum tredecim Epistolae numerentur Add. 17,183 (saec. X. Wright, *CBM* p. 821) fol. 107[a]-115[a], undecim Epistolas continet ex his, quae in Codice quoque priore occurrunt; deest Ep. VII, VIII, XIV. Add. 14,598 (saec. IX. Wright, *CBM* p. 732) fol. 339[a]-483[a] novem priores Epistolas exhibet; desunt Epp. X-XIV.

Praeter laudatos codices Londinenses collectio Epistolarum Ammonii in duobus quoque Codicibus Vaticanis invenitur. 1) Vat. Syr. CXXII A. D. 796 exaratus; praeter Epistolas in Cod. Add. 12,175 contentas duas praebet novas et quidem tamquam XVI, pag. 302 cuius init. : ܟܠ ܡܢ ܗܘܟܠ ܕܠܒܝܫ ܡܢ ܗܘ ܠܒܘܫܐ ܡܫܝܚܐ... (eam habes in Cod. M. Britannici Rich. 7,190 fol. 96[b]) et tamquam XV, p. 304 « *De patientia* ». Init. : ܡܟܝܟܘܬܐ ܕܡܫܝܚ ܐܠܗܢ ܕܢܬܦܐܪܘܢ ܕܪܘܫ ܚܫܐ ܛܠܐ ܕܡܣܝܒܪܢܘܬܐ. 2) Vat. Syr. CXXVI (A. D. 1223. Assem. *CBV* p. 174) pariter integram exhibet collectionem in Cod. Add. 12,175 contentam, sed praeter iam laudatam Epistolam, cuius initium audit : ܟܠ ܡܢ ܗܘܟܠ ܕܠܒܝܫ fol. 296[a] novam addit collectioni Epistolam num. XVI, cuius init. : ܡܣܝܒܪܢܘܬܐ ܠܗ ܗܘ ܕܫܡܥ ܡܣܝܒܪܢܐ ܒܠܒܗ ܡܢܨܚ. Opusculum hoc idem est, cui in Cod. Vat. Syr. CXXII p. 304 *De patientia* inscribitur. Hanc Epistolam inveni in Cod. Add. 18,814 fol. 148[v]-155[v] quoque; idem codex fol. 144[a]-148[b] aliam adhuc epistolam tribuit Ammonio cuius init. est : ܗܘܝܬ ܗܘܟܠ ܐܠܘܫܛܐ ܒܐܟܠ ܟܠ ܣܡܘܗܝ; aliud eiusdem exemplum exhibet Codex Syriacus V Cl. Professoris G. Neumann Vindobonensis, qui insigni cum benignitate textum Epistolae describi permisit. Haec ultima absque dubio spuria est; nil enim est nisi farrago ex aliis Ammonii Epistolis compilata.

Brevitatis causa conspectum addo epistolarum Ammonii sicuti in laudatis inveniuntur

Summarium doctrinae asceticae Ammonii hoc fere est : Ope abnegationis acquiritur Paraclitus, pretiosa illa margarita, cuius emendae gratia homo Evangelii vendidit omnia, quae habuit, rarissima inter mortales, sicut et margarita in aedibus tantum regiis invenitur. Nemo enim Paraclitum accipit, nisi prius ἀπάθειαν consecutus sit; reliqui homines, qui ab affectibus vacui non sunt, tantum Spiritum paenitentiae accipiunt. Accepto Paraclito homo revelationum supernaturalium fit particeps; deposito timoris affectu non iam opus habet pro seipso orare, sed pro aliis duntaxat.

Doctrinam charitologicam Ammonii ipsarum Epistolarum verbis illustraturus praemoneo textus heic adiectos ex antiquissimo Codice Add. 12,175 translatos esse. Textum syriacum Epistolarum integrum in *Patrologia Orientali* vol. X publici iuris feci.

Epistola duodecima [1].

« Saluto vos in Spiritu humili, qui pacis est et dat odorem suavem animabus iustorum. Non enim hicce descendit Spiritus, nisi super animas, quae ipsae purae sunt ab omnibus passionibus perfecte; nam sanctus est, nec adhaeret immunditiei; Dñs autem non eum prius dedit apostolis suis, donec se mundos reddiderunt. Ideo dixit eis : *Si abiero, mittam vobis Paraclitum, Spiritum veritatis et ostendet vobis omnia* [2]. Hunc enim Spiritum

Codicibus annotatis Epistolis correspondentibus ab Abraham Ecchellensi arabice et latine sub nomine Antonii editis et apud Migne recusis.

MIGNE *P. G.* XL.	Epistola. Antonii	Add. 14598. saec. IX.	Add. 17183. saec. X	Vat. Syr. 126. A. D. 1223.	Vat. Syr. 122. A. D. 796.	Add. 12175. A. D. 534
col. 1030	XV	fol. 339a	fol. 107a	fol. 295b XII	pag. 278 I	I. fol. 225a
— 1021	IX	— 340b	— 107b	— 295a XI	— 279 II	II. — 225b
— 1023	X	— 341b	— 108b	— 291a III	— 288 VI	III. — 226b
— 1024	XI	— 343a	— 109a	— 292a IV	— 290 VII	IV. — 226a
— 1026	XII	— 344a	— 110a	— 292b V	— 292 VIII	V. — 227a
— 1027	XIII	— 344b	— 110b	— 292b VI	— 293 IX	VI. — 227b
		— 345a		— 293a VII	— 294 X	VII. — 227b
— 1019	VIII	— 346b		— 293a VIII	— 295 XI	VIII. — 228a
		— 347a	— 111a	— 293b IX	— 296 XII	IX. — 228b
			— 112a	— 294a X	— 299 XIII	X. — 229a
— 1047	XVIII		— 113a	— 290b II	— 286 V	XI. — 229b
— 1051	XIX		— 114a	— 290a I	— 284 IV	XII. — 230a
			— 115a	— 297a XV	— 281 III	XII. — 231a
						XIV. — 232a

Nota : Numeri romani Vaticanis Codicibus additi designant ordinem Epistolarum prouti in codicibus respectivis reperitur. — Epistola, quae exstat in Vat. Syr. fol. 296a et Add. 18,814 fol. 148b (Init. ܡܣܟܢܘܬܐ ܠܗ ܗܘ), correspondet Ep. XVII Antonii (Migne, *l. c.* col. 1039).

[1] Add. 12,175, fol. 231a, col. 1. Cf. Migne, *P. G.* XL, col. 1051.
[2] Ioannes XIV, 17, 26.

dat inde ab Abel et Henoch animabus, quae ipsae mundae sunt [fol. 231a, col. 2] perfecte. Ille enim, qui super aliis animabus requiescit, non idem est, sed paenitentiae est, nam super aliis animabus Spiritus Paenitentiae requiescit, et eis vocatis et ab omni immunditia ablutis et perfecte mundatis adducit eas ad Spiritum Sanctum nec cessat infundere eis odorem suavem et dulcedinem, sicut dictum est : *Iucunditatem Spiritus quis novit? Nisi hi, in quibus habitat* [1]. Sed ne Spiritui quidem Paenitentiae multi digni habiti sunt associari; Spiritus vero veritatis vix per singulas generationes in singulis habitat animabus. Sicut enim margarita non in qualibet domo reperitur, sed vix in aedibus regum : similiter Spiritus ille non invenitur, nisi in animabus iustorum perfectorum, quippe qui eo dignati maximas gratias egerint Deo dicentes sic : Laudamus te, Deus, qui dedisti nobis eundem Spiritum, quem omnibus servis tuis contulisti, tibi placentibus. Omnes autem iusti, ad quos missus est, maximopere confessi sunt Deo. Hic enim est *margarita* dicta in Evangelio, quam emit is, *qui vendidit omnia, quae habuit, et emit eam* [2]. Hic est *thesaurus in agro absconditus,* quem cum invenisset homo, gavisus est valde [3]. Animabus igitur, in quibus habitat, mysteria maxima revelat et idem fit eis dies ac nox et replet spiritum eorum, dum adhuc in hoc habitaculo sunt... »

Quanam ratione acquiratur Spiritus S. effectusque, quos in « perfectis » producat Epistola VIII (Add. 12,175, fol. 228a, col. 2) hisce exponitur verbis [4] :

« Estote sani in pace Patri dilectionis, ut charisma, quod accepere patres vestri, et vos recipiatis. Quod si accipere velitis, animam vestram labori corporali et labori cordis tradetis et cogitationes vestras ad caelum extendetis die ac nocte implorantes toto corde vestro Spiritum Sanctum et dabitur vobis. Hic enim erat in Elia Thesbite et in Elisaeo et in aliis prophetis omnibus. Videte autem, ne intrent in cor vestrum cogitationes dubii dicentibus vobis : « quis potest eum accipere? » Nolite itaque dare locum talibus cogitationibus, ut in vos introeant, sed sincere petite et accipietis. Ego vero, pater vester, orabo pro vobis, ut eum accipiatis. Scio enim vos abnegasse animam vestram, ut eum accipiatis. Qui enim vacaverit operi eius a generatione in generationem, hic eum accipit Spiritum. Testimonium vero de vobis perhibeo, vos corde sincero implorare Deum. Et ubi acceperitis huncce Spiritum, revelabit vobis omnia mysteria caelestia. Multae sunt enim revelationes eius, quas non possum vobis charta describere; verumtamen timoris expertes eritis [5], timore quolibet destituti, et gaudium caeleste consequetur vos et ita eritis, quasi iam in regnum migraveritis, dum adhuc in carne sitis. Et deinde opus non habebitis orare pro anima vestra, sed tantum pro proximis vestris. Moyses enim accepto Spiritu oravit pro populo dicens Deo : *Si hosce deleas, dele me de libro tuo vitae* [6]. Videtis, eam fuisse sollicitudinem eorum, ut pro se invicem orarent, ubi ad hanc mensuram pervenissent... »

Effectus igitur gratiae Paracliti ope laborum acquisitae duo sunt : illuminatio, ceu mysteriorum cognitio, et gaudium caeleste. De illuminatione Ep. IV agitur, ubi post salutationem consuetam exponitur, cur tam multi

[1] Citatum ignotae originis. Cf. I Cor. II, 11. — [2] Matth. XIII, 45 sq.

[3] Matth. XIII, 44. — [4] Cf. Migne, *P. G.* XL, col. 1020 D sq.

[5] Effatum simile Antonii M. refertur in *Apophthegm. Patrum* (Migne, *P. G.* LXV, col. 85 C) : Εἶπεν ὁ ἀββᾶς Ἀντώνιος· Ἐγὼ οὐκέτι φοβοῦμαι τὸν Θεὸν ἀλλ' ἀγαπῶ αὐτόν. Ἡ γὰρ ἀγάπη ἔξω βάλλει τὸν φόβον (I Ioan. IV, 18). — [6] Exod. XXXII, 32.

a fide aberrent. Respondet Ammonius : ideo, quia adhuc *aperitionem oculorum* non acceperunt. Dein thema sibi propositum sic prosequitur (Add. 12,175, fol. 227ª, col. 1 [1]) :

« Quapropter B. Paulus sciens hoc [2] esse divitias maximas fidelium dixit : *Flecto genua mea die ac nocte pro eis coram Dño Jesu Christo, ut det eis revelationem ad cognoscendum se illuminatis oculis cordium ipsorum ad sciendum, quid sit latitudo et longitudo et excelsum et profundum et ad cognoscendas divitias sanctorum* [3]. Quoniam igitur dilexit eos ex toto corde suo Paulus, voluit has magnas divitias, quae sunt aperitio oculorum, dari filiis suis, quos dilexit. Sciebat enim, si detur eis, eos non amplius esse operam daturos ne uni quidem rei, nec eos ullo timore perculsum iri, sed timorem Dei fore in eis die ac nocte et opus Dei in rebus omnibus dulce eis futurum, magis quam mel et favum, et Deum assidue cum eis fore et daturum revelationes et revelaturum eis mysteria maxima, quas non possum lingua enarrare..... Et ego, pater vester, oro pro vobis, ut ad hanc conditionem perveniatis, ad quam haud multi ex eremitis pervenerunt, sed tantum animae numero paucae et singuli duntaxat per diversa loca... »

De effectu altero, quem Spiritus Paraclitus in anima producat, de gaudio caelesti, Ammonius saepius sermonem instituit. Locos praecipuos excerpere non erit superfluum.

Epistola III (Add. 12,175, fol. 226ª) exponit [4], cur quidam eremitae proficere nequeant. Causam putat ἀνθρωπαρέσκειαν, studium placendi hominibus, atque vanam gloriam. Dein sic hortatur filios :

« Vos autem, dilectissimi, pugnate contra spiritum vanae gloriae (fol. 226ᵇ) omni tempore, ut eam omnibus modis devincatis, ut virtus divina adhaereat vobis omni tempore. Ego autem orabo Deum pro vobis, ut gaudium hoc semper detur vobis. Nil datur, quod ipso celerius sit. Quod si vero videritis deseruisse vos et recessisse a vobis fervorem, petite eum et redibit ad vos [5]. Fervor enim veluti ignis est frigus in suam naturam convertens. Si igitur videritis cor vestrum per tempus grave esse, citate animam vestram et eam petite, quoad ferveat et in Deo accendatur... »

Gaudium igitur caeleste in hac epistola veluti fervor in bono opere perficiendo describitur. In Ep. X (Add. 12,175, fol. 229ᵇ) duas « fervoris » huiusce species statuit dicens :

« *Spiritus, ubi vult, spirat* [6], spirat autem in animabus castis et sanctis et sinceris et bonis. Et si obedierint Spiritui, dat eis timorem Dei et fervorem initio. Et postquam sementem fecit in eis, facit eos odisse totum mundum, sive aurum, sive argentum, sive muliebria, sive patrem, sive matrem, sive uxorem sive filios. Et hac ratione efficit, ut eis dulcescat opus Dei super mel et favum, sive labor sit, sive ieiunium, sive vigiliae, sive

[1] Cf. Migne, *P. G.* XL, col. 1025 B. — [2] Sc. donum gratiae.

[3] Eph. III, 18. — [4] Cf. Migne, *P. G.* XL, col. 1024.

[5] Similia docet Aphraates in *Dem.* VI (*P. S.* I, 300 sq.). Ea sententia ultimatim e *Pastore* Hermae (*Mand.* V, ed. Funk, p. 483) manasse videtur.

[6] Ioan. III, 8.

silentium, sive opus misericordiae. Et eadem ratione omnia, quae Dei causa fiunt, dulcescunt eis, donec omnia docuerit eos. Postquam vero homo omnia edoctus est, traditur tentari. Et tunc omnia, quae ei prius dulcia erant, molesta ei fiunt. Quapropter multi, ubi tentantur, manent[1] in moerore et fiunt carnales. Hi sunt, de quibus dixit Paulus : *incepistis,* inquit, *in Spiritu et modo in carne absolvistis*[2] : haec omnia passi estis vane et inutiliter. Si quis autem in tentatione prima Satanae restiterit eumque devicerit, tunc dat ei Deus fervorem pacificantem et prudentem et confortantem. Fervor enim primus inquietus et imprudens est, hic autem secundus praestantior est. Is autem parit intelligentiam, ut homo magnum agonem committens spiritualia videat et patientiam habeat perturbationis expertem. Sicut enim ambo gubernacula[3] navis in vento prospero facilius diriguntur navisque iter magnum currit, qua ratione etiam nautae gaudent et quiescunt : pari ratione fervor secundus se habet. Omnibus ille modis quietum reddit [hominem]. Modo, filii dilectissimi, acquirite fervorem secundum, ut recte disponamini in rebus omnibus. Etenim fervor, qui propter Deum est, irritas reddit omnes nostras passiones titillationum et abstergit et delet vetustatem hominis antiqui... »

Fervor igitur primus excitat hominem, secundus quietat eumque ἄπαθον reddit. Ἀπάθεια enim ad mentem Ammonii intime cohaeret cum notione perfectionis, uti ex locis citatis patet. Fuse de ea agitur in Epistola Antonii XVII, quae syriace exstat in codice Musei Britannici Add. 18,814, fol. 148v-155v Ammonio auctori adscripta, unde operae pretium puto ea, quae ad rem nostram pertinent, apponere[4].

Auctor exponit Paulum apostolum ope fidei vidisse Dñum, sicut ope fidei sanata est haemorrhoissa, cum eum tetigisset :

« Per fidem igitur apparuit Apostolis suis Dñs Jesus, tamquam liberis. Qui igitur concupiscentiae subditus est, non videt Dñum Jesum. Is vero, qui laborat ex oculis, non potest ad lucidum aspectum accedere; sicuti is, qui hebetatos habet dentes animae ob carnes malitiae nequit comedere de pane vitae : similiter is, qui non habet illuminatos oculos non potest videre Deum, iuxta illud : hi, *qui mundi sunt corde, vident Deum*[5]. Igitur iis, qui ne uni quidem passioni obnoxii sunt, apparet Deus. Et fortasse propterea scriptum est eum aliquando non apparuisse hominibus, nisi mortuo rege Uzia[6]. Uzias enim speciem peccatoris prae se ferebat et possibile est eum typum gessisse peccati, quo emortuo et recedente apparet Deus animae. Dum enim vivit peccatum et regnat in corpore nostro mortuo, non possumus videre Deum prae tenebris nec aërem animarum nostrarum, ne in eis lux splendeat. In lumine enim apparet Deus animae, sicut dicitur : *Deus lux est et tenebrae in eo non sunt ullae*[7]. »

Excerpta allegata sat superque ostendunt doctrinam Ammonii asceticam in iisdem praemissis fundari, quas et L. G. continuo urget. Utrobique

[1] Codex ܡܟܣܟܝܢ, pro quo Add. 17,183, fol. 112b legit ܡܟܣܟܣܝܢ. — [2] Gal. III, 3.

[3] Codex ܐܝܟ ܕܬܪܝܢ ܡܕܒܪܢܘܬܐ ܕܪܘܚܐ ܦܫܝܩܬܐ ܥܠ ܡܬܕܒܪ̈ܝܢ ܐܠܦܐ ܘܪ̈ܕܝܢ ; hoc loco ܦܠܓ gubernaculum*, πηδάλιον significare videtur; naves antiquas duo gubernacula habuisse v. *Dictionary of Greek and Roman Antiquities,* ed. W. Smith, London, 1849, p. 788.

[4] Cf. Migne, *P. G.* XL, col. 1040 sq.

[5] Matth. V, 8. — [6] Is. VI, 1. — [7] I Ioan. I, 5.

finis asceseos idem est : impetratio Spiritus Sancti et unio mystica cum Deo, superior et intimior ea, quam Christiani in saeculo viventes consequi possunt. Idem etiam medium ad finem hunc obtinendum commendatur : exstirpatio passionum, cum nemo passionibus obnoxius ad Dei visionem pervenire possit.

Simul etiam liquet, eas ideas asceticas medio saeculo IV non solum in Aegypto sed etiam in Asia longe lateque diffusas esse, uti loci, quos ex operibus Athanasii, Gregorii Nysseni, etc. allegavimus, luculenter probant. Aeque vero certum est, eam doctrinam asceticam, cuius antiquissimus magister Hieracas fuisse videtur, inde a saeculo III exeunte usque ad finem saeculi IV essentialem mutationem subiisse. Hieracas enim, sicut et L. G., vias ineunt, doctrinae orthodoxae prorsus adversas, aliam perfectis, aliam communibus Christianis salutem promittentes. Successu temporis rei monasticae theologi periculosam hanc doctrinam ideas gnosticas fastumque haud paucum sapientes abdicare coacti sunt. Ne Evagrius quidem, qui regnum caelorum ἀπάθειαν ψυχῆς μετὰ γνώσεως τῶν ὄντων ἀληθοῦς definivit [1] et a S. Hieronymo Pelagianismi et Origenismi accusatur [2], ausus est doctrinam charitologicam Ecclesiae tam aperte infitiari, sicut in L. G. contingit. Constitutione enim Ecclesiae post superatas persecutiones stabilita et disciplina ecclesiastica bene ordinata id amplius possibile non erat, ubi etiam res monastica ab Ecclesia sollicite invigilari coepit.

V

DE ECCLESIA ET SACRAMENTIS.

27. Notio et finis Ecclesiae — 28. Sacramenta : Baptisma, Eucharistia, Paenitentia. 29. — Doctrinae similes Marcosiorum, Ascrodutarum, Gnoseos Orientalis et quorundam monachorum.

27. Cum conceptu singulari iustificationis, quem L. G. tantopere urget, intime cohaerent ea quoque, quae de Ecclesia et sacramentis docet.

Si nempe iustificatio propriis hominis viribus fiat « ex opere operantis », ut ita dicam, consequens est Ecclesiam non esse gratiarum dispensatricem per sacramenta a Christo instituta, sed ad summum divinae revelationis, doctrinae scilicet Christi custodem divinitus deputatum; si porro gratia Paracliti ipsis propriis hominis operibus acquiratur : nec sacramentis opus est, tamquam signis gratiae practicis, eorumque utilitatem proinde exiguam esse ultra inferendum erit.

Auctor re vera ex erroribus, quos circa iustificationem proposuerat, has

[1] *Capita practica ad Anatolium,* Migne, *P. G.* XL, col. 1222 D.

[2] *Praef. in l. IV super Ieremiam;* cf. Zöckler, *Evagrius Pontikus* in *Biblische u. Kirchenhistorische Studien,* IV, 81.

omnes conclusiones plus minusve aperte et imperterrite deduxit. Ecclesiae etenim munus aliquod paedagogi tribuit ad solos « iustos » spectans, quando eam *nutricem* appellat, cuius sit infantes et infirmos *educare*, id est, ad perfectionem consequendam disponere et manuducere[1]. Ecclesiae enim est, ait, cuique cibum spiritualem dispositioni eiusdem morali convenientem apponere. Sicut nulla mater porrigit filio tres dies nato panem et filio adulto, triginta annos nato, lac, — alioquin ambo fame peribunt, — sic et Ecclesia catholica, *educatrix benedicta,* quae parvulos et infirmos in ecclesiam caelestem partu edit, cuique fidelium cibum spiritualem aptum praebet, ut infirmi convalescant et infantes in perfectione crescant et pinguescant[2]. Magna itaque est dignitas *Ecclesiae catholicae,* quippe quam Christus fundaverit, in qua Apostoli oraverint et corpus sanguinemque Christi immolaverint, nam ab Ecclesia procedit cognitio veritatis[3]; attamen vi triti axiomatis : *visibilia imago invisibilium,* Ecclesia visibilis nonnisi imago est ecclesiae invisibilis cordis et sublimitatis, sicut Baptismus, cibus spiritualis (Eucharistia), oratio, totumque ministerium visibile Ecclesiae imago sunt baptismi, cibi, orationis, altarisque invisibilis, quorum perfecti modo sublimiore fiunt participes [4].

Membra ecclesiae visibilis sunt « iusti », « domestici fidei », adhuc imperfecti, qui malos fugere debent, ne seducantur. Multi sunt quidem inter eos, qui sectarios inique persequuntur, hoc autem praecepta fidei perfectione inferiora non exigunt[5].

Ad ecclesiam invisibilem, quod attinet, duas finxit auctor : « ecclesiam *cordis* et *sublimitatis* » : si quis, ait, cor suum vigiliis, orationibus, ieiunio humilitateque attriverit et saeculo renunciaverit, tunc apparebit ei ecclesia cordis et sublimitatis[6], quarum imaginem repraesentat ecclesia visibilis, infantium et infirmorum educatrix[7]. Quid sibi haec ecclesiae invisibilis bifaria divisio velit, non sat liquet. Auctor *ecclesiam cordis* ipsum hominem iam mundum appellare videtur, ope contemplationis rerum caelestium in se reversum, cuius corpus templum sit et cor altare[8]; *ecclesiâ* vero *sublimitatis* eorum statum intelligi vult, qui accepto Paraclito iam hac in vita intime uniti cum Deo luminis caelestis participes fiant et quodammodo mente paradisum caelestem ingrediantur, quem Adam lapsus deseruerit. Dicit namque : *Tres hae ecclesiae et ministeria eorum vitam habent; attamen praestantior est gloria, quam gloria. Qui autem e ministerio ecclesiae huius vitâ fungitur et ad ecclesiam cordis et sublimitatis non pervenerit : ex hoc saeculo sine peccato exibit et decorus erit et bona quoque opera eius comitabuntur eum. Et qui ex illa ecclesia cordis vitâ fungitur, praestantior est. Et qui ad cor usque, ad eccle-*

[1] Serm. XII, 2. — [2] Serm. XI, 5; XII, 2, 6. — [3] Serm. XXVII, 5.
[4] Serm. XXVIII, 8. — [5] Serm. XXX, 1-4. — [6] Serm. XII, 2, 4.
[7] Serm. XXVIII, 8. — [8] Serm. XII, 1.

siam caelestem pervenit et tunc moritur : beatus est spiritus eius, quod sit perfectus, et veniens videt Dñum facie ad faciem [1]. Paulo superius vero dehortatur a contemnenda ecclesia visibili dicens : *Quodsi dubitaverimus et contempserimus ecclesiam hanc manifestam et altare hoc manifestum et sacerdotium hoc manifestum, neque cor nostrum erit altare et fons laudis, nec ecclesia illa excelsa apparebit nobis, ubi omnes sancti congregabuntur, qui puri sunt et habitant in gloria eius et delectantur luce eius* [2]. Ambo loci innuunt, ecclesiam cordis et sublimitatis nil aliud significare, nisi gradus perfectionis; probabiliter ea ratione, ut ad ecclesiam cordis is pertineat, qui ad perfectionem tendat, caritatem et humilitatem et castitatem, breviter, virtutes perfectorum sectetur, sed adhuc Paraclitum non acceperit, nec a passionibus vitiosis immunis sit; ecclesiae vero sublimitatis membrum sit homo totus quantus a peccato mundatus et accepto Paraclito perfectus.

Idem suadet modus, quo discipulos ecclesiae visibilis et cordis et sublimitatis in fidei, caritatis perfectionisque *asseclas* dividit [3] discipulos caritatis in specie dicens eos, *qui diligendo profecerint* [4], — subintellige : qui plenam perfectionem consecuti non sint, uti alibi mutuum ordinem graduum perfectionis definit verbis : *Ex iustitia homo ad caritatem ascendit et e caritate ad perfectionem sublimatur* [5]. Mentem Auctoris circa hanc quaestionem accuratius explorare prorsus impossibile est et, puto, etiam superfluum; saltem systema theologicum Operis ea quaestio omnino non tangit.

28. Sicut Ecclesia ad mentem L. G. proxime in bonum « domesticorum fidei » fundata est, sic etiam sacramenta pariter ad iustos tantum pertinent, perfecti enim ope renunciationis consequuntur « charisma maximum », Paracliti gratiam. Sacramenta autem, quorum in L° G. aliqua ratione mentio fit, sunt tria : Baptismus, Eucharistia, Poenitentia.

Baptismum Auctor « piacularem et peccatorum remissorium » dicit [6], quo homines Spiritum accipiunt, ut praeceptis auditis ea per fidem observent [7]. In Baptismo sacerdotes conferunt characterem baptismalem, qui post obitum iustis relinquitur, damnatis vero aufertur, sicuti Auctor e verbis Salvatoris [8] : *habenti dabitur et abundavit, ei autem, qui non habet, et quod videtur habere* (sc. characterem baptismalem) *auferetur ab eo,* infert [9]. Baptismus ecclesiae visibilis imago est baptismi, quo perfecti in Christo baptisantur [10]; ad perfectionem consequendam tamen necessarius est; sine eo enim ecclesia cordis et sublimitatis nemini patet [11].

Igitur Auctor doctrinam ecclesiasticam circa effectus Baptismi cum suis

[1] Serm. XII, 4. — [2] Serm. XII, 2. — [3] Serm. XXX, 2. — [4] Serm. XXX, 6.
[5] Serm. IX, 13. Cf. Aphraatis *Dem.* I, 3 (*P. S.* I, 8).
[6] Serm. XII, 1. — [7] Serm. XXVIII, 8. — [8] Matth. xxv, 29.
[9] Serm. XXIV, 2. — [10] Serm. XII, 1; XXVIII, 8. — [11] Serm. XII, 4.

placitis studet componere : admittit cum Ecclesia in Baptismo peccata remitti et « Spiritum » dari ad praecepta per fidem observanda; ex altera autem parte putat perfectos aliqua ratione sublimiore baptizari in Spiritu « qui est caritas et veritas » [1].

De *Eucharistia* similia quidem, sed multo confusius asserit; aliquando enim realem Christi praesentiam docere videtur, aliquando vero ita loquitur, quasi Eucharistiam merum symbolum panis caelestis autumet, in quo Dñs vere manducetur. Realem praesentiam manifestis asserit verbis Serm. IX, 6 ubi Christum bella abrogasse dicit et gentibus dixisse : *Si sanguinem sitiatis, ecce sanguis meus : bibite et vivite et nolite bibere sanguinem alterutrius et mori. Et ipso occiso biberunt sanguinem eius nec eos pudet adhuc sanguinem fratrum suorum bibere.* Huc pertinet locus paulo superius citatus, ubi dicit Apostolos in ecclesia visibili immolasse corpus et sanguinem Dñi [2]. Axioma autem sibi tantopere familiare : « visibilia imago invisibilium » ad Eucharistiam quoque extendit, Ecclesiam parere homines dicens, *donec perfecti comedunt Dñum vere, sicut dicit*[3] *: « Qui manducat me, etiam hic erit vivens propter me »* [4]. Praeterea Eucharistiam inter res eas recenset, quibus exemplar quoddam caeleste respondeat [5]. An illis verbis Auctor realem Christi in Eucharistia praesentiam infitiari voluerit, non liquet. Verba Pauli eucharistica I Cor. XI, 27 bis quidem allegat [6] at absque addita ulla explicatione; exinde igitur veram eius circa hanc rem sententiam explorare nequaquam poteris.

[1] Serm. XXIV, 2. Operae pretium existimamus mentionem brevem facere controversiae nuper a Cr. Burkitt suscitatae, qui ad verba Aphraatis in *Dem.* VII, 50 (*P. S.* I, 345) contenta provocans duo genera Christianorum in Mesopotamia olim exstitisse contendebat : laicorum poenitentiam, vitam saeculorum agentium et laicorum baptisatorum, caelibum, bonis suis renunciuntium, quos Aphraates nominibus ܒܢܝ ܩܝܡܐ » filii foederis » et ܝܚܝܕܝܐ « anachoretas » appellet iisque persimilem vitae rationem praescribat ei, quae in L° G. « perfectis » proponitur (*Early Eastern Christianity*, London, 1904, p. 133 sqq.). Quam sententiam merito reiecerunt Nöldeke (in *Göttingische gelehrte Anzeigen*, t. CLXVII [1905], p. 81), et Connolly (in *Journal of Theological Studies*, t. VI [1906], p. 537). L° G. spectato theoria a Burkitt proposita pariter caret fundamento. Saltem in toto opere nulla occurrunt indicia, quae suadeant Christianos baptisatos matrimonio et vitae saeculari valedixisse. Cf. Serm. XI, 1; XII, 1, 3; XXVIII, 8. Quod *filios foederis* attinet, Serm. XXVII, 4 perfecti monentur, ut humilitatem suam parentibus, sacerdotibus, ܠܩܝܡܐ, demumque iuvenibus exhibeant. Quid hoc loco ܩܝܡܐ significet, ignoro; vix tamen id, quod Burkitt asserit. Admittendum autem est, Auctoris tempore multos fuisse homines christianismo addictos, qui Baptismum demum sub finem vitae recepisse videntur. Serm. XXVII, 3 querelam legimus quorundam parentum, qui filios « perfectioni » studentes et sibi propterea rudes « propter christianismum » eiicere cogantur. Manifestum est agi l. c. de catechumenis; vix tamen puto inde in favorem hypotheseos Cr. Burkitt argumentum peti posse. — [2] Serm. XII, 1. — [3] Joan. VI, 58.

[4] Serm. XII, 3. — [5] Serm. XXVIII, 8. — [6] Serm. XX, 16; XXIX, 1.

De *Paenitentia* Sermone XXIV sat fuse disserit. Ibi sententiam eorum impugnat, qui verbis Epistolae S. Pauli ad Hebraeos VI, 6 et X, 26 abusi post susceptum Baptisma nullum paenitentiae dari locum existiment et propterea duros se paenitentibus exhibeant lapsis reconciliationem denegantes. Auctor reiecta adversariorum interpretatione, quam loco Paulino tribuebant, quasi Apostolus lapsos post baptismum non amplius salvari nec expiationem peccatorum consequi posse docuisset, paenitentiae possibilitatem asserit et ostendit adversariorum errorem a Satana esse invectum, ut sublata reconciliationis spe peccatores a conversione retineat.

Notissimum est in Occidente Montanistas [1] et Novatianos [2] verbis illis Ep. ad Hebraeos haeresim suam adstruxisse. Sed et in Oriente, inter Syros quoque aliqua eiusdem controversiae vestigia reperiuntur. Aphraates *Dem.* VII inculcat lapsis non esse paenitentiam negandam [3] et haud obscure innuit quibusdam paenitentibus tunc temporis paenitentiam negatam fuisse [4]. Adhuc saeculo V exeunte ea de re inter Iacobitas dubia diversa orta esse videntur, uti epistola Iacobi Sarugensis ad Iacobum praepositum monasterii *Animarum* ܕܢܦܫ̈ܬܐ data ostendit, qua celeberrimus Syrorum doctor ab illo Iacobo interrogatus sensum verborum S. Pauli Hebr. X, 26 eruendum suscepit [5]. An adversarii, quos Noster impugnat Cathari, aut asseclae alius cuiusquam sectae fuerint, non liquet; saeculo adhuc IV ineunte forte et inter Syros quidam severius hac de re sentiebant nec tamen propterea ab Ecclesia recesserant [6].

29. Si quaeras, unde Noster placita sua circa duplicem ecclesiam sacramentaque — visibilia scilicet et eorum exemplaria invisibilia — nactus sit, responsum iustum reddere tam difficile est, quam triti eiusdem axiomatis theologici : « visibilia imago invisibilium » fontem accurate declarare. Aliqua huius doctrinae vestigia etiam apud auctores secus orthodoxae fidei occurrunt [7], at alii prorsus fundamento, sc. praeexistentiae Ecclesiae inniti videntur [8]. Summatim dici potest doctrinam L[i] G. de ecclesia et sacramentis ideas gnosticas redolere. Quemadmodum γνῶσις praeprimis Christi doctrinam urgebat inque ea opus redemptionis ponebat, idem facit L. G.; et quemadmodum Gnostici Ecclesiam catholicam Demiurgi opus psychicorum gratia fundatum

[1] Tertullianus, *De pudicitia*, c. XX. — [2] Epiphanius, *Haer*. LIX, 2.

[3] N. 8. *P. S.* I, col. 323. — [4] N. 25. *P. S.* I, col. 355.

[5] Epistola in tribus Codicibus Musei Britannici extat : Add. 17,163, fol. 35 ; Add. 14,729, fol. 116; Add. 14,587, fol. 56 (duae partes priores desunt).

[6] Cf. Batiffol, *Études d'histoire et de théologie positive* [3], Paris, 1904, pp. 45-68.

[7] Cf. II Clem. II, 1; XIV, 8 (ed. Funk, *Patr. ap. opp.* p. 187, 203); Clem. Alex. *Paed.* I, 9; II, 1; *Strom.* IV, 8 (ed. Stählin, p. 278_{10} : εἰκὼν δὲ τῆς οὐρανίου ἐκκλησίας ἡ ἐπίγειος).

[8] Cf. Hermae *Pastorem*, Vis. III de ano, Ecclesiae praeexistentis repraesentatrice; V. Batiffol, *L'Église naissante et le catholicisme* [5], Paris, 1911, pp. 217-221 et p. 305.

dictitabant[1], sic et L. G. docet Ecclesiam visibilem nutricem ac educatricem esse domesticorum fidei ad perfectionem, qua obtenta, ubi praecepta caritatis amplexi fuerint, fidei mandata dura transcendant[2]. In specie notum est Naassenos tres ecclesias finxisse : angelicam, animalem, terrenam, quibus nomen electae, vocatae captivaeque imposuerunt[3].

Quod doctrinam L[i] G. circa sacramenta attinet, locos parallelos in antiquis haeresiologorum scriptis ad similia theologumena Gnosticorum spectantes plures praesto habemus, ex quibus magna cum probabilitate concluditur doctrinam L[i] G., saltem circa Baptismum, gnosticae originis esse.

Irenaeus refert Marco Gnostico docente baptisma quidem apparentis Iesu in remissionem esse peccatorum, redemptionem autem esse eius, qui in eo descenderit Spiritus, ad perfectionem; et illud quidem animale, illam autem spiritualem esse; et Baptisma quidem a Ioanne annunciatum in paenitentiam, redemptionem autem eius, qui in eo est, Christi, positam esse ad perfectionem[4]. — Sed supra vidimus ad mentem L[i] G. Baptismum piacularem esse; perfectam autem redemptionem non efficere, cum Paraclitus ope renunciationis recipiatur.

Duplex baptisma distinxerunt etiam asseclae τῆς ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας, quorum dogmata in *Excerptis Theodoti* servata sunt. Attamen distinctio, quam statuerunt, inter βάπτισμα αἰσθητόν et νοητόν[5] potius ad duplicem sacramenti effectum referenda est nec proinde ad rem nostram spectat. Ceterum similitudo, quam circa theologumena L[i] G. et Gnosticorum saltem quoad Baptismum statuimus, iam propterea claudicat, quia Gnostici spretis ritibus Ecclesiae nova sibi « mysteria » adinvenerunt, quippe quibus initiati perfectam ἀπολύτρωσιν consequi possint. Notabile autem est, inter asseclas Marcosiorum, quorum haeresiarcha, Marcus crassam superstitionem mysteriorum nomine invexisse apud Irenaeum legitur[6], saeculo IV aliquam resipiscentiam ex insipientia mysteriorum observari. Saltem Theodoretus Cyrensis Ascodrutas, quos Marcosiis annumerat[7], docuisse fert : « non debere

[1] Irenaeus, *Haer.* I, I, 13 (Harvey I, 64). — [2] Serm. XXX, 1, 6, 8.

[3] Hippolytus, *Philosophumena,* V, 6 : Ἔστι γὰρ τῶν ὅλων τρία γένη κατ' αὐτούς· ἀγγελικόν, ψυχικόν, χοϊκόν, καὶ τρεῖς ἐκκλησίαι· ἀγγελική, ψυχική, χοϊκή· ὀνόματα δὲ αὐταῖς ἐκλεκτή, κλητή, αἰχμάλωτος. Cf. Iren. *Haer.* I, I, 10 (Harvey I, 51; Anz., *o. c.* p. 48).

[4] *Haer.* I, XIV, 1 (Harvey I, 182) : Τὸ μὲν γὰρ βάπτισμα τοῦ φαινομένου Ἰησοῦ, ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, τὴν δὲ ἀπολύτρωσιν τοῦ ἐν αὐτῷ Χριστοῦ κατελθόντος εἰς τελείωσιν. καὶ τὸ μὲν ψυχικόν, τὴν δὲ πνευματικὴν εἶναι ὑφίστανται. καὶ τὸ μὲν βάπτισμα ὑπὸ Ἰωάννου κατηγγέλθαι εἰς μετάνοιαν, τὴν δὲ ἀπολύτρωσιν ὑπὸ Ἰησοῦ κεκομίσθαι εἰς τελείωσιν. Cf. Hippolyti *Philosophumena,* VI, 42. Tertulliani opus *De rebaptismate*, ed. Hartel III, 89. Hilgenfeld, *Ketzergeschichte,* p. 183. Neander, *Genetische Entwicklung der vornehmsten gnostischen Systeme*, Berlin, 1818, p. 189.

[5] N. 81. Migne, *P. G.* IX, col. 696 B. Cf. Hilgenfeld, *o. c.* p. 516.

[6] *Haer.* I, VII, 2 sq. (Harvey I, 115 sqq.).

[7] *Haer. Fab.* I, 9. Epiphanius *Haer.* XLVII, 14 mentionem facit quidem haereseos eiusdem nomine Tascodrugitarum, sed eam Montanistis annumerat.

divina mysteria, quae invisibilium sunt signa, per res visibiles perfici, neque incorporea per sensibiles et corporeas; perfectam autem redemptionem esse veram eius, quod est, cognitionem... *Spiritualem ergo esse oportet etiam redemptionem.* Propterea, inquit, nec baptizant eos, qui accedunt, nec apud eos celebratur baptismatis mysterium. Redemptionem quippe appellant universorum cognitionem[1] ».

Falsum est ceterum putare theologumena haec Gnosticorum tantum fuisse. Consideratis iis, quae circa iustificationem in scriptis quorundam monachorum inveniuntur, iam a priori supponendum est monachos veteres ἐγκράτειαν pluris aestimasse, quam Ecclesiae sacramenta, nec iis momentum magnum tribuisse. Non est igitur mirum in eiusmodi scriptis nullam fere sacramentorum, tamquam sanctificationis mediorum mentionem fieri; opera vero Marci eremitae[2] ostendunt inter monachos Asiae Minoris saec. V ineunte acerrime disputatum esse de valore Baptismi ad salutem[3]. Quaestio, quam Marcus movit, haec erat : Fide certum habebatur in Baptismo gratiam sanctificantem conferri. Experientiâ autem propriâ omnes compertum habebant etiam post susceptum Baptisma cum fomite peccati, seu uti antiqui dixere, cum « cogitationibus pravis » continuo luctandum esse. Hinc sponte orta est quaestio, utrum Baptisma « perfectum » sit, i. e. utrum hominem perfectum reddat, an vero « vetera peccata » — intellige fomitem peccati — « certaminibus » tollantur. Marcus ineptissime Baptisma perfectum esse con-

[1] *Haer. Fab.* I, 10 (ed. Schulze, IV, 302) : Οὗτοι δέ φασι, μὴ χρῆναι τὰ θεῖα μυστήρια ἀοράτων ὄντα σύμβολα δι' ὁρωμένων ἐπιτελεῖσθαι πραγμάτων, καὶ τὰ ἀσώματα δι' αἰσθητῶν καὶ σωματικῶν. εἶναι δὲ τὴν τελείαν ἀπολύτρωσιν τὴν ἀληθῆ τοῦ ὄντος ἐπίγνωσιν. τὰ γὰρ ὁρώμενα πάντα ὑπ' ἀγνοίας καὶ πάθους συστάντα διὰ γνώσεως καταλύεται. πνευματικὴν οὖν δεῖ καὶ τὴν λύτρωσιν ὑπάρχειν· διὰ τοῦτο οὔτε βαπτίζουσι τοὺς προσιόντας, οὐδὲ ἐπιτελεῖται παρ' αὐτοῖς τοῦ βαπτίσματος τὸ μυστήριον. λύτρωσιν γὰρ καλοῦσι τὴν τῶν ὅλων ἐπίγνωσιν. Cf. *Excerpta Theodoti*, n. 78, ubi dicitur λουτρὸν non esse solum τὸ ἐλευθεροῦν sed etiam γνῶσιν, sc. τίνες ἦμεν, τί γεγόναμεν, ποῦ ἦμεν, ἢ ποῦ ἐνεβλήθημεν, ποῦ σπεύδομεν, πόθεν λυτρούμεθα· τί γέννησις, τί ἀναγέννησις. Comparare velis expositionem parabolae de filio prodigo Serm. XV, 18, ubi Noster verba Luc. xv, 16 : *voluit vita replere hic ventrem suum, nec quisquam ei dabat* similes movens quaestiones interpretatur. Ceterum iam S. Irenaeus refert (*Haer.* I, xiv, 4. Harvey I, 186) iam antiquitus aliquos Marcosiorum asseclas mysteria gnostica sprevisse cum, dicerent : μὴ δεῖν τὸ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀοράτου δυνάμεως μυστήριον δι' ὁρατῶν καὶ φθαρτῶν ἐπιτελεῖσθαι κτισμάτων. Cf. Anz., *o. c.* p. 31.

[2] Erat monachus, uti ex opusculo ad Nicolaum scripto patet (Migne, *P. G.*, LXV, col. 1037 C) Ancyranus, coaevus Isidori Pelusiotae discipulusque S. Ioannis Chrysostomi, ut refert Nicephorus (*Hist. Eccl.* XIV, 30; Migne, *P. G.* CXLVI, col. 1257 B), cuius relatio confirmatur etiam opusculo eiusdem contra Nestorianos exarato, quod Papadopulos Kerameus Petropoli edidit a. 1891-94. Cf. Kunze, *Marcus Eremita, ein neuer Zeuge für das altkirchliche Taufbekenntniss,* Leipzig, 1895. Hahn, *Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche,* Breslau, 1897, p. 147.

[3] *Responsio ad eos, qui de divino Baptismate dubitabant.* Migne, *P. G.* LXV, coll. 989 sqq., 992 A, 996 D-1008.

tendens eos, qui suscepto Baptismo labantur et peccent, simpliciter nequitiae arguit. Non enim admittit reliquias esse peccati originalis, quibus homines post ipsum Baptisma agitentur, sed affectionum malarum causam liberum hominis arbitrium statuit putans hominem sponte se affectionibus malis alligare. Manifestum est Marcum eam ipsam doctrinam impugnare, quam praeter L^{um} G. etiam in Homiliis Macarii reperimus [1]. In systemate nimirum theologico illo peccatum originale = concupiscentia; sed quoniam sacramenta a concupiscentia non liberant, nec perfecta sunt (i. e. perfectum neminem reddunt) nec proinde vera salutis media [2].

VI

DE REBUS NOVISSIMIS.

30. Status animae post mortem; poenae damnatorum, pluralitas mansionum caelestium. — 31. Doctrinae similes apud Clementem Alexandrinum et aliquos Gnosticos.

30. Quae L. G. de statu hominis post mortem docet, intime cohaerent cum reliquis Operis placitis circa iustificationem. Theologumena Operis eschatologica proinde valde perspicua sunt et ad pauca principia reduci possunt. Quae sunt haec : Matth. v, 8 : 1) *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt.* Ex hoc loco concludit Auctor neminem ad Dei visionem admitti, qui peccato, i. e. concupiscentiae, subditus sit; perfectam proinde salutem solos « perfectos » consequi, quippe qui radicem peccati malignam e cordibus suis evulserint [3]. 2) Ioan. xiv, 2 : *Multae mansiones sunt apud Patrem.* Sensus citati ad mentem Nostri est, diversos dari salutis et poenarum gradus pro disparibus hominum meritis atque demeritis, solos autem « perfectos » salutem perfectam consequi et pariter eos tantum absolute reprobari, qui bonis operibus prorsus destituti nil nisi malum semper fecerint [4]. Quod Auctor ex verbis Lucae xvi, 10 demonstrare satagit, ubi dicitur : *si quis in pauco inique agit, in multo inique agit; si quis in pauco fidelis est, in multo fidelis est.* Ex his Evangelii verbis concludit Auctor falso quosdam docere unicum tantum Regnum et unicam solam dari Gehennam; in hac quippe suppositione totam creaturam aut absolvi, aut condemnari, exceptis « perfectis » qui imperfectiones deposuerint, et reprobis, qui nil boni fecerint; reliquis hominibus Christi

[1] Iam hinc liquet, quantopere erraverit Oudinus, qui Homilias Macarii Marco eremitae auctori tribuit (Migne, *P. G.* XXXIV, col. 379/80 sq.). Opusculum *De Baptismo* placitis Macarii e diametro oppositum est.

[2] Mâr Babay Izalensis igitur haud falsa premebat vestigia, cum in operibus Evagrii errores Messalianorum contineri putans eos a Marco Eremita refutatos esse existimasset (Codex Syriacus Bibl. Vaticanae CLXXVIII, fol. 123 ab O. Braun, *Das Buch der Synhados,* p. 172 citatus).

[3] Serm. XII, 7; XIII, 12; XIV, 3; XV, 20; XVI, 12; XX, 14; XXI, 3.

[4] Serm. I, 4; XV, 10.

verba applicari non posse; iustos enim ad Dei visionem non admitti ob inhaerentes ipsis imperfectiones, sed neque in Gehennam detrudi ob bona eorum opera; nil igitur superesse nisi plures « mansiones » fateri [1]. 3) Eadem colligit e consideratione Matth. xxv, 34 : *Venite benedicti, possidete regnum*. Benedicti, inquit, sunt, quos Dñs ob opera misericordiae corporalia laudat. Atqui perfecti, cum nil habeant, eleemosynas dare egenis nequeunt; plus tamen praestiterunt renunciatis opibus suis, quam eleemosynarum datores, in possessione bonorum temporalium perseverantes. Unde concludit « benedictos » non esse perfectos, sed iustos; « regnum » vero non esse visionem Dei beatificam, sed gradum beatitudinis inferiorem [2]. Eorum « portio » quidem gloriosa est, attamen cum portione perfectorum nequit comparari [3]. Iusti enim adhuc « comedunt de arbore Adae », quapropter Deum videre nequeunt [4]. Quod reliquos homines attinet, qui aliquando bona, aliquando mala opera faciunt, Auctor eos duntaxat reprobos autumat, qui bonis operibus *penitus* destituti mala tantum fecerint et propterea commixtione Spiritus vacui sint [5]. Si quis autem praeter mala opera hinc inde etiam benefecerit, castigabitur quidem, attamen Deus iustus non obliviscetur bonorum eius operum. Cuius opera bona et mala aequalia sunt, propter mala puniendus erit, attamen misericordiam consequetur; quod a fortiori asserit de eo, cuius bona opera plura sunt, quam mala. Si quis nulla bona et pariter nulla mala fecerit opera, nec damnari, nec salvari potest : locum sibi convenientem accipiet et Dñs, quod voluerit, faciet ei [6].

Theologumena ista intime cohaerent cum modo, quo effectus peccati in L° G. concipiuntur. Si enim peccatum non causat reatum culpae sed poenae tantum, uti supra monuimus [7], id est, si ex actu aliquo pravo status aversionis a Deo (peccatum habituale) non oriatur nec commixtio Spiritus S. in anima tollatur : consequens erat retributionem divinam quasi exitum mathematicae subductionis considerare, ita ut differentia meritorum et demeritorum ostendat aliquem poenis aut premiis dignum esse, pro ut opera mala aut bona praevaleant, nullo respectu habitu ad statum gratiae aut peccati, in quo quis vita fungatur.

Modo quaerendum est, utrum ad mentem Auctoris paenae, respective praemia aeterna statim post mortem, an vero demum post resurrectionem incipiant; denique, utrum paenae saeculi futuri sint ne aeternae, an vero temporales? Si enim fatente Auctore ii, quorum opera bona et mala aequalia sunt, post castigationem salutem consequantur, delictorum vero paenas demum post resurrectionem luant : manifestum est ad mentem Auctoris paenas damnatorum non esse aeternas, sed tantum temporales.

[1] Serm. XV, 10 sq.; cf. XXX, 27 sq. — [2] Serm. III, 2, 4, 6.
[3] Serm. XV, 20; XVI, 12. — [4] Serm. XXI, 1 sq.
[5] Serm. III, 11. — [6] Serm. III, 3; XV, 10. — [7] Vide supra n. 16.

Quod ad primum attinet, Auctor quaestionem ex professo non pertractat; in toto Opere unicus exstat, ut sciam locus, ubi mentem suam subobscure prodit dicens : *Nemo occiditur, nisi velit Deus animam eius auferre et mittere ad locum, ubi velit, per quem velit; id est : iuxta mensuram operum eius locum carceris parat ei usque ad diem iudicii, quo reassumit corpus suum et stat in operibus suis*[1].

Defunctorum igitur animae usque ad resurrectionem veluti incarceratae alicubi degunt, post resurrectionem vero in suis operibus consistunt, i. e. recipiunt mercedem operum; saltem sensus alius sanus enuntiato vix subesse videtur. Quod vero Auctor aeternitatem poenarum Inferni negavit, ex ipsius Operis verbis confirmatur. Dicit namque Satanam seducere voluisse Adam, ut sibi discipulus fieret. *Et ideo,* inquit, *quia is corruptus alios corrupit, non ei parcet dextera Iesu, nec perditioni tormentisque eius, sed, sicut perdidit, pessumdabitur; et quamlibet animam, quam ad rebellionem excitavit, « animam pro anima » repetet ab ipso, ita ut postquam cruciatus omnium impiorum transierint, tormenta eius in saeculum saeculi duratura sint*[2]. Verba non indigent commentario. Ceterum Auctor putat causam obdurationis Satanae Dei misericordiam esse, quippe qui ipsi Satanae spatium paenitentiae dederit iuxta Christi verba : *Domino Deo tuo servies,* quae Auctor prophetice dicta esse coniicit[3].

31. Primo obtutu facile suspicaberis placita Nostri eschatologica aliqua ratione cum doctrina Origenis de universi restitutione cohaerere. Nihilominus similitudo inter Nostri atque Origenis theologumena mere apparens est, Theoria enim restitutionis apud Origenem in animarum praeexistentia fundatur, cuius in L° G. nulla vestigia invenies. Praeterea ad mentem Origenis poenae damnatorum medicinales sunt, quibus purgatae animae ad sua redeant primordia[4]. In L° G. damnati castigantur, sed non emendantur; emendationis enim in altero saeculo nullus datur locus; *poena sensus* cessare quidem potest, *poena damni* non; iusti enim, uti ostensum est, ad Dei visionem pervenire numquam possunt. Idem dicendum est de pluralitate caelorum, qui cum apud Origenem, tum in L° G. statuuntur; dum autem in L° G. doctrina circa diversas beatorum mansiones cum toto Operis systemate organice connexa est, apud Origenem ea sententia complexui eiusdem doctrinali parasitico, ut ita dicam, modo adhaesit et addititia eius natura manifesta est[5].

[1] Serm. VII, 6. Serm. XXVIII, 4 asserit animas Spiritum Paraclitum habentes post mortem *in domum vitae, in horreum lucis* vadere. An statim, non exponit.

[2] Serm. XXI, 18. — [3] Serm. XXIII, 4; cf. Matth. IV, 10.

[4] V. L. Atzberger, *Geschichte der christlichen Eschatologie innerhalb der vornicänischen Zeit,* Freiburg im Br., 1896, pp. 403-409.

[5] *De Principiis,* II, III, 6. *Contra Celsum,* VI, 26, etc., v. apud Atzberger, *o. c.* p. 389 sq.

Multo similiora docet circa diversitatem praemiorum et poenarum Clemens Alexandrinus in libro VI Stromatum. Exposita nimirum notione « gnostici ac perfecti » — gnosticum autem dicit eum, qui passionum et perturbationum expers sit[1] — et virtute γνώσεως demonstrata, gnosticum aequiparat viginti quatuor presbyteris ante thronum Agni stantibus[2] adque eum refert verba Psalmistae[3] : *Requiescent in monte sancto Dei,* quippe cum gnostici tamquam veri Israelitae, mundi corde, sine dolo, non remanserint in hebdomade quietis (i. e. non solum a malo abstinuerint hac ratione Deum imitantes, die septima quiescentem[4]), sed bene agendo ad octonariae beneficentiae haereditatem (i. e. ad promissiones in macarismis Evangelii contentas[5]) sublati sint. Sunt autem, inquit, « iuxta Christi verba[6], aliae quoque oves, ad aliud ovile pertinentes, quae mansione pro *fidei* proportione sunt dignatae; non cuiuscunque fidei, sed fidei operosae, consequentibus eam bonis operibus, iuxta verba Dñi[7] : *fides tua te salvam fecit.* Nemo quippe simpliciter (ἁπλῶς) salvatur, credens tantum, nisi fidem opera sequantur. Nemo proinde cum intemperantia fidelis est, sed etsi a carne exierit, necesse est eum passiones (τὰ πάθη) deponere, ut ad propriam mansionem pervenire possit[8]. Plus autem est cognoscere, quam credere[9], quemadmodum certe plus est una cum salute summis honoribus dignari, quam salvari [tantum]. Post magnam igitur castigationem, depositis passionibus fidelis noster migrat ad maximum supplicium, melius priore mansione baiulans propriam poenitentiam delictorum post baptisma commissorum; unde amplius adhuc discruciatur, cum vel nondum, vel ne omnino quidem ea assequatur, quorum videt alios esse participes. Praeterea vero etiam pudore afficitur ob commissa delicta, quae quidem sunt maxima fideli supplicia. Bona etenim est Dei iustitia et iusta eius bonitas. Et licet cessaverint cruciatus in implendis, quas luunt, poenis, et expiandis, quae admissa sunt ab unoquoque delictis, habent tamen permanentem dolorem, quod licet digni invenian-

[1] *Strom.* VII, ix, 74 (ed. Stählin II, 468). — [2] *Strom.* VI, xiii, 107 (ed. Stählin II, 485).

[3] *Ps.* xv, 1. — [4] Cf. *Strom.* IV, xvii, 109 (ed. Stählin II, 296).

[5] Secundum Potter et Atzberger (*o. c.* p. 358) numerus octonarius significat reditum ad bene agendum.

[6] Ioh. x, 16. — [7] Marcus v, 34. — [8] *Strom.* VI, xiv, 108 (ed. Stählin II, 486).

[9] *Ib.* 109 : Πλέον δέ ἐστι τοῦ πιστεῦσαι τὸ γνῶναι, καθάπερ ἀμέλει τοῦ σωθῆναι τὸ καὶ μετὰ τὸ σωθῆναι τιμῆς τῆς ἀνωτάτω ἀξιωθῆναι. διὰ πολλῆς τοίνυν τῆς παιδείας ἀπεκδυσάμενος τὰ πάθη ὁ πιστὸς ἡμῖν μέτεισιν ἐπὶ τὴν βελτίονα τῆς προτέρας μονὴν, μεγίστην κόλασιν ἐπιφερόμενος τὸ ἰδίωμα τῆς μετανοίας ὧν ἐξήματον μετὰ τὸ βάπτισμα. ἀνιᾶται γοῦν ἔτι μᾶλλων ἤτοι μηδέπω, ἢ καὶ μηδ' ὅλως τυγχάνων ὧν ἄλλους ὁρᾷ μετειληφότας. πρὸς δὲ καὶ ἐπαισχύνεται τοῖς πλημμεληθεῖσιν αὐτῷ, αἳ δὴ μέγισται κολάσεις εἰσὶ τῷ πιστῷ. ἀγαθὴ γὰρ ἡ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνη, καὶ δικαία ἐστὶν ἡ ἀγαθότης αὐτοῦ. κἂν παύσωνται ἄρα που αἱ τιμωρίαι κατὰ τὴν ἀποπλήρωσιν τῆς ἐκτίσεως καὶ τῆς ἑκάστου ἀποκαθάρσεως, μεγίστην ἔχουσι παραμένουσαν λύπην οἱ τῆς ἄλλης ἄξιοι εὑρεθέντες αὐλῆς, τὴν ἐπὶ τῷ μὴ συνεῖναι τοῖς διὰ δικαιοσύνην δοξασθεῖσιν.

tur alio ovili, non sint una cum his, qui glorificantur, propter iustitiam ».

Sensus verborum est : animae Christianorum vita functae, pro gradibus perfectionis diversis in saeculo futuro varios dignitatis gloriaeque caelestis gradus accepturae sunt[1]. At nemo passionis ullius obnoxius ad portionem sibi divinitus destinatam pervenire potest; si quis igitur in vita sua mortali passiones non deposuerit, post mortem cruciabitur et poenis medicinalibus correptus purgatur et demum depositis passionibus potest in mansionem a Deo sibi datam ingredi; cessante nihilominus poena sensus, manet poena damni; anima etenim, etiamsi post poenas medicinales perfecte purgata sit et proinde non differat ab animabus iustorum, ob contracta in hac vita demerita non potest eandem portionem hereditare, quam consecuturus est gnosticus, qui depositis passionibus mundus vita fungitur eaque ratione sublimiorem gloriae caelestis gradum meretur[2].

Similitudo maxima inter placita Clementis Alexandrini Nostrique re vera stringens est nec sufficit ad eam explicandam ad casum fortuitum recurrere; facillime autem intelligitur, si perpendas utrumque Auctorem systema suum theologicum ideis falsae γνώσεως superstruxisse. — Gnosticam originem sapit iam ipsa distinctio inter perfectos, a passionibus vitiisque vacuos et imperfectos, qui ἀπάθειαν nondum consecuti sint. Dum autem Gnostici *discrimen* inter pneumaticos et psychicos *physicum* statuebant, idque fato, εἱρμαρμένῃ tribuebant[3], apud Clementem et Nostrum discrimen *ethicum* est; a voluntate enim libera pendet cuiusque, velitne affectus vitiosos animae inhaerentes deponere nec ne. — Item gnostica sententia est imperfectos (quos Noster iustos appellat) non posse salutem perfectam consequi. Irenaeo enim teste ad mentem Gnosticorum « iusti » (subintellige psychicos) non possunt in Pleroma ingredi, cum sint Demiurgi opus et spiritu caelesti careant, sed extra Pleroma in « loco medietatis » requiescunt[4]. Simili ratione excluduntur imperfecti a plena perfectaque salute tam apud Clementem, quam apud Nostrum, tantum alia rei ratio, quam apud Gnosticos stricte tales statuitur; auctores enim gnosi christianae addicti sicut ipsam redemptionem processum ethicum concipiebant, sic etiam ad eam consequendam neminem incapacem autumabant nec quemquam ab ea excludi ob impotentiam incapacitatemque physicam docebant. — Demum sententia est gnoseos posterioris poenas damnatorum temporales esse, uti docet *Pistis Sophia*[5]; eius tamen placita

[1] Cf. *Strom.* VI, xiv, 114 (ed. Stählin II, 489) : Ἀναλόγως ἄρα καὶ [αἱ] μοναὶ ποικίλιαι, κατ' ἀξίαν τῶν πιστευσάντων, quas *diversas mansiones* in Evangelio (Matth. xiii, 8) numeris triginta et sexaginta et centum significari autumat.

[2] Cf. Atzberger, *o. c.* p. 360 sq. — [3] Iren. *Adv. Haer.* I, i, 10 (Harvey I, 49).

[4] *Ibid.* I, i, 12 (Harvey I, 59); 14 (Harvey, p. 64 sq.); II, xliv, 1 (Harvey I, 359); Hippolytus, *Philosophumena,* X, 9; *Exc. Theod.* n. 54.

[5] *Koptisch gnostiche Schriften,* herausg. v. C. Schmidt (*Die griechischen christli-*

ideo non possunt cum doctrina eschatologica Nostri comparari, quia *Pistis Sophia* animas defunctorum non solum cruciatum iri in *Amenti* docet, sed etiam ad poenas delictorum persolvendas in diversa corpora migraturas.

Quod attinet assertionem animas defunctorum demum post resurrectionem poenarum, respective praemiorum saeculi futuri participes fore, antiquissima huiusce doctrinae vestigia apud S. Irenaeum reperies, qui expressis docet verbis animas ad locum invisibilem ipsis a Deo definitum vadere, ibique expectare resurrectionem; dein assumptis corporibus suis corporaliter resurrecturas esse[1]. Eadem doctrina in Oriente alia in forma occurrit; Origenis enim tempore quidam in Arabia animam una cum corpore dissolvi contendebant[2]. Quae sententia tacite supponit animam aliquid corporale esse, forte sanguinem, sicut quidam asserebant Clemente Alexandrino teste[3] ipsoque L° G., ubi ea sententia expresse reprobatur. S. Ephraem pariter praemia poenasque defunctorum demum post resurrectionem inceptura esse docet, aut saltem docere videtur; loci ceterum, quos G. Bickell hac de re ex eius scriptis congessit, passim sibi contradicunt, nec proinde constat, quanam ratione S. Doctor animarum ante resurrectionem conditionem cogitaverit[4].

VII

DE DOCTRINA ETHICA LIBRI GRADUUM.

32. Norma moralitatis : « esto sine concupiscentia » tamquam perfectionis lex. — 33. Lex « iustitiae » Adae post lapsum data. — 34. Iniquitas vindictae tum privatae tum socialis. — 35. Lex talionis eiusque origo. — 36. « Iustitiae » notio, — 37. atque perfectionis. — 38. Doctrinae similes Gnosticorum, imprimis Marcionis, Bardesanis ac Ptolomaei. — 39. Officia iustorum et perfectorum.

Iam saepius monuimus L^um Gr. opus esse practicum. Argumentum, dispositio indolesque totius Operis testatur Auctoris non fuisse ullas veritates theoreticas docere, sed lectores ad amplectendam, quam dicit, « perfectionis viam » hortari. Hic est totius Libri finis, simul etiam corollarium practicum systematis theologici, in quo tota Operis doctrina ethica fundatur.

chen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, Band XIII), Leipzig, 1905, p. 246-254. C. Schmidt, *Gnostische Schriften in koptischer Sprache,* p. 411 sq. Atzberger, *o. c.* p. 204.

[1] *Haer.* V, xxxi, 2 (Harvey II, 412 = *S. Joan. Damasc. Parallela S.*, ed. Halloix; v. Holl, *Fragmente vornicänischer Kirchenväter aus den sacra Parallela*, Leipzig, 1899, p. 81, n. 173) : Αἱ ψυχαὶ ἀπέρχονται εἰς τὸν τόπον τὸν ὡρίσμενον αὐταῖς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ κἀκεῖ μέχρι τῆς ἀναστάσεως φοιτῶσι περιμένουσαι τὴν ἀνάστασιν, ἔπειτα ἀπολαβοῦσαι τὰ σώματα καὶ ὁλοκλήρως ἀναστᾶσαι κτλ.

[2] Eusebius, *Hist. Eccl.* VI, xxxvii (cf. Hefele, *Conciliengeschichte,* Ed. II, Freiburg, 1873, t. I, p. 110. Harnack, *Die Chronologie d. altchristlichen Litteratur,* Leipzig, 1904, t. II, p. 65).

[3] *Paed.* I, 6 (Potter, p. 121). Cf. *L. G.,* Serm. XXVIII, 1, 4. Vide supra n. 22.

[4] *Carmina Nisibena,* Lipsiae, 1866, p. 25.

32. Uti n. 5 ostendimus, ad mentem Nostri Deus duos mundos condidit : invisibilem, eiusque imaginem visibilem. Adam natura conditionis suae corporalis quidem erat, attamen totus ad mundum invisibilem pertinebat. Erat enim veluti angelus corpore praeditus et caelestis inter caelestes. Qua talis nec victu nec vestitu indigebat, sed passionum expers, a mundo hoc corporali abstractus, meditationi rerum caelestium operam dabat, corpore in terra, mente in caelo, in Paradiso caelesti inter angelos degens et Deum continuo glorificans.

Talis debuisset Adam perseverare secundum voluntatem Dei primam. Lex ergo prima Adae lata erat : esto sine concupiscentia; eadem lex, quam Christus in Novo Testamento denuo promulgavit[1].

En tota doctrina Libri ethica in nucleo! Christi enim lex, ait Noster nil aliud est, quam ἀνακεφαλαίωσις legis primae Adae latae; norma igitur perfectionis Christianae est : esto sine concupiscentia, vel aliis verbis, esto ἄπαθος; concupiscentia namque diversis passionibus praesentiam suam in homine prodit, proinde is, qui motibus animi — sive voluntariis, sive involuntariis — est subditus, adhuc perfectus non est. Eadem porro regulâ simul norma moralitatis constat, saltem negativa; i. e. actus quilibet, quem concupiscentia comitatur, eo ipso malus est. Si enim peccatum transgressio est legis divinae, lex vero divina sit : esto sine concupiscentia : liquet omnes manifestationes concupiscentiae vitiosas esse. Eiusmodi ratiocinationem quidem in L° G. expressis verbis propositam non reperies; mentem autem Auctoris produnt verba, quibus omnes *delectationes* sine discrimine severe condemnat. Ait enim : *Quemadmodum is, qui se gulose praecipitat ad cibos plurimos et res vinolentas plurimas et avide manducat et intemperanter bibit delectando delectatur et luxuriam agit et reus fit : sic is, qui voluntatem suam in furore suo executioni mandat, delectando delectatur et reus fit. Et qui voluntatem suam facit in adulterio et is, qui voluntatem suam facit in vestibus exquisitis et se exornat ad concupiscentiam carnis suae : delectando delectatur et fit reus..... Et qui furatur, aut rapit, aut praedatur, aut iniustitiam committit : delectando delectatur et fit reus. Et superbiâ, libidine, inimititia, comessatione, iocis, loquelis, risu, consuetudinibus pravis delectatione delectatur homo et condemnatur* etc.[2]. Eadem affirmat de diversis superstitionis generibus, quibus delectabundus homo condemnetur.

Verbis citati manifeste subest sententia delectationem quamlibet physiologicam peccatum esse, nam commissis actibus in textu enumeratis homo suam faciens voluntatem delectatur et delectabundus peccat et condemnatur. Norma igitur negativa moralitatis actuum humanorum est na-

[1] Serm. XXI, 3 sq.

[2] Serm. XIX, 7. Notandum est locum fere verbotenus inveniri in *Pastore* Hermae, *Sim.* VI, v, 5 sq.

turae delectatio. Si nempe aliquem actum delectatio, sensatio, inquam, physiologica, amoena comitatur, actus eo ipso malus est. Mentem Auctoris hanc esse aliunde quoque evincitur. Auctor nimirum usum rerum terrestrium atque matrimonii, uti vidimus, reprobat. Si quaeras, quare? rationem dogmaticam assignat lapsum protoplastorum qui a Satana seducti mentem ad terrestria converterint. Sed haec ratio non sufficit; supponit enim intrinsecam malitiam usus terrestrium atque matrimonii, secus enim tentatio protoplastorum in paradiso caret sensu. Iure proinde supponendum est Auctorem ob suppositam internam malitiam delectationum rerum bonorumque terrae atque matrimonii usum reprobasse.

Adam, ait Noster, lapsus est, quia praeceptum transgressus erat, quo ei Deus mandavit : esto sine concupiscentia. Satana enim instigante opes terrae et consortium carnale appetiit et orto in corde eius peccato e caelo eiectus est. A fine sibi divinitus praefixo aberrans necessario periisset, nisi Deus misertus eius usum rerum terrestrium matrimoniique ei clemens permisisset[1] lata ei lege secunda, quam Noster legem dicit « iustitiae » et Serm. XXVI fuse describit, allegatis verbis libri cuiusdam, uti vidimus, apocryphi.

33. Lex, vel potius revelatio l. c. descripta duabus partibus constat. Pars prima in mentem revocat prophetias Adae diversas, quae in Oriente, ut notum est, olim sat communes erant. Ibi adventus Dei promittitur fine annorum huius mundi futurus, qui revelaturus sit formam Adae antiquam et restituturus legem perfectionis et perfecturus eos, qui caritatem et perfectionem sectaturi sint. In parte altera Adae usus bonorum terrae permittitur sub condicione iustitiae servandae in usu bonorum terrae matrimoniique, vetito adulterio et fornicatione. Demum protoparentes monentur saeculum caducum esse figuramque mundi interitui obnoxiam, et inde infertur bonis terrae moderate esse utendum. Fragmenta pauca legis huiusce alibi quoque inveniuntur[2] et cum textu Serm. XXVI per summos apices conveniunt[3].

Eadem porro lex Adae lapso data a Moyse et Prophetis denuo promulgata est[4]; non tamen omnia praecepta in Lege et Prophetis contenta « legi iustitiae » conformia sunt, sed solus decalogus, *literae iod* respondens, quam Dñs a Lege et Prophetis transituram non esse dixit[5]. Reliqua « praecepta

[1] Serm. XV, 8; XXI, 20. Cf. supra n. 20. — [2] Serm. XV, 12; XXV, 9; X, 5.

[3] Quid de origine « Legis » huiusce habendum sit, ignoro. Prior pars simillima quidem est *Testamento Adae* syriaco, ubi pariter de adventu Salvatoris prophetia editur, attamen de lege Adae post lapsum data tacetur. Praeterea in Testamento Adae syriaco vestigia chiliasmi invenies, nam aetas mundi 6000 annorum statuitur. In L° G. hac de re nihil.

[4] Serm. XXVI, 5.

[5] Matth. v, 18. Adverte L^um G. Serm. XXII, 21 cum Aphraate (*Dem.* ii, 7) et Syro Lewisiano legere ܝܘܕ ܐܬܘܬܐ ܚܕܐ *iod litera una,* qua stante lectione, locus sensum ab Auctore

non bona et iudicia quibus nemo vivit » (leges nimirum iudiciales), a Christo abrogata sunt [1]. Decalogus autem, ad quem respicit Auctor, non est biblicus, in Exodo cap. xx et Deutoronomio cap. v contentus, sed farrago ex quibusdam Evangelii sententiis hunc in modum compilata :

1. *Audi Israel : Dominus et Deus noster unus est* (Marc. xii, 29 sq.).
2. *Diliges Dominum Deum tuum*
3. *ex toto corde tuo*
4. *et ex totis viribus tuis*
5. *et ex tota anima tua*
6. *et proximum tuum sicut teipsum* (Matth., xxii, 37, 39).
7. *Non occides,*
8. *et non moechaberis*
9. *et non furtum facies*
10. *et non testaberis testimonium falsum* (Matth., xix, 18) [2].

Prima « decalogi » sententia, proxime ad textum Codicis Lewisiani accedit, cum quo om. ܡܪܝܐ ante verba : *unus est* [3]. Sequentia quinque « praecepta » (2-6) cum Syro Curetoniano et Lewisiano concordant [4]; utrobique omittitur ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου (Pešîṭta : ܘܡܢ ܟܠܗ ܪܥܝܢܟ) quod in locis parallelis apud Marcum xii, 30 et Lucam x, 27 in utroque Codice rite transfertur [5]. Praecepta, quae subiunguntur tria (7-9), textum communem Matth. xix, 18 exhibent; in ultimo cum Aphraate [6] legit ܣܗܕܘܬܐ ܫܘܩܪܐ contra omnes antiquos testes [7].

Quod ad originem « decalogi » attinet, prior eiusdem pars e Marc. xii, 29 et Matth. xxii, 37, 39 composita probabiliter ex Evangelio Auctoris, sc. e *Diatessaron* Tatiani derivanda est. Indoles archaica textus et testimonium S. Ephraemi [8] suadent textum Tatianeum eadem ratione compositum fuisse ac laudatum L^i^ G. locum; accedunt et *Evangeliorum harmoniae arabicae* a

statutum non excludit. Quod ad mysticam loci significationem attinet (ܝ = 10 = Decalogus) cf. *Didasc. Apost.* VI, xv, 2; xvi, 4 (ed. Funk, p. 346_{14} sq., $348_{4\text{-}8}$).

[1] Serm. XXII, 23. — [2] Serm. XXII, 21. Cf. Serm. XXX, 26, ubi post allegata praecepta Decalogi biblici IV-IX (Ex. xx, 12-17; Ex. xx, 12 in forma apocrypha allegatur; cf. Serm. XIX, 9; Ex. xx, 17 vero ea in forma, quae in *Didache,* II, 2 occurrit : οὐκ ἐπιθυμήσεις τὰ σοῦ πλησίου) recitantur « praecepta magna Legis » (cf. *Didache,* I, 2) demum additur praeceptum de stationibus servandis et ieiuniis statutis (cf. *Didache,* VIII, 1, 3).

[3] Syr. [lewis] Marc. xii, 29 : ܫܡܥ ܐܝܣܪܝܠ ܡܪܝܐ ܐܠܗܢ ܚܕ ܗܘ.

[4] Syr. [cur et lewis] Matth. xxii, 37 : ܬܪܚܡ ܠܡܪܝܐ ܐܠܗܟ ܡܢ ܟܠܗ ܠܒܟ ܘܡܢ ܟܠܗ ܢܦܫܟ ܘܡܢ ܟܠܗ ܚܝܠܟ; eum textum (om. κ. ἐν ὅλῃ τῇ διαν. σ.) citat Clem. Alex. *Paed.* III, xii, 88 (v. Mordaunt Barnard, *Clement of Alexandria's Biblical Text* [in *Texts and Studies,* ed. Armitage Robinson, Vol. V, fasc. 5], Cambridge, 1899, p. 25).

[5] Serm. XXX, 26 verba haec non omittuntur. — [6] *Dem.* xiii, 62.

[7] Sed excipe aliquos codices Vulg. syriacae, qui Matth. xix, 8 ܣܗܕܘܬܐ ܫܘܩܪܐ legunt (Var. ܣܗܕܘܬܐ ܕܫܘܩܪܐ).

[8] *Evangelii concordantis expositio facta a S. Ephraemo,* ed. Mösinger, Venetiis,

Ciasca editae[1], quae nihilominus minoris momenti sunt, nam textus earum iuxta *Pešitta* redactus est.

Longe difficilior est quaestio, quisnam partem alteram « decalogi » priori adnexuerit vel aliis verbis : utrum « decalogus » in L° G. obvius documentum sit publicae auctoritatis, an vero ab Auctore nostro confictum. Hac de re certi quidquam statuere impossibile est. Apud antiquos rei Christianae scriptores, ut sciam, eiusmodi « decalogus » non invenitur. Ex altera parte notum est Iudaeos olim decalogum biblicum cum שמע ישראל quotidie recitasse[2], sicut etiam papyrus Nash testatur[3], ubi post decalogi biblici verba שמע, i. e. Deut. VI, 4 ponitur. Forte igitur sub influxu iudaicae consuetudinis Syri christiani verba Salvatoris in Evangelio dispersa et summam Legis explicantia ita connectebant, ut duobus praeceptis maximis officia in Deum et proximum proponentibus (Marc. XII, 29 et Matth. XXII, 37, 39) quae iam in Evangelio praesto habebant, specificationem officiorum erga proximum ex ev. S. Matthaei XIX, 18 adderent eaque ratione decem sententias decalogi numerarent. Ad rem explicandam forte etiam ad *Doctrinam duodecim Apostolorum* recurrere possumus, cuius auctor duo praecepta *viae vitae* distinguit[4]; primo : *diliges Deum,* qui te fecit, secundo : *proximum ut te ipsum.* Porro secundum praeceptum « doctrinae » sic exponitur : *non occides, non moechaberis,* non puerum violabis, non fornicaberis, *non furaberis,* non magica facies, non medicamenta mala facies, non occides filium in abortum, nec natum succides, non concupisces quicquam de re proximi tui, non periurabis, *non falsum testimonium dabis*... Ordo praeceptorum biblicorum charactere italico impressorum fere idem est ac in L° G. Item e *Didache* discimus, quo iure Noster decalogum in L° G. allegatum legem iustitiae Adae datam existimaverit. *Didache* enim mandata dilectionis Dei et proximi *viam vitae* appellat; in L° G. vicissim *vita* salutis gradum inferiorem, *locum vitae* ܐܬܪܐ ܕܚܝܐ « iustis » praeparatum significat[5], in oppositione

1876, p. 152, 169. Cf. Hamlyn Hill, *A Dissertation on the Gospel Commentary of S. Ephraem the Syrian,* Edinburgh, 1896, p. 107.

[1] *Tatiani Evangeliorum harmoniae arabicae,* ed. A. Ciasca, Romae, 1888, cap. XXXIV, p. 60 textus lat., p. ١٣ textus arabici.

[2] *Berachoth,* Jeruš. fol. 3[c] (Babli, fol. 12[a]).

[3] *Proceedings of the Society of Biblical Archeology,* 1902, p. 290 sq. Peters, *Die älteste Abschrift der zehn Gebote der Papyrus Nash,* Freiburg im Br., 1905, p. 9.

[4] *Did.* I, 2 : Ἡ μὲν οὖν ὁδὸς τῆς ζωῆς ἐστιν αὕτη· πρῶτον· ἀγαπήσεις τὸν Θεὸν τὸν ποιήσαντά σε, δεύτερον· τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν... II, 1 sqq. : Δευτέρα δὲ ἐντολὴ τῆς διδαχῆς· οὐ φονεύσεις, οὐ μοιχεύσεις οὐ παιδοφθορήσεις, οὐ πορνεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ μαγεύσεις, οὐ φαρμακεύσεις, οὐ φονεύσεις τέκνον ἐν φθορᾷ οὐδὲ γεννηθὲν ἀποκτενεῖς, οὐκ ἐπιθυμήσεις τὰ τοῦ πλησίου, οὐκ ἐπιορκήσεις, οὐ ψευδομαρτυρήσεις... (Cf. Funk, *Patres Apostolici,* Ed. II, Tubingae, 1901, v. I, p. 2 sq., 6 sqq.; *Die Didache* hsg. v. H. Lietzmann, Bonn, 1903, p. 3 sq.).

[5] Cf. Serm. XV, 10; XIX, 6.

ad perfectos, quos Deum « facie ad faciem » visuros esse docet. E verbis igitur : « via vitae » Noster praecepta *Doctrinae* iustorum esse concludens ea Adae lapso divinitus data autumasse videtur.

Porro adverte numerum praeceptorum ad Deum et proximum pertinentium in L° G. aequalem esse : 5 + 5. Haec quoque decalogi partitio indolem archaicam prae se fert; reperitur iam apud Flavium Iosephum [1] et Irenaeum [2].

His consideratis improbabile forsitan non est decalogum supra descriptum documentum ipso L° G. antiquius esse. Id certum est, nullam rationem assignari posse, cur Auctor spurium eum decalogum composuerit. Iustitiae enim, quam dicit, notionem non e suo decalogo derivat, sed e citato ignotae originis [3] : *Quod odisti, proximo tuo ne feceris; et sicut vis, ut tibi faciant homines, sic facito eis* [4]. Ex his verbis Noster iustitiam tria momenta complecti intellexit : a) nemini malum inferre, b) peccantibus delicta condonare, c) indigentibus succurrere. Nemo enim vult se occidi, aut possessionem suam laedi. Porro si in delicto deprehensus fuerit, vult sibi obsecranti dimitti et, si victu, vestitu, aut habitaculo opus habuerit, vult se refici, vestiri, aut sub tectum induci [5].

Uti patet, haec iustitiae notio latius patet, quam virtutis cardinalis *iustitiae,* quae dici solet *commutativae;* notio enim iustitiae ab Auctore descripta respondet virtuti caritatis erga proximum includitque notas, quae notioni iustitiae stricte tali haud conveniunt. Iustitia igitur ad mentem L^i G. accepta est *habitus agendi et essendi, quo quis coram Deo iustus,* h. e. probus *constituitur.*

34. E falsa hac iustitiae notione in errores periculissimos incidit Auctor. Normam nimirum iustitiae consensum hominum arbitratur, qui sibi malum inferri nolint, etiamsi commisso delicto poenas meriti sint. Cum igitur iustitia nemini faciat, quod sibi fieri abhorreat, hinc concludit vindictam quamlibet, sive privatam, sive publicam (quam societas publica, civilis, aut ecclesiastica repetit de malefactoribus) rem esse iniustam, regulae iustitiae in ipso humani generis consensu fundatae contrariam [6]. Iudices igitur, ait, qui homines nequam puniunt, instrumenta facti vindictae, peccant; item peccant *praesules* ܪ̈ܥܝܐ Ecclesiae, qui fidei disciplinaeque ecclesiasticae perturbatoribus poenas corporales infligunt [7].

[1] *Ant. Iud.* III, vi. — [2] *Adv. Haer.* II, xxxvi, 2 (Harvey I, 339).

[3] Cf. Tob. iv, 16; Luc. vi, 31; Matth. vii, 12. *Did.* I, 2. *Didascalia,* I, 7. *Const. Apost.* I, 1, 7 (ed. Funk, p. 6_8 et 7_{15}; cf. A. Resch, *Agrapha* [1], p. 95, 135, 272. [Logion 1.] *Agrapha* [2], p. 61, 174. G. Resch in op. : *Das Aposteldecret nach seiner ausserkanonischen Textgestalt,* Leipzig, 1905 (in *Texte u. Untersuchungen,* ed. Gebhard u. Harnack, N. F. XIII, 3), p. 135-141. *Apocrypha,* III, hsg. v. E. Klostermann, Bonn, 1904, p. 12_{19}).

[4] Serm. VII, 1. — [5] *Ib.;* Serm. XXII, 2.

[6] Serm. XXII, 3. — [7] Serm. XIX, 17, 20, 24; XXII, 9.

Ad eandem conclusionem alia quoque via pervenit Noster in suo Evangelii Codice legens : *Vae ei, per cuius manus malum venit*[1]; *malum* ܒܝܫܬܐ autem non sensu mali moralis, sed mali physici accipit; cum igitur « vae » pronuncietur in eum, qui auctor est *mali* alii illati, hinc infert neminem esse puniendum, licet poenas meritus sit, sed tantum commonendum; si vero monita futilia fuerint, malefactorem excommunicandum quidem esse, at sine conviciis et verberibus[2]. Ob causam eandem etiam bella condemnat, utpote iustitiae contraria[3].

Hanc iustitiae speciem esse iustos Antiqui Testamenti sectatos : Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moysem, Iob, David, Eliam, Elisaeum, Ieremiam[4]; neminem tamen ex eis perfectum esse, i. e. in statum Adae lapsu anteriorem redire potuisse, stante inter Deum et homines inimicitia, cuius maceriam demum Christus perforaverit[5]. Praeterea multos iustos antiquos non solum a Deo ipso a sectanda iustitia fuisse retentos, sed et factos plane iniustos, cum a Deo ad puniendos inimicos suos missi essent[6]; si enim malum inferre nemini liceret, illos Deo iubente aliis maledicentes, alios vero occidentes e iustitia excidisse. Prophetas nihilominus non esse accusandos, quippe qui Deo obtemperaverint, et quidam ex eis, uti Ieremias, perfectionem sincere sectati sint et pro inimicis suis oraverint[7]. Tempore enim polytheismi gentes iniquas a Deo mediantibus prophetis castigatas esse; si enim eos Deus modo aliquo invisibili punisset, cultores idolorum causam calamitatis ignorantes eam idolis suis tribuissent eaque magis adhuc reveriti essent[8]. Cum igitur iusti antiqui non sponte, sed Deo ita iubente a sectanda perfectione restitissent, eos ab ipso Dño, postquam e mortuis surrexisset, coram Apostolis esse perfectos et in caelum evectos[9].

35. Si proinde de delictis poenas repetere nefas sit, quid habendum est de Legis praeceptis, vindictam permittentibus? Respondet Noster : Post Adae lapsum genus humanum non solum primae similitudinis Adae oblitum est, sed lege iustitiae relicta homines semet vexare coeperant et iniurias sibi illatas excessive vindicabant. Videns igitur Deus nequam hominum voluntatem et volens studium vindictae refrenare eaque ratione homines a sceleribus gravibus retinere, dedit eis *iudicia, quibus nemo salvatur*[10], hoc est, nor-

[1] Cf. Matth. XVIII, 7. Simile citatum habes apud Aphraatem *Dem.* v, 1 (*P. S.* I, col. 184). *Hom. Clem.* XII, 29 (ed. Lagarde, p. 130_{31}). *S. Parallela,* 1, 28. (Cf. Resch, *Agrapha*², p. 106; Ropes, *Die Sprüche Iesu,* p. 19; *Apocrypha,* ed. Klostermann, p. 12_{26}).
[2] Serm. V, 8, 11; XXII, 11. — [3] Serm. IX, 6; XXII, 3.
[4] Serm. IX, 5, 7-12, 19-21. — [5] Serm. IX, 2.
[6] *Ib.;* XIII, 8; XV, 13 sq.; XXII, 4. — [7] Serm. IX, 3 sq.
[8] Serm. IX, 2; XXII, 4. Cf. Deut. XXXII, 27.
[9] Serm. IX, 13; XV, 12. Vide supra n. 18. — [10] Ezech. XX, 25; Serm. XXII, 15.

mas talionis, quibus homines vindictae cupidi refrenarentur, ne pro malo unico ipsis illato poenas multiplices repeterent, contenti retaliatione simplici delicti, iuxta regulam : *oculum pro oculo* [1], *malum pro malo,* nec amplius. Observatis autem hisce talionis normis nemo salvatur — malum enim pro malo rependens iniuste agit et peccat — nihilominus poenae eius tolerabiliores erunt, quam si vindictam excessivam de malo sibi illato sumpserit [2]. Ob causas similes docet Deum permisisse libellum dare repudii, ne maritus uxoris pertaesus eam veneno aut alia aliqua ratione e vivis removeret [3]. Item, ait, ob duritiam Iudaeorum permisisse Deum sacrificio in Templo oblato expiari improperium vel maledictum, quo quis parentes suos offendisset, ut interrogante sacerdote causam sacrificii offerendi liberos sceleris puderet [4].

Hanc porro Legem dicit usque ad Christi adventum perdurasse [5]. Christus enim, alter Adam, in sua persona, vivendique ratione formam Adae primam exhibuit hominibus et promulgata perfectionis lege, praecepta Legis mosaicae Decalogo excepto abrogavit [6]. Quid lex perfectionis sit, iam supra exposuimus [7]; hic brevissime rem recapitulare sufficiat : renunciare mundo, opibus terrae, matrimonio, necnon omnibus deliciis, exstirpare peccatum e corde (malas videlicet cogitationes) ope ieiunii atque orationis, ut corde emundato Paraclitum recipere et Deum in corde tuo, velut in speculo contemplari possis [8].

36. Discrimen inter iustos et perfectos Auctor Serm. XIII et XIV fuse exponit. Ad eius mentem iusti, domestici fidei, etsi sint Christiani, tamen filii sunt huius saeculi. Negotiis mundanis intricati nubent et nubentur, emunt et vendunt, uti reliqui mortales, et ideo nec cor mundare, nec salutem perfectam consequi possunt. Eorum pietas ad certas actiones, diesque ab Ecclesia statutos restricta est. Ter quotidie orant [9], bis in hebdomade ieiunant, die Domini ecclesiam frequentant, ibique bona superflua inter pauperes distribuunt [10]. *Stationes* observant [11], distinguunt inter animalia munda et immunda [12], sacerdotibus primitias frugum terrae donant, diaconissas honorant [13]. Sunt inter eos, qui pro Dño martyrium passi sunt, perfectam tamen caritatem ignorant [14] et persecutoribus maledicunt [15]; fidei enim sunt filii caritatemque suam imprimis super domesticos fidei oriri faciunt, dissidentes vero haud raro persequuntur [16]. Ius suum exigunt, pro inimicis non solent

[1] Ex. xxi, 24. — [2] Serm. XXII, 16. — [3] Serm. XXII, 19.
[4] Serm. XXII, 20. — [5] Serm. XXII, 21. — [6] *Ibid.* — [7] Vide supra n. 18.
[8] Serm. XIV, 2; XVI, 12; XVII, 3.
[9] Serm. VII, 20; XIII, 3. Contra Serm. XIV, 2 iustos quinquies pulsare caeli ianuas, i. e. quinquies orandum esse dicit.
[10] Serm. VII, 20. — [11] *Ibid.;* XIII, 3; XXX, 26.
[12] Serm. XIV, 1; cf. XIX, 21. — [13] Serm. XIII, 2. — [14] Serm. VIII, 4, 6.
[15] Serm. XXX, 4. — [16] Serm. XVI, 9.

orare, nec eis benefacere [1]. Bonos praeferunt malis, nec eos pari benevolentia prosequuntur [2]. Ceterum vero debent opera misericordiae exercere, delicta sibi illata dimittere, bonisque huius saeculi caute uti [3].

37. Perfectionis virtutes, contra, multo maiores sunt. Perfecti enim nulli iam defectui obnoxii sunt [4]. Notae autem perfectionis sunt hae :

a) Ἀπάθεια, i. e. vacuitas a passionibus [5]. Non autem sufficit perfectum non subiici passionibus : irae, odii, gulae, avaritiae ac vanae gloriae [6], sed debet inimicos diligere, eis benefacere proque persequentibus se orare [7]. Perfectus praeterea omnia est omnibus [8], peccatores vero meliores se habet [9]. Praecipua eius virtus est humilitas et caritas [10].

b) Ἀποτάγη, i. e. abdicatio bonorum temporalium, vel aliis verbis paupertas absoluta [11], quae etiam curam victus atque vestitus excludat [12], ita ut perfecti terram nec colant nec in ea operentur [13], sed ne bonis quidem alienis sub ullo praetextu administrandis dent operam, nec eleemosynas colligant inter pauperes distribuendas [14]. Perfecti enim vitam agentes angelicam nequeunt rebus terrenis studere, ne sub praetextu beneficentiae quidem. Ubi quis nempe operibus misericordiae corporalibus operam dare incipit, statim periculum subit perfectionis amittendae [15]. Neque ceterum eleemosynas dare perfectorum est, sed iustorum; perfecti enim ministerio verbi et orationi vacant exemplum Apostolorum imitantes, qui eleemosynis distribuendis et viduis sustentandis septem diaconos praefecerunt [16]. Iustorum porro est etiam perfectos sustentare, quippe qui rebus divinis toti dediti, victum vestitumque sibi comparare nequeant [17]. Perfecti vicissim eleemosynas spirituales debent praebere his, qui verbo Dei egent [18]; hunc in finem parentibus derelictis vitam vagam agunt et discurrentes per diversa loca omnes sibi occurrentes docent ac hortantur; carent proinde domicilio fixo nec ullum locum suum esse fatentur [19].

[1] Serm. XIII, 1. — [2] Serm. V, 10 sq.; XI, 2 sq.; XIX, 10. — [3] Vide supra n. 20.
[4] Serm. XV, 4 sq., 8 sq., 11; XX, 6. — [5] Serm. VI, 1.
[6] Serm. VIII, 4; IX, 16, 21; X, 5; XI, 5; XIII, 7; XIV, 1; XV, 6; XVI, 6, 9; XVII, 1; XIX, 10, 20, 22, 25, 27, 37; XX, 1 sq.; XXI, 14 sq.; XXIX, 2-4; XXX, 1-6.
[7] Serm. V, 11 sq., 20; VIII, 2; IX, 2 sq., 9 sq., 19-21; XIV, 1-2; XVI, 9; XX, 7; XXII, 11; XXX, 4 sq.
[8] Serm. V, 5; XI, 3 sq.; XII, 5; XIX, 26.
[9] Serm. IV, 7; V, 2, 6; XI, 4; XX, 5; XXVII, 4; XXX, 1-3.
[10] Serm. X, 3; XVII, 1; XX, 6.
[11] Serm. III, 6-9; VIII, 6; XIII, 7; XIV, 1; XV, 9; XX, 1 sq.; XXI, 1 sq.; XXV, 3, 8. — [12] Serm. XII, 6; XIX, 13; XX, 6; XXI, 3; XXV, 5.
[13] Serm. XIV, 1; XV, 13; XIX, 16. — [14] Serm. III, 7; XXV, 5 sq.
[15] Serm. III, 11, 15; XXV, 5-8. — [16] Serm. III, 15. — [17] Serm. X, 6; XXV, 3.
[18] Serm. III, 8 sqq., 15. — [19] Serm. XIX, 9, 31; XXVII, 4 sqq.

c) Ἐγκράτεια, i. e. abstinentia a venere et carnibus. Perfecti etenim semper ieiunare debent[1], non solum cibis lautis, sed et mundo atque deliciis[2], nam secus nec peccatum e corde evellere, nec perfici possunt. Dominum igitur imitantes orationi, ieiunio humilitatique student, ut obtenta perfectione salutem perfectam consequantur[3].

Praeter iustos et perfectos ad mentem L[i] G. tertia adhuc species hominum ethica fingi potest, nimirum malorum, h. e. eorum, qui ex quacunque causa aliis malum inferant. Horum finem Auctor damnationem fore docet; et hanc quidem, iuxta ea, quae supra dicta sunt[4], probabiliter temporalem. Ceterum re accuratius inspecta ulterior haec subdivisio hominum ethica caret ea vi ac potentia, quam ei primo instanti forte tribues. L. G. quidem iustitiae notionem valde urget, utpote virtutis, qua nemini noceatur; attamen momentum principale doctrinae totius ethicae Libri in distinguendis iustis atque perfectis situm est, non vero in ulteriore aliqua subdivisione hominum mundanorum in iustos stricte tales, atque homines nequam, qui de malis sibi illatis poenas repetant, aut aliqua passione excitati proximis mala inferant. Bene enim mente tenendum est discrimini inter iustos et perfectos gradus aeternae felicitatis essentialiter diversos ad mentem L[i] G. respondere. Iam vero idem affirmari nequit, ubi iustis mali opponantur. Si enim poena Inferni aeterna non sit, uti Noster innuit, sique reatu culpae negato effectus peccati omnes ad merum reatum poenae reducantur, totum discrimen inter iustos et malos ad id reducitur, quod iusti « vitam » sc. gradum aliquem salutis inferiorem statim, mali vero demum post castigationem convenientem consecuturi sint. Quod si insuper perpendas ad mentem Auctoris ipsum paenae reatum baptismo et post baptismum paenitentia deleri, differentia inter iustos et peccatores fere tota evanescit et momento practico prorsus evacuatur.

38. Doctrinam ethicam L[i] G. examinaturi exordium faciemus ab investiganda, quam proponit, notione iustitae. Haec enim talis est, cuius vestigia in monumentis antiquae Christianitatis obvia ad eam rite perspiciendam facile et secure perducant.

Notio etenim iustitiae ad mentem L[i] G. accepta, nil aliud est, quam id, quod olim Gnostici *bonum* appellarunt. Notum est olim Gnosticos acerrime distinxisse inter Deum Antiqui Testamenti iustum, bonos remunerantem, malos punientem, et Deum Novi Foederis bonum, bonis pariter et malis clementem, misericordem, pium atque benevolum. Huic distinctioni convenienter etiam inter bonos et iustos discrevere, *bonos* dicentes eos, qui nemini malum inferrent et cuique benefacerent, sive dignus esset sive non,

[1] Serm. VII, 20; X, 3, 5; XXIX, 1, 5, 9, 15. — [2] Serm. X, 5; XV, 16.
[3] Serm. XX, 2, 8 sqq., 14; XXX, 25. — [4] Vide supra n. 30.

iustos vero eos declarantes, qui cuique, pro ut dignus esset, retribuerent.

Optime disserit hac de re Origenes in opere Περὶ ἀρχῶν, ubi haec de Gnosticis dicit : *Existimant... bonitatem affectum talem quemdem esse, quod bene fieri omnibus debeat, etiamsi indignus sit is, cui beneficium datur, nec bene consequi mereatur..... Iustitiam vero putarunt affectum esse talem, qui unicuique, prout meretur, retribuat... Putant enim, quia quod iustum est, malis mala faciat, bonis bona, id est, ut secundum sensum ipsorum iustus malis non videatur bene velle, sed velut odio quodam ferri adversus eos; et colligunt, sicubi forte in scripturis Veteris Testamenti inveniunt historiam referentem, verbi gratia de diluvii paenis et eorum, qui in eo extincti referuntur, vel cum Sodoma et Gomorra ignei sulphureique imbris vastatione depopulantur.. De novo autem Testamento misericordiae ac pietatis congregant verba, quibus a Salvatore discipuli informantur et quibus pronunciari videtur, quia nemo sit bonus, praeter unum Deum Patrem, et per hoc ausi sunt bonum quidem nominare patrem Salvatoris Iesu Christi, alium autem esse dicunt mundi Deum, quem iustum eis, non etiam bonum placuit appellare*[1].

Uti ex his Origenis verbis liquet, quod Gnostici ἀγαθόν dixerunt in L° G. idem sub notionem tum perfectionis tum iustitiae ceu rectitudinis[2] cadit, iustitia vero sensu gnostico accepta in L° G. iniquitatis arguitur, quippe cum nefas sit alii malum inferre. L. G. itaque doctrinam Gnosticorum sat superque severam magis adhuc exaggerat facta illa inter perfectos et iustos distinctione, cuius vestigia apud solos Manichaeos inveniuntur. Hos enim perfectos suos catechumenosque habuisse nemo non novit. Manichaica item sententia est, quod Noster « perfectos » labori corporali operam dare prohibens « iustos » perfectis eleemosynas impertiri iubet.

Primo obtutu igitur Auctorem theologumena illa ab asseclis Manis nactum esse suspicaberis. Attamen adverte Nostrum aliis in rebus omnino sui iuris esse nec quidquam in L° G. occurrere, quod e *sola* Manichaeorum doctrina explicari possit. Etenim sententia, quod perfectionis sectatores non debeant labori corporali operam dare, reperitur in Homiliis Macarii[3] et in operibus Marci Eremitae[4], quos tamen nemo manichaeismi accusabit.

Veri similius, contra, est doctrinam ethicam L[i] G. aliqua ratione cum haeresi Marcionitarum cohaerere, quamquam nexus positivus inter placita

[1] *De principiis*, II, v, 1. Cf. Origenis in Ex. VII, 13 sq. (Migne, *P. G.* XII, 265). Clem. Alex. *Paedag.* I, 8. Hatch, *Griechentum und Christentum,* Deutsch v. E. Preuschen, Freiburg i. B., 1892, p. 165 sqq. E. H. Schmitt, *Die Gnosis,* Leipzig, 1903, passim; auctor enim totam Gnosticorum doctrinam circa hanc « iustitiae » notionem versari opinatur. Notissimum porro est nostris temporibus Leonem Tolstoi similes doctrinas scriptis suis propagasse.

[2] ܙܕܝܩܘܬܐ vel ܟܐܢܘܬܐ. — [3] *Hom.* VIII, 4. Migne, *P. G.* XXXIV, col. 529 D.

[4] *Opusculo* VII : *Disputatio cum causidico,* nn. 1, 3. Migne, *P. G.* LXV, coll. 1072 A, 1073 C, 1077.

Nostri et Marcionis vix, ut puto, scientifice probari potest. Marcion nimirum primus differentiam inter ἀγαθόν et δίκαιον praecipue urgebat[1] eiusque influxui tribuendum est, ut divisio a Valentino invecta inter pneumaticos, psychicos atque somaticos tempore posteriore, obsoleta sit. — Marcion praeterea opusculum quoddam Ἀντιθέσεις dictum composuit, ubi Novum et Vetus Testamentum sibi mutuo opponens utriusque auctorem alium esse Deum demonstrare conabatur, Veteris quidem iustum, Novi autem bonum[2]. De forma litteraria operis huius, quod prolegomenorum instar « Evangelio » et « Apostolo » a se recensito praemisit, vix quidquam notum est[3]; ipse tamen titulus et aliqua Tertulliani effata[4] innuunt in *Antithesibus* doctrinam et opera Dei Antiqui et Novi Testamenti sibi mutuo opposuisse. Aliquid huiusmodi in L° G. quoque invenies Sermone XIX, 9-33, ubi « via » perfectionis atque iustitiae per modum antitheseon sibi opposita adumbratur. Eadem forma litteraria recurrit Sermone XIV, cum eo tamen discrimine, quod hic solam agendi rationem iustorum atque perfectorum sibi opponit Auctor, illic vero allegatis diversis Novi Testamenti locis demonstrare conatur alia Salvatoris verba ad perfectos, alia vero ad iustos spectare et, quia non eidem subiecto praeciperentur sibi haud raro prorsus contraria dicta esse. — Placita Marcionis sapiunt ea quoque, quae Auctor de inimicitia olim inter Deum et homines stante docet eiusque maceria passione Christi Dñi perforata[5]. Verum quidem est, eam sententiam verbis S. Pauli inniti[6], ex altera autem parte tota haec assertio Nostri de inimicitia, quam dicit, post lapsum Adae inter Deum et homines orta, manifeste addititia est, nec in systema eius theologicum quadrat, sicut iam nn. 2 et 19 ostendimus. Ad rationes ibidem laudatas modo aliam addimus : Stante nimirum notione iustitiae, ab Auctore definita, necessario oritur quaestio : cur Deus sanctissimus et optimus tempore Antiqui Testamenti prophetis contra iniquos missis peccatum praeceperit? Respondet Noster : quia Adam lapso inimicitia erat inter Deum et homines usque ad Christi adventum. Attamen liquet hac ratione rem nequaquam explicari. Si enim malum pro malo reddere peccatum sit, nefas est pariter asserere Deum peccatores punire ; si igitur Deus prophetas contra iniquos misisset, non solum

[1] Irenaeus, *Adv. Haer.* I, xxv, 1 (Harvey I, 216); *Philosophumena* Hippolyti, X, 19; Tertullianus, *Adv. Marcionem,* I, 6, 22; II, 5, 12 (cf. Hilgenfeld, *Ketzergeschichte,* p. 322 sq.).

[2] Tertullianus, *Adv. Marc.* I, 19; II, 29; IV, 1, 3, 23 (cf. Hilgenfeld, *o. c.* p. 523 sqq.).

[3] Antitheses Marcionis reconstruere tentavit Hahn in opere : *Antitheses Marcionis Gnostici, liber deperditus, nunc quoad fieri potuit restitutus,* Regiomontani, 1823; opus hodie antiquatum; cf. Ehrhard, *Die altchristliche Litteratur und ihre Erforschung von 1884-1900,* Freiburg im Br., 1900, p. 195. Zahn, *Gesch. d. neutest. Kanons,* Erlangen, 1888, t. I, p. 596 sq. — [4] *Adv. Marcionem* IV, 23. Cf. Hilgenfeld, *Ketzergeschichte,* p. 526. [5] Vide supra n. 19. — [6] Ephes. ɪɪ, 14; Col. ɪ, 20.

eos ipsos iniustos reddidisset (quod expressis verbis asserit Noster), sed et iniustitia a prophetis commissa ultimatim in ipsum Deum redundaret, tamquam rem iniustam praecipientem. Auctor quidem difficultatem evitaturus Deum, utpote *aeonem* ܥܠܡܐ lege immunem homines nequam punire potuisse asserit[1], sed, ut patet, recursus ad naturam divinam legis expertem quaestionem non solvit, sed complicat; nam negato reatu culpae atque redemptionis necessitate non liquet vera inimicitiae ratio ob lapsum protoplastorum inter Deum et homines orta, nisi ad voluntatem Dei recurras eumque, olim peccatorum vindicem, post adventum Christi, ut ita dicam, resipuisse statuas, quasi ex iniusto factus sit postea iustus. Ineptiae sane maximae, quae vix aliter sufficienter explicantur, nisi supponas Auctorem recepto monismo theologico christiano attributa iustitiae ac bonitatis, quae olim Gnostici duobus subiectis divinis distinctis tribuebant, uni eidemque Deo inepte adscripsisse.

Utut res se circa originem doctrinae ethicae L[i] G. habeat, id unum certum est notionem iustitiae ad mentem Gnosticorum acceptae cum theologia christiana vix conciliari et sua quadam sponte ad dualismum theologicum ducere. Non est igitur mirum omnes antiquos scriptores cum Ecclesia sentientes non exceptis iis, qui gnosi christianae addicti erant (uti Clemens Alex. et Origenes) unanimi consensu *iustitiae* stricte talis bonitatem defendendam suscepisse eamque etiam Deo tamquam veram perfectionem tribuisse. Libri, qui salvo monismo theologico sententiam Gnosticorum circa iustitiam propugnent, rarissimi sunt. Praeter L[um] G, ut sciam, in solo *Libro legum regionum* eiusmodi theologumena occurrunt, cuius auctor, quicunque fuerit[2], quamquam dualismum Gnosticorum reprobat, in iustitiae notione definienda mirum in modum cum eis conspirat dicens :

Duo enim praecepta sunt coram nobis posita, quae libertati pulchra sunt et decora : primum nempe, ut servemus nos ab omni malo et ab eo, quod nolumus nobis fieri; alterum, ut faciamus id, quod bonum est et quod diligamus et desideremus nobis etiam fieri[3].

Et paulo inferius :

Sunt, qui ulciscantur, sicut leones et sicut tigres; et sunt, qui sicut scorpiones noceant sibi non deliquentibus; et sunt, qui trahantur sicut oves, nec ducentibus se noceant. Sunt, qui in beneficentia conversentur, et sunt, qui in iustitia, et sunt qui in malignitate[4].

In primo citato adverte regulam dilectionis proximi etiam negative proponi, perinde ac in L[o] G. contingit, ubi ea ad definiendam iustitiae notionem usurpatur. In altero citato nota trifariam hominum divisionem, quae, uti

[1] Vide supra n. 2.

[2] Probabiliter aliquis Bardesanis discipulus. Harnack, *Chronologie d. altchr. Litt.* II, p. 131; *P. S.* II, 528. — [3] *P. S.* II, 550. — [4] *Ib.*, col. 561 sq.

iam Neander perspexit[1], ethicam gnosticam sapit et proxime ad placita Marcionis accedit, in cuius systemate iustitiae notio bonitati opposita partes praecipuas agebat[2].

Singularem autem similitudinem prae se fert doctrina Nostri cum placitis Ptolomaei in *Epistola ad Floram*[3] propositis. Interrogante nimirum Flora quid de Legis mosaicae origine habendum sit, Ptolomaeus datis ad eam litteris reiicit et eorum sententiam, qui Legem diabolo et eorum, qui eam deo bono auctori tribuant, cum Lex nec absolute bona, nec mala omnino sit. Ptolomaeus ipse eam Demiurgo adscribens iusto diversa in ea strata distinguenda esse vult : 1) alia nimirum praecepta bona, a mali permixtione libera, quae Salvator non venerit solvere, sed adimplere (III, 1) — his adnumerat decalogum (III, 2) —; 2) alia cum iniquitate implicata, quae Salvator abrogaverit, veluti ea : *oculum pro oculo, caedem pro caede* (III, 3); 3) alia demum symbolica et typica, umbras sensibiles, quae Salvator in spiritualia et invisibilia resolverit (III, 9, 10). Has porro leges, cum nec absolute bonae nec penitus malae sint, nefas esse sive Deo sive Diabolo tribuere, sed opus esse Demiurgi, cuius natura indoli Legis mosaicae conveniat (V, 2-5). Praeter leges a Demiurgo latas additamenta quoque humana in Lege reperiri putat a Moyse et senioribus invecta (II, 2, 10) iuxta Salvatoris verba : *Moyses propter duritiam cordis vestri permisit dari libellum repudii; ab initio autem non fuit sic*[4]. Hinc infert legem de matrimonio a Deo olim latam, propter populi duritiam a Moyse immutatam fuisse, cum Iudaei legis rigorem ferre non valentes, uxorum pertaesi eas e medio sustulissent eaque ratione homicidiorum rei exstitissent. Ad praecavenda itaque scelera Moysem libellum permisisse dari repudii, ut saltem observato hoc praecepto iniquitatem et periculum sibi inde imminens evitarent (II, 4-9). Aliqua demum praecepta a senioribus lata esse e verbis Salvatoris concludit dicentis[5] : *Deus enim dixit : honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi; vos autem dicitis : donum est Deo, quodcunque tibi ex me profecerit* (II, 10 sq.).

Igitur L. G. cum Ptolomaeo legem talionis iniustitiae arguit; singulare imprimis est, utrobique thesim hanc iisdem argumentis ex Evangelio haustis probari[6]. Ptolomaei quidem Epistola in aliis omnino praemissis

[1] *Gnotische Systeme,* p. 201.

[2] Tertullianus, *Adv. Marcionem,* I, 23, 25, 27; II, 11-17. Cf. Hilgenfeld, *Ketzergeschichte,* p. 526 sq. Zahn, *Gesch. d. ntestam. Kanons,* I, p. 586 sq.

[3] De qua, in quantum ad rem nostram spectat, v. Harnack in *Sitzungsberichte der Berliner Akademie*, 1902, p. 520-524. Eam ex Epiphanii Panario, *Haer.* XXX, 3-7 seorsum ed. Harnack s. t. : *Ptolomaeus Brief an die Flora*, Bonn, 1904, cuius textus eiusque divisio heic citatur.

[4] Matth. XIX, 6 sq. — [5] Matth. XV, 3 sqq. — [6] *L. G.* Serm. XXII, 19 sq.

theologicis fundatur nec doctrinae ethicae tradendae vacat, uti L. G., sed theoreticam mere quaestionem discutit circa Legis originem; idearum nihilominus similitudo stringens est, nec casui caeco tribuenda; attamen necessitudinem mutuam utriusque auctoris accuratius explorare impossibile est.

39. Officia iustorum e *Doctrina duodecim apostolorum* vel ex aliqua operis huiusce recensione syriaca hausisse videtur Noster, uti alibi ostendetur. Heic noto Auctorem iustis praecipere, ut inter animalia munda et immunda discrimen faciant. Christianos Mesopotamiae re vera morem hunc iudaicum observasse, vel saltem eiusmodi quaestiones movisse suadet Aphraates[1], cuius tempore erant, qui praeceptis Legis innixi cibis haud indiscriminatim utendum esse contenderent. Item in Actis Akebšma Martyris et Sociorum audimus Ithalaha, Bêt-Nuhadrensem diaconum a *mopto* coactum esse, ut solem adoraret, *sanguinem manducaret* uxoremque duceret[2]. Christiani igitur quidam Mesopotamiae more Iudaeorum animalia tantum munda comedisse et ab usu sanguinis abstinuisse aliquando videntur, quemadmodum et L. G. idem a iustis exigit. Ieiunii disciplina, quam L. G. iustis praescribit, antenicaena est; saltem, ieiunii quadragesimalis in toto opere mentio nullibi fit[3].

Idea perfectionis in L^o G. obvia saeculo III et IV per totum orbem Christianum communis erat. Non enim soli Gnostici ἀπάθειαν, ἀποτάγην ac ἐγκράτειαν praedicabant[4], sed toti societati inerat studium aliquod asceticum mundique contemptus[5]. Singularis est imprimis consensus hac in re L^i G. et *Actorum Thomae,* cuius auctor, sive discipulus fuerit Bardesanitarum scholae, sicut Harnack suspicatur[6], sive alius quisquam, ethicam placitis Nostri simillimam docet. Matrimonium enim veluti rem foedam aspernatur[7], renunciationem, humilitatem praedicat, Christianosque curae expertes fieri iubet[8]. Hoc opus ceterum Noster nosse videtur, uti suo loco videbimus. Notio autem « perfectionis » in L^o G. inculcata doctrinae Messalianorum simillima est; quapropter nexus L^i G. cum ista haeresi seorsum accuratissime investigandus erit.

---

[1] *Dem.* xv, 1. *P. S.* I, 728. Cf. verba *Libri legum Regionum, P. S.* II, 561.

[2] Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum,* II, 728.

[3] Hac de re v. Funk, *Die Entwicklung des Osterfastens* in opere : *Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen,* Paderborn, t. I, 1897, p. 241-278.

[4] C. Schmidt, *Gnostische Schriften in koptischer Sprache,* p. 521 sq.

[5] C. Schmidt, *Die alten Petrusakten*, Leipzig, 1903, p. 161 sq. *Acta Pauli* hsg. v. C. Schmidt, Leipzig, 1905, p. 190 sqq.

[6] *Chronologie d. altchr. Litter.* I, 548. Cf. Ehrhard, *o. c.* p. 163.

[7] Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum,* III, p. 13, 56.

[8] *Ib.,* p. 13, 21, 29, 37, 63 et alibi. Burkitt, *Urchristentum im Orient,* deutsch v. Preuschen, Tübingen, 1907, p. 147 sqq.

CAPUT IV

DE SECTA MESSALIANORUM DEQUE LIBRI GRADUUM AD EAM NECESSITUDINE

CONSPECTUS.

I. SCRIPTORES ANTIQUI PROPRIAS EXPERIENTIAS CIRCA MESSALIANOS MEMORIAE TRADENTES. — II. AUCTORES NOTITIAS MEDIATAS CIRCA MESSALIANOS REFERENTES. — III. RES GESTAE MESSALIANORUM INTER NESTORIANOS. — IV. OPERA DEPERDITA AD MESSALIANOS SPECTANTIA. — V. NECESSITUDO L[i] G. AD DOCTRINAM MESSALIANORUM.

Iam versus finem cap. III innuimus perfectionis speciem, quae in L[o] G. commendatur, peculiarem similitudinem prae se ferre cum placitis certae cuiusdam sectae inter Syros versus finem saeculi IV ortae, cui nomen apud auctores antiquos *Messalianorum* seu *Euchitarum* et doctrina omnino singularis tribuitur.

Historia haereseos huiusce iam dudum nota est [1]; nihilominus operae pretium existimavimus ea, quae hac de re scripta sunt, novo examini critico subiicere. Documentis enim, quibus docti saeculi XVIII et XIX ad fata sectae describenda usi sunt, ignota prius aliquot accessere, unde res a Messalianis gestae novam lucem capiunt. Cum denique placita Messalianorum rem nostram intime tangant, ad doctrinam L[i] G. rite perspiciendam inevitabile videbatur textus ad eam spectantes ad lectorum commoditatem chronologice dispositos exhibere [2]. Quod ceterum ipsa huiusce Patrologiae edendae ratio

[1] De Messalianis scripserunt: Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique des six premiers siècles*, Venise, 1732, t. VIII, p. 517-536, 798. — Walch, *Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzereien, Spaltungen und Religionsstreitigkeiten bis auf die Zeiten der Reformation*, Leipzig, 1766, t. III, p. 481-536. — Engelhardt, *Kirchengeschichtliche Abhandlungen*, Erlangen, 1832, p. 151 sqq. — Neander, *Wissenschaftliche Abhandlungen* hsg. von Iacobi, Berlin, 1851, p. 130 sqq. — Salmon in '*Dictionary of Christian Biography*' (ed. Smith and Wace, London, 1880), t. II, p. 258 sqq. s. v. « Euchites ». — Karapet-Ter-Mkrttschian, *Die Paulikianer im byzantinischen Kaiserreiche und verwandte Ketzerische Erscheinungen in Armenien*, Leipzig, 1893, p. 39-49. — *The Key of Truth*, ed. Conybeare, Oxford, 1898, p. CVIII. — Bonwetsch in '*Hauck's Realencyclopädie für Protestantische Theologie*, t. XII, p. 661-664 s. v. « Messalianer ». — Holl, *Amphilochius von Ikonium*, Tübingen & Leipzig, 1904, p. 30-38. Huc spectant etiam notae editorum in opera SS. Patrum, qui textus ad Messalianos spectantes edidere, imprimis Cotelerii et Michaelis Le Quien.

[2] Textus in *Appendice* positi in sequentibus absque ullo titulo citantur. V. g. N. XIV, 1 significat Timothei Constantinopolitani caput primum.

suadebat. Sectae enim huic genuino-syriacae iam aliquando debita cura impendenda erat.

Textus in « Appendice » positi in duas categorias possunt dividi. Alii nimirum experientias personales aliquorum virorum ecclesiasticorum circa Messalianos factas proponunt, alii vicissim notitias tantum mediatas ad sectam pertinentes e scriptis plerumque deperditis haustas suppeditant.

I

SCRIPTORES ANTIQUI EXPERIENTIA PROPRIA DE MESSALIANIS LOCUTI.

1. S. Ephraem Syrus. — 2. S. Epiphanius. — 3. S. Hieronymus. — 4. Maruthas Maypbercatensis. 5. S. Nilus. — 6. Synodus Ephesina. — 7. S. Cyrillus Alexandrinus. — 8. Synodus Šahapivanensis. — 9. Severus Antiochenus. — 10. S. Maximus.

1. Seriem auctorum priorum aperit S. Ephraem Syrus (v. n. I), qui semel tantum Messalianorum meminit : *Sermone* XXII metrico, antihaeretico, post expugnatam a Persis Nisibim, inter a. 363-373 composito[1]. De doctrina quidem sectae tacet, sed singularem eam segnitiem asseclarum eius vituperat, quae post paucos annos S. Epiphanium quoque gravius affecit. In graeca *Testamenti* S. Ephraemi versione pariter exstat locus Euchitas, i. e. Messalianos, haereticis vitandis adnumerans[2]; at in textu syriaco operis eorum mentio non fit[3], textus proinde graecus loco laudato ab interprete vitiatus videtur.

2. Multo fusius disserit de Messalianis S. Epiphanius in Panario, *Haeresi* LXXX, qui et primus inter Graecos sectae huius socios nomine syriaco Μασσαλιανοί[4] appellat illudque graece εὐχόμενοι recte interpretatur.

S. Pater tres Messalianorum species distinguit (v. n. II) : a) Antiquissimos eiusdem nominis sectae asseclas nec Iudaeos nec Christianos fuisse tradit, sed gentiles, qui pluralitatem quidem Deorum admiserint, unum tamen

[1] Iuxta Gregorium, Arabum episcopum Homiliae S. Ephraemi antihaereticae post Nisibim a Persis imperante Ioviniano captam, quando Sanctus Edessam migravit, compositae sunt. Cf. *The Homilies of Aphraates,* ed Wright, p. 25. Forget, *De vita et scriptis Aphraatis,* p. 24 sq. *S. Ephraemi Syri Hymni et Sermones,* ed. Lamy, t. II, col. 97 sq. Ita et Acta S. Ephraemi syriaca; v. *Opp. S. Ephraemi ed. syro-lat.,* t. III, Romae, 1743, p. L; Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum,* t. III, Parisiis, 1892, p. 683.

[2] *Opp. S. Ephraemi ed. graeco-lat.*, Romae, 1743, t. II, p. 242.

[3] *Ephraemi Syri aliorumque opera selecta,* ed. Overbeck, Oxonii, 1865, p. 147. Cf. Assemani, *Bibl. Or.* t. I, p. 145.

[4] ܡܨܠܝܢܐ est nomen agentis e part. paʿel verbi ܨܠܝ formatum; duplex σ sonum ܨ exprimere intendit. Theodoretus scribit Μεσσαλιανοί, Photius Μεσαλιανοί, Cyrillus Alex. Μεσσαλιταί, in decreto Concilii Ephesinae, quod in sola translatione latina exstat, Messalianitae appellantur.

παντοκράτορα coluerint et προσευχάς ceu oratoria sibi fecerint, ubi ingente lucernarum faciumque mole accensa sacros conventus habuerint. Refert etiam aliquos ἀρχόντων ob zelum religionis acriter in eos animadvertisse, quam ob causam sectarii nomen Μαρτυριανῶν sibi imposuissent. Verba Epiphanii plana sunt. S. Pater non sectam aliquam christianam describit, sed motus syncretisticos inter ipsos Gentiles ortos, qui ideas aliquas christianas religioni suae antiquae admiscentes saec. IV exeunte haud paucos in imperio Romano tumultus excitasse videntur. Eius farinae erant *Hypsistarii* in Asia Minore, *Caelicolae* et *Abelonii*, in Africa, qui a potestate civili dure tractabantur [1]. b) Alteram eiusdem sectae speciem dicit Satanianos, quippe qui Satanam, utpote magnum et fortem, hominibus mala plurima inferre valentem adulatorio cultu sibi conciliare studuerint. Docti quidam, inaccurata Petavii translatione decepti, Messalianorum κατ' ἐξοχήν originem a Satanianis derivari contendebant, freti imprimis Bogumilorum posteriorum historia, quos re vera Satanam adorasse constat [2]. De facto Epiphanius secundam hanc Messalianorum speciem a veri nominis Messalianis aperte distinguit; antiqui vero, qui de Messalianis scripserunt, hac de re tacent; cum porro Bogumilorum secta demum saec. XII prodierit et influxus doctrinae Manichaicae prae se ferat, eos cum veri nominis Messalianis confundere nefas est. In oriente hodie adhuc superstites Satanianorum inveniuntur, Yesidaei (يزيديّة) appellati [3].

c) Tertia Messalianorum species demum est, quae ad rem nostram pertinet. Ea, quae de hisce Messalianis κατ' ἐξοχήν apud Epiphanium narrantur, singularia quidem sunt, sed prorsus fide digna. Sectae originem ignorare se fatetur S. Pater. Initio, ait, et fine, capite et radice carent nec fulcrum nominis habent — id est, nequeunt ab aliqua secta antiquiore derivari. Reapse tota relatio Epiphanii prodit sectam recentem et insolitam fuisse. Locum eius natalem Mesopotamiam dicit, unde iam ipsam Antiochiam invaserint.

[1] De istis cf. Hergenröther, *Kirchengeschichte* [4], I, p. 335, n. 4. Errorem autem aliquem circa etymologiam nominis Abeloniorum (S. August. *De Haer.* c. LXXXVII) qui in Africa prodierunt, notare liceat. Bochartus (in Op. *Geographia Sacra,* Francofurti ad Moenum, 1681, p. 850 E) nomen sectae ab arabico أبيل derivat. Quod falsissimum est, nam verbum arabicum denominativum est a syriaco ܐܒܝܠܐ = « lugens », « monachus »; inde تأبّل = « monachus factus est », vel, quod idem est: « se ab uxore continuit ». Terminus influxum monasticum supponit, proinde cum sectaris africanis nil commune habet. Lupici(a)ni, quem Messalianos gentiles persecutum esse narrat Epiphanius, mentionem facit Ammianus Marcellinus (*Hist.* XXVI, v, 3; VIII, 4). Erat dux Orientis Valentis tempore, iam a Joviniano magister equitum promotus. Cf. Salmon in *Dictionary of Christ. Biogr.* III, 761 s. v. Lupicinus.

[2] De his cf. Hergenröther, *Kirchengeschichte* [4], t. II, p. 549-552.

[3] Cf. Neander, *o. c.* p. 130 sqq. Badger, *The Nestorians and their Rituals,* London, 1852, vol. I, p. 111-134. P. Anastasius O. Carm. in ephemeride Berytensi المشرق a. 1899. Chabot, *Notice sur les Yézidis* in *Journal Asiatique,* 1896, N° de Janvier-Février.

Doctrinam sectae pariter ignorat, nec de ea aliud quidquam tradit, nisi quod bonis suis renunciasse se praetendant et ideo mendicorum more manus ad stipem porrigant, aestatis tempore vero otiosi vagentur et in suburbiis Mesopotamiae spatiosis viri ac mulieres promiscue dormiant, aut orent. Ieiunium non observant, ait, sed fame correpti absque discrimine temporis manducant et bibunt. Mores sectariorum bonos quidem in dubium vocat, nihilominus fatetur nihil se de lascivia eorum, quam ob promiscuam sexus utriusque cohabitationem merito supponendam arbitratur, compertum habere. Praetera stoliditatem aliquam eis tribuit, quod scilicet sciscitanti, quales quique haberi velint, tales se dicant, sicuti interrogati fuerint; quaerenti videlicet an prophetae sint, aut angeli, respondere se prophetas esse, aut angelos.

3. Saeculo V ineunte Messalianorum mentionem fecit S. Hieronymus, cuius *Prologus* in Dialogum adversus Messalianos (v. n. III) prodit famam, forte etiam asseclas sectae usque Bethlehem pertigisse. S. Hieronymus Messalianos « totius pene Syriae haereticos » dicit eosque haereticis atque philosophis ἀπάθειαν professis annumerat, inter, quos Ciceronem, Origenem Stromatum auctorem (sic!), Evagrium Ponticum, Iovinianum atque Pelagianos recenset. Pelagianorum mentio in serie hac peculiari consideratione digna est. Pelagiani etenim, uti notissimum est, salutem animae viribus naturalibus hominis effici et posse et debere dictitabant. Sed et Messaliani idem docebant, cum ex eorum mente culmen perfectionis ἀπάθεια i. e. impassibilitas sit eaque activitate humana acquiratur. Cum his placitis autem etiam doctrina L[i] G. convenit, quae in urgenda impassibilitate tota quanta versatur. Porro, teste Mario Mercatore, Pelagii magister Romae Rufinus quidam erat, natione Syrus[1]. Si igitur Hieronymi tempore tota Syria errore Messalianorum infecta fuerit, non est improbabile etiam Rufinum more monachorum Syrorum placitis Messalianis imbutum fuisse, quae dein Pelagius ope philosophiae Aristotelis in systema scientificum redegisse videtur, principiis doctrinae naturalismum sapientibus ulterius evolutis.

4. Hieronymo coaevus erat Maruthas episcopus Martyropolitanus, ceu Mayphercatensis, qui ʿAbdišôʿ Sobensi episcopo teste praeter alia opera *transtulit etiam canones* [Patrum] *trecentorum decem et octo et conscripsit historiam totius Sanctae illius* [Nicaenae] *Synodi*[2]. Opus hoc, quod a. 1898 e Codice Bibliothecae Borgianae K. VI, 4 Oscarus Braun ad lucem protraxit et germanice translatum edidit[3], praeter translationem syriacam canonum Nicae-

[1] In praefatione *Libri subnotationum in verba Iuliani*, n. 2. Migne, *P. L.* XLVIII, 111.

[2] Assemani, *Bibl. Orient.* I, 192; III, 74 : ܘܗܘ ܢܩܠ ܐܦ ܩܢܘܢܐ ܕܬܠܬܡܐܐ ܘܬܡܢܬܥܣܪ: ܘܐܟܬܒ ܬܫܥܝܬܐ ܕܟܠܗ ܗܝ ܣܘܢܗܕܘܣ ܩܕܝܫܬܐ.

[3] *De Sanctae Nicaena synodo*, Münster, 1898.

norum etiam catalogum haeresium continet, de quo iam cap. III, n. 3 fusius sermo erat. Textum syriacum tractatus haeresiologici Ignatio Ephraemo Raḥmani, Patriarchae Syrorum doctissimo debemus, qui eum in fasc. IV *Studiorum Syriacorum* [1] publici iuris fecit.

Hoc in Catalogo duae sectae ad rem nostram pertinent (v. n. IV) : Audiani et Timotheistae. Audiani etenim Marutha teste partim *orantes* (= mᵉṣallyānē) erant, partim *ieiunantes;* Timotheistae vero de usu bonorum severius iudicabant, perinde ac L. G. atque ipsi veri nominis Messaliani [2].

Uti iam supra notavimus, doctrina Audianorum in Catalogo Maruthae adumbrata singularem similitudinem prae se fert cum capite 6 Timothei, Constantinopolitani presbyteri, quo referente Messaliani « tres hypostates Patris et Filii et Spiritus S. in unam hypostasim resolvi et mutari » docuerint [3]. Ex altera parte apud Marutham ne laevissimum quidem vestigium occurrit anthropomorphismi haeretici et doctrinae quartodecimanae, quae Audianis in *Panario* S. Epiphanii *Haer.* LXX tribuuntur.

His consideratis valde probabile videtur Maruthae Messalianos, Audianismo deditos (?) non fuisse sectam vere talem ab aliis distinctam, sed viros dogmatice plus minusve indifferentes, quibus peculiaris erat nisus quidam asceticus, quo impellente de virtute orationis deque rerum terrestrium usu in diversos errores lapsi sunt et non tam doctrinae novitate, quam potius insolita vitae ratione pacem Ecclesiae perturbarunt.

5. Sub eadem fere tempora mentionem fecit Messalianorum etiam S. Nilus anachoreta in *Epistola ad Magnam* (n. V), in qua prima vice occurrunt nomina duorum sectae asseclarum : Adelphii et Alexandri. Prior ex aliis documentis notissimus est; ad alterum quod attinet, virum huius nominis nullus alius auctor inter fundatores, aut celebriores sectae viros recenset. Nilus ipse nil aliud de ipso refert, nisi quod doctrinâ suâ civitatem regiam, Constantinopolim, inquinaverit atque inducta specie orationis perpetuae ianuam pigritiae passionibusque indomitis aperuerit. His Nili verbis innixus Tillemont Alexandrum homonymo fundatori ordinis Acoimetarum aequiparavit, quippe cuius vita ac doctrina placita Messalianorum redoleat et propterea prius Antiochiae, dein Constantinopoli haud immerito notam haereseos incurrerit [4].

[1] *Documenta de antiquis Haeresibus*, Šarfe, 1909, pp. ܪܝ — ܡܝ et 76-80.

[2] Harnack Timotheistas propaginem Apostolicorum sive Apotacticorum (cf. Epiphanii Panarion, *Haer.* LXI) censet. V. *Der Ketzer-katalog des Bischofs Maruta von Maipherkat*, Leipzig, 1899, p. 13.

[3] App. XIV, 6.

[4] *Mémoires,* t. XII, p. 490-498. Vitam S. Alexandri transtulit Bollandus in *Actis Sanctorum,* t. I Ianuarii, p. 1018-1029, edidit E. de Stoop, *Patr. Or.* VI, p. 641-705. Auctor *Vitae* ignotus est; res a se narratas partim Sancto ipsi (n. 29, p. 1024; n. 54, p. 1028)

6. Anno 431 Messaliani a Synodo Ephesina damnati sunt. Decretum in eos latum latine adhuc servatum est (n. VI); pars textus graeci inter Acta

partim Rabbulae Edesseno, Alexandri in vita monastica aliquamdiu socio (n. 13, p. 1022) in acceptis refert. Iuxta *Vitae* narrationem Alexander ex Asia oriundus Constantinopoli artem grammaticam didicit; deinde miles factus et praetorianorum cohorti adscitus Novo Testamento studere cepit, unde verbis Christi : *si vis perfectus esse, vende quae habes* etc. permotus bonis divenditis in Syriam secessit ibique in coenobio quodam, cui tunc Abbas Elias praeerat, per quadriennium vitam monasticam egit; cum vero reliquorum monachorum vivendi rationis cum taederet (nam contra praeceptum Dñi rectores communitatis curam habebant necessitatis fratrum reliquorum, n. 5) altiora cogitans Evangelium praedicandum suscepit, atque succenso quodam idolorum fano loci praefecti, Rabbulae, tunc adhuc ethnici, incurrit iram, quem post plures conatus futiles demum ad Christi fidem pertraxit. Rabbula episcopo Edessae facto Alexander in eremum secessit et ad ripam Euphratis monasterium condidit, ubi ad viginti fere annorum spatium monachos quadringentos collegit, quos, pro ut viri erant diversarum nationum, in octo choros dividens sine cura ac sollicitudine vivere et diu noctuque Deo psallere docebat. Singularia sunt imprimis verba, quibus Auctor praecepta et regulas ab Alexandro monachis datas narrat : triennio in ieiunio et oratione continua expleto visione Christi dignatur, dein iuxta horas diei viginti quatuor ordines psallentium constituit, qui Deum die ac nocte laudarent; demum electis septuaginta discipulis Evangelium gentibus praedicaturus, *Trophimo* monasterio a se condito praefecto, Euphratem traiecit et in confiniis ditionis Romanae Persidi adiacentibus praedicare coepit. Per triennium in deserto versatus inimicitias incolarum saepe expertus est, quippe qui ob multitudinem discipulorum Sancti se ad paupertatem redactum iri censerent. Peragratis vastis Mesopotamiae tractibus per Palmyram Antiochiam petiit, ubi Theodotus episcopus calumniis Sancto illatis circumventus eum plagis affici et e civitate pelli iussit. Sanctus nihilominus ad thermas prope urbem sitas ob vetustatem collabentes sedem fixit et hymnodiam instituit. Mox a Malcho quodam diacono accusatus, quod olim contra Porphyrium episcopum seditionem movisset, *Duce* (scilicet Duce Orientis) contra Alexandrum concitato ex urbe eiectus et Chalcidem relegatus est. Exilio ad filios spirituales visitandos utitur et interdicto spreto Antiochiam redit; observatus autem a satellitibus mutat habitum et mendici specie assumpta urbem clam relinquit et monasterium quoddam, cui nomen Crithenion, petit, quod a quodam discipulo suo conditum resciens assumptis inde viginti quatuor monachis Constantinopolim secedit, ubi obtenta S. Menae ecclesia socios in sex choros dividit et perpetuam psalmodiam introducit, modo mirabili a Deo una cum sociis sustentatus. Haud tamen diu in regia civitate vitam tranquillam agere poterat; nam haereseos accusatus et iniuste condemnatus flagellatur, fratribus autem undique ad eum confluentibus perpetuam tandem hymnodiam resuscitat et demum multis exantlatis laboribus in loco quodam Bithyniae, Gnomon dicto, obit. Cf. Zöckler, *Askese und Mönchtum,* Frankfurt a. Main, 1897, p. 265.

Chronologica *Vitae* data falsa plerumque sunt. Rabbulam annis 30 Edessae praefuisse dicit, cum tamen *Chronico Edesseno* teste a. 412 electus a. 435 vitam finierit (Assemani, *Bibl. Or*. I, 197). Alias assertiones Vitae falsas et suspiciosas iam Tillemont traduxit. Biographus Rabbulae nexum Rabbulae cum Alexandro ignorat et ipsam eius conversionem longe aliter refert. Nihilominus nefas est totam *Vitam* fabulosam declarare. *Vitae* auctor novit Rabbulam, antequam Christianus factus esset, publicis honoribus ornatum, uxorem et proles habuisse (cf. *S. Ephraemi Syri, Rabulae, Balaei aliorumque opera selecta,*

synodi Nicaenae II invenitur. Sententiae synodicae executio duobus imprimis episcopis a Synodo commissa est : Valeriano et Amphilochio. De persona Amphilochii nullum subest dubium; eius, tamquam episcopi Sidetani et acerrimi Messalianorum persecutoris, meminit etiam Cyrillus Alexandrinus, qui missa ad eum epistola prudentem et mitem cum eis agendi rationem commendavit, ad stupiditatem sectariorum provocans, quippe qui argutias dogmaticas non capiant (n. VII). Eiusdem mentio fit in epistola synodica Sisinnii et Theodoti, quae Photio teste [1] a synodo Constantinopolitana a. 428 contra Messalianos coacta ad Amphilochium et Berinianum missa est. Cum porro epistola synodica imprimis ad episcopos Pamphyliae spectet, in quorum dioecesibus ea secta quam maximos fecit progressus, Amphilochium vero Sidetanum fuisse episcopum constet, hinc Le Quien haud immerito Berinianum a Photio laudatum cum Valeriano, metropolita Iconii aequiparavit [2].

7. Epistolam Cyrilli in causa Messalianorum ad Amphilochium Sidetanum episcopum missam iam commemoravimus (n. VII). Ex ea liquet circa tempora synodus Ephesinae sectam Messalianorum Aegyptum quoque infecisse. Quod mirum non est; monachi enim Syriae coenobitas Aegypti iam inde a medio saec. IV saepissime visitarunt et cum eis nexum iugem habebant. Idem testatur narratio in *Vitis Patrum* de abbate *Lucio* servata (n. XI) qui Euchitas ad resipiscentiam perducere tentaverit [3].

8. Mentionem faciunt Messalianorum etiam Acta Synodus Šahapivanensis in Armenia anno 447 habitae, ubi poenae severissimae in sectarios latae sunt (v. n. VIII). E poenis atrocissimis in eos decretis concludendum est sectam late in ea regione propagatam esse eiusque asseclas viros famae pessimae fuisse, nam in lingua armena adiectivum *mzlne* (unde derivatur nomen sectae

ed. Overbeck, Oxonii, 1865, p. 161_{1-6}, 166_{23-25}). Theodotus, qui Sanctum persecutus est, episcopus est Antiochiae, dummodo supponas Alexandrum non annos viginti, sed per tempus brevius in deserto habitasse, uti iam Tillemont suspicatus est (*o. c.* p. 494).

Utut res circa Alexandrum se habeat, sententia Tillemont, qui hunc Alexandrum cum laudato a Nilo assecla Messalianorum unum eundemque fuisse hominem contendebat, fundamento haud caret. Anno 428, eodem fere tempore, quo Alexander Constantinopoli morabatur, praeside Sisinnio recenter electo habita est synodus, in qua Photio teste (n. XXI, 4) Messaliani damnati sunt. Epistola quoque Nili eodem fere tempore exarata est, quo fama novae haereseos usque in Aegyptum pertigit. Vitae quoque agendae ratio, quam *Vita* teste Sanctus observaverit, placitis L[1] G. simillima est. Alexander quidem placita Messalianorum antinomistica professus non videtur; regulae nihilominus monasticae Acoimetarum ab ipso statutae eundem falsi nominis mysticismum sapiunt, quem et L. G. et doctrina Messalianorum spirant.

[1] *Bibl., Codex* LII; v. n. xxi, 4. — [2] *Oriens Christianus,* Parisiis, 1740, t. I, col. 1070 B.
[3] Cf. Tillemont, *o. c.* t. XII, p. 370.

mzlneuthium = ܡܙܠܢܘܬܐ) vera significatione amissa « sordidum » seu « squalidum » significat [1].

9. Propria experientia Messalianos nosse videtur etiam SEVERUS, Monophysitarum patriarcha Antiochenus, uti eius epistola circa a. 513-518 ad Entrechium [2] vel, ut alii volunt, ad Antarchium [3] Anazarbae episcopum data ostendit (n. XIII). Ansam epistolae mittendae dederunt presbyteri quidam dioeceseos Flaviadensis, qui ordinarium suum, Procopium, coram Severo criminum diversorum insimularunt : quod occasione ordinationum munuscula acciperet et in missae sacrificio mentionem faceret Lampetii, qui infirmitatem contraxisset haereseos Adelphii et ideo Comanae in Armenia damnatus esset. Synodi Comanensis indirecte meminit Photius, quando narrat Alypium Caesareae metropolitam Hormizdam, Comanae episcopum, delegasse, ut crimina a Gerontio, Glitide monachorum hegumeno, Lampetio obiecta inquireret [4]. Severus pariter Entrechium delegat, ut una cum Theodosio, presbytero Antiocheno res a Procopio contra ius et fas gestas investiget et iudicium de ipso canonicum ferat; simul meminit synodi cuiusdam episcoporum Cappadociae, praeside Soterico habitae, quae ante annos paucos Lampetium denuo damnasse videtur; nam Sotericus coaevus fere erat Severi; a Macedonio, patriarcha Constantinopolitano ordinatus, anno 512 aderat synodo Sidonensi, ubi Severus patriarcha electus est; rogante Hormizda, Romano Pontifice a Iustiniano anno 520 depositus tamen, adhuc anno 536 archiepiscopus erat et qua talis Stephanum diaconum Constantinopolim misit ad synodum Menna praeside habitam; vix ergo multos abhinc annos ante a. 512 episcopi munere fungi coeperat [5]. Messalianorum mentio fit in duabus adhuc aliis Severi epistolis; in iis autem nil notatu dignum occurrit [6]. — Photius refert Severum adhuc presbyterum *Testamentum* Lampetii refutasse [7], quod et Zacharias Scholasticus narrat in *Vita Severi* a Francisco Nau translata [8]. Alius epistolae Severi, ad Solonem episcopum contra Euchitas datae, fragmenta edidit Wolf [9], qui etiam fragmentum operis Severi iam laudati : κατὰ τῆς διαθήκης Λαμπετίου συντάγματος publici iuris fecit, ubi oratio vocalis tamquam utilis commendatur, quippe quae daemonem propellat [10].

[1] Karapet-Ter-Mkrttschian, *Die Paulikianer*, p. 42. Cf. *supra* p. 28.

[2] Brooks, *The Sixth Book of the Select Letters of Severus Patriarch of Antioch*, London, 1902, v. I, p. 39 sqq.; v. II, 59 sqq.

[3] Assemani, *Bibl. Or.* in praefatione voluminis II, s. v. *Anazarba;* Le Quien, *Or. Christ.* II, col. 887.

[4] *Bibl., Codex* LII (n. XXI, 5_2).

[5] Le Quien, *o. c.* I, col. 377 sq. — [6] Brooks, *o. c.* I, 322, 326; II, 287, 291.

[7] *Bibl., Codex* LII (n. XXI, 5_6). — [8] *Opuscules Maronites,* Paris, 1899, p. 83. Cf. *Patr. Or.* II, 106.

[9] *Anecdota Graeca,* Hamburgi, 1733, vol. III, p. 171. In ea epistola miracula ad initium fidei necessaria fuisse dicuntur. — [10] *Ibidem,* III, p. 182.

10. Severus crimina nefanda obiectat Messalianis eos libidinis, hypocriseos, immo atheismi insimulans, quem celaturi omnes quidem haereses simulatim anathematizent, solum Adelphium silentio honorantes. Ut ut accusationes Severi graves sint, confirmantur verbis S. MAXIMI, qui in *Scholiis* ad cap. VI operis Pseudodionysiani *De ecclesiastica hierarchia* (v. n. XV) narrat Messalianos peracto in exercitationibus severis triennio, quasi iam indefectibilitatem consecuti sint, sub praetextu ἀπαθείας libidini, adulteriis omnibusque flagitiis deditos esse et speciem phreneticorum prae se ferre.

II

AUCTORES NOTITIAS MEDIATAS DE MESSALIANIS REFERENTES.

11. Theodoretus Cyrensis. — 12. Philoxenus Mabugensis. — 13. Timotheus Constantinopolitanus. — 14. Ioannes Damascenus. — 15. Euthymius Zigabenus. — 16. Theodorus bar Choni. — 17. Photius. — 18. Agapius Michaelis Magni et Gregorii Barhebraei fons.

Modo de altera classe auctorum, qui mediatas duntaxat notitias ex antiquioribus scriptis haustas circa Messalianos memoriae tradiderunt, agendum erit et eruenda sunt opera, unde notitiae istae manarint.

Ante omnia scriptores enumeramus, quorum opera ad rem nostram pertinent :

11. THEODORETUS CYRENSIS in *Historia Ecclesiastica,* IV, 10 (v. n. IX) et *Haereticarum fabularum compendio,* IV, 11 (v. n. X). Notulae breves de Messalianis reperiuntur in *Epitome divinorum decretorum*, cap. XVIII, ubi ad falsam Messalianorum de baptismo doctrinam alludit, et in *Vita abbatis Marciani,* cap. III. Historiae Religiosae, quem acerrimum Messalianorum adversarium fuisse commemorat [1].

12. PHILOXENUS episcopus Mabugensis fuse de Messalianis disserit in *Epistola ad Patricium,* monachum Edessenum data, cuius partem ad Messalianos spectantem syriace prima vice Patriarcha Raḥmani publici iuris fecit (v. n. XII). Graeca Epistolae translatio iam dudum a cardinale Maio edita est [2] sub nomine Isaaci Ninivitae πρὸς τὸν ὅσιον πατέρα ἡμῶν Συμεῶνα τὸν ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει. Persona Simeonis a translatore conficta est, uti iam pridem demonstravit J. B. Chabot [3], qui et rationem fictionis recte statuit dicens : *Cum enim Philoxenus monophysita pari odio Nestorianis et orthodoxis erat, qui graece hanc epistolam vertit, cum nolebat proponere suis odiosi viri sermonem, mutavit titulum, ut opus imponeret Ninivitae, cuius scripta favorem monachorum*

[1] Ed. Schulze, III, 1146.

[2] *Nova Patrum Bibliotheca,* t. VIII, parte III, p. 156.

[3] *De S. Isaaci Ninivitae vita, scriptis et doctrina*, Lovanii, 1892, p. 14 sq.

semper obtinuerunt. Axiopistiam Epistolae, ob falsas de auctoris aetate suppositiones Jacobi[1] et Karapet-Ter-Mkrttschian[2] immerito in dubium vocarunt.

Quae Philoxenus de rebus ab Adelphio gestis refert, singularia quidem sunt, attamen etiam apud Theodorum bar Choni[3] recurrunt, qui filum narrationis Philoxeni quidem presse sequitur[4], nihilominus nonnulla ab ipso independenter ita refert[5], ut eius relatio ex Epistola Philoxeni simpliciter derivari nequeat, sed potius alii documento in acceptis referenda sit, quo ambo viri diversa ratione usi videntur. Quodnam autem documentum hoc fuerit, exinde coniici potest, quod Theodori narratio de *doctrina* Messalianorum cum relatione Theodoreti Cyrensis maxima ex parte mirum in modum quidem convenit[6], attamen quaedam addit[7], quae apud Theodoretum non leguntur. Proinde fons communis Philoxeni et Theodori is est, quem etiam Theodoretus expilavit. Hunc autem Theodoretus ipse prodit dicens : « Amphilochium in Synodo Sidetana accuratissime confodisse Messalianos insertis eorum verbis Actis a se compositis, quae dogmatis differentiam aperte declarent[8] ». Omnes tres proinde laudatae de Messalianis relationes ultimatim ad Acta Sidetana referri posse videntur; Philoxenus vero Theodorusque probabiliter syriaca eorum translatione sunt usi.

Hic noto monachum Asuna, cuius res gestas phrenesi proximas exitumque tragicomicum Philoxenus narrat, in *Vita S. Ephraemi* inter discipulos Sancti recenseri, qui « doctrinae » scribendae operam dederint[9].

13. Saeculo VI exeunte vel VII ineunte Timotheus Constantinopolitanus in opere haeresiologico *de iis, qui ad Ecclesiam accedunt,* doctrinam Messalianorum in capita XIX digestam proposuit (v. n. XIV). Eius relatio hinc inde tantam similitudinem prae se fert cum pluribus Theodoreti locis[10], ut

[1] *Zeitschrift f. Kirchengeschichte,* t. IX, p. 510 sqq. — [2] *Die Paulikianer,* p. 45 sq.

[3] V. n. xix.

[4] Huc spectat historia Sancti a daemone tentati eiusque responsa (xii, 8 = xix, 12-15).

[5] Nomina asseclarum a Theodoro relata (xix, 2) apud Philoxenum desunt (cf. locos similes apud Theodoretum ix, 6; x, 23) deest etiam expositio nominis ܡܨܠܝ̈ܢܐ (xix, 7 sqq.). Philoxenus Adelphium *discipulum* dicit Iuliani Sabae (xii, 1) Theodorus *aemulum* (xix, 3). Theodorus placita Messalianorum de Satana in homine habitante deque sacramentorum inefficacia breviter commemorat (xix, 16-18), Philoxenus hac de re nihil refert.

[6] Huc pertinent loci de sectae asseclis (xix, 2; cf. Theodoreti narrationem ix, 6; x, 23) et de eorum doctrina (xix, 16-18; cf. similia Theodoreti verba ix, 16 sq.).

[7] Cf. ea, quae de *complemento* ܫܘܡܠܝܐ habet xix, 17.

[8] *Haer. Fab.* IV, 11 (v. n. x, 25). Cf. Theodoret, *Kirchengeschichte* hsg. v. Parmentier, Leipzig, 1911, p. cxv.

[9] *S. Ephraemi Hymni et Sermones,* ed. Lamy, t. II, col. 35/6; *Acta Martyrum et Sanctorum*, ed. Bedjan, t. III, p. 638. In Actis a Mubarak Romae editis de Asuna tacetur.

[10] Cf. locos de inutilitate baptismi (*H. E.* IV, 10 [n. ix, 16] *H. F. C.* IV, 11 [n. x, 2, 5] et Timothei cap. 2), de daemone in homine inde ab eius nativitate habitante (Theodoretus *H. E.* [n. ix, 17] *H. F. C.* [n. x, 4] et Timothei cap. 1), de necessitate orationis (Theodo-

iam Salmon merito suspicatus sit ambas relationes e fonte communi manasse, qui, sicut iam supra exposuimus, cum Actis Sidetanis idem videtur. Quod etiam stilus lapidaris Capitum Timothei supponendum esse commendat.

14. Medio saeculo VIII de Messalianis fusius egit JOANNES DAMASCENUS in *Compendio de Haeresibus* § 80 (V. n. XVI — XVII). Eius relatio tribus constat partibus : α) primo duodeviginti capita proponuntur *impii dogmatis Messalianorum ex eorum libro collecta,* β) dein narratio de rebus sectariorum gestis et de aliis quibusdam sententiis, γ) demum sequitur *pars Historiae Ecclesiasticae* Theodoreti ad Messalianos pertinens; de qua iam superius egimus.

Quod ad capita duodeviginti attinet, duo ex iis de verbo ad verbum apud Timotheum quoque prius laudatum inveniuntur[1], quaedam aliis verbis dicta a Timotheo repetunt[2], quaedam vero nova prorsus referunt[3]. Idem dici potest de altera narrationis Ioannis Damesceni parte, in qua praeter sententias cum Timotheo de verbo ad verbum conformes[4] novae pariter reperiuntur[5], quas apud auctores antiquiores frustra quaeres.

Non obstantibus partibus utrique auctori communibus, vix puto Joannem Damascenum capita Timothei nota habuisse. Erat enim, uti totum opus eius haeresiologicum ostendit, excerptor. Si proinde librum Timothei praesto habuisset, materiam ab illo bene dispositam novam in formam haud redegisset, nec aliqua maximi momenti capita, uti sunt errores Messalianorum circa Trinitatem[6] et corpus Salvatoris humanum[7], simpliciter omisisset. Ad necessitudinem mutuam utriusque documenti illustrandam addimus elenchum capitum :

Timotheus.	J. Damascenus.
1. Inde a nativitate cuique homini adhaeret daemon eumque ad actus absurdos impellit.	1. Satanas cum homine habitat. 2. Satanas et daemones mentem hominis possident et cum eius natura coniuncti sunt.

retus *H. E.* [n. IX, 17] *H. F. C.* [n. X, 3] et Timothei cap. 3), de apparente « perfectis » SS. Trinitate (Theodoretus *H. E.* [n. IX, 20] *H. F. C.* [n. X, 9] et Timothei cap. 5), de rebus futuris « perfectis » notis (Theodoretus *H. E.* [n. IX, 19] *H. F. C.* [n. X, 8] et Timothei cap. 10) de daemone sputo fugando (Theodoretus *H. F. C.* [n. X, 6] et Timothei cap. 3), de inutilitate ieiunii (Theodoretus *H. E.* [n. IX, 18] et Timothei cap. 9).

[1] Timothei cap. 4 = J. Damasceni *Comp. de Haer.* 80, cap. 8; Timothei cap. 7 = J. Damasc. *l. c.* cap. 16.

[2] Timothei cap. 1 cf. J. Damasc. *l. c.* capp. 1-2; Timothei cap. 2 cf. J. Damasc. *l. c.* cap. 4. — [3] J. Damasc. *l. c.* capp. 11, 13.

[4] Timothei cap. 15 = J. Damasc. *l. c.* n. XVII, 2; Timothei cap. 3 cf. J. Damasc. *l. c.* [n. XVII, 6].

[5] J. Damasc. *l. c.* [n. XVII, 11-19]; huc pertinent ea imprimis, quae de dignitate sacerdotali a Messalianis captata narrat. — [6] Timothei cap. 6. — [7] Timothei cap. 8.

	3. Satanas et Spiritus S. in homine cohabitant.
2. S. Baptisma daemones eiicere ex homine non potest.	4. Neque baptisma, neque S. mysteria perficiunt hominem, sed sola oratio sedula.
3. Sola oratio fervens eiicit daemonem in suo exitu ad instar serpentis vel fumi apparentem,	5. Homines post baptisma in massa peccati manent. 6. Homo fidelis per baptisma non accipit incorruptibilem vestem, sed per orationem.
dein apparet sensibiliter Spiritus S.	7. Etiam imperturbabilitas est accipienda atque participatio Sp. S. cum omni sensu ac certitudine (cf. cap. 17).
4. Imperturbabilitate accepta homo ita sentit copulam a sponso caelesti secum habitam, sicut sentit mulier in viri concubitu.	8. Anima ita debet sentire copulam sponsi caelestis, sicut sentiat mulier in concubitu viri.
5. S. Trinitas oculis perfectorum carnalibus visibilis est.	9. Spirituales vident peccatum et gratiam foris intusque.
	10. Est revelatio, quae fit in sensu ac persona divina, tamquam doctrina. 11. Ignis δημιουργός est. 12. Anima Christum non habens sedes est Adversarii. 13. Mala natura constant. 14. Ante prevaricationem Adam cum Eva ἀπαθῶς concubuit.
6. Tres hypostases S. Trinitatis in unam resolvuntur et in quodlibet mutantur, ut commisceantur animabus dignis.	
7. Semen et verbum inciderunt in Mariam et corpus Dñi plenum fuit daemonibus. 8. Corpus Dñi aliquando in spiritum, aliquando in corpus mutatum est; erat enim incircumscriptum ad instar naturae divinae [1].	15. Semen et verbum inciderunt in Mariam.

Ex hoc elencho liquet materiam passim diversam analogo prorsus ordine in utroque documento proponi : primo doctrina sectae exhibetur de inhabitante in homine daemone, de inefficacia baptismi ad daemonem expellendum deque orationis hunc in finem necessitate, dein doctrinae cum fundamentalibus sectae placitis remotius cohaerentes, postea conclusiones practicae e doctrina sectae theoretica manantes, demum sectarii inhumanitatis, acediae hypocriseosque accusantur. Quodsi imprimis octo priora capita J. Damasceni examines, statim videbis ea argumento spectato primis quatuor Timothei

[1] Quoad cap. 15 Timothei cf. J. Damasc. *l. c.* (n. xvii, 2-3); cap. 16 Timothei cf. J. Damasc. *l. c.* (n. xvii, 9 sq.); cap. 19 Timothei cf. J. Damasc. *l. c.* (n. xvii, 18 sq.).

capitibus perfecte respondere, tantum J. Damascenus rem fusius proponit. Certum igitur est ambo documenta e fonte communi manasse, uti iam partes identicae suadent; aeque autem certum est fontem J. Damasceni plus continuisse, quam capita Timothei. Stilus lapidaris capitum suadet ea e quodam instrumento synodico provenire. Aetas synodi ex illis J. Damasceni verbis coniici potest, quibus aliquos sectae asseclas episcopis circumventis ordinatos esse dicit[1]. Verba probabiliter ad Lampetium spectant, quem primum ex Messalianis ab Alypio ordinatum esse Photius tradit[2]. Igitur J. Damascenus capita sua ex Actis cuiusdam Synodi hausisse videtur, quae saec. V exeunte, vel VI ineunte contra Lampetium eiusque asseclas coacta est.

Instrumentum synodicum a nobis suppositum, perinde ac Timotheus, Acta Sidetana diverso tamen modo expilasse videntur. Capita nimirum Timothei cum narratione Theodoreti Cyrensis de doctrina Messalianorum notabiliter conveniunt. At Theodoretus ipse prodit, uti supra monuimus, se Actis Sidetanis esse usum. Fons igitur communis documentorum horum Acta sunt Sidetana diversimodi a singulis auctoribus excerpta. Hac stante suppositione facillime explicatur, cur documenta nobis praeiacentia in aliis conveniant, in aliis vero sui iuris esse videantur.

15. E capitibus Timothei et Damasceni Euthymius Zigabenus Titulo XXVI *Panopliae Dogmaticae* novum opus conflavit, in quo doctrinam Messalianorum e libro sectae haustam propositurum se promittit. His verbis prodit non se librum, quem dicit, excerpsisse, sed Joannem Damascenum allegare, qui capita sua ex libro haereticorum nactum se testatur. Zigabeni opus nihil pro nostra re novi continet; omnia eius « capita », ad locos iam notos Theodoreti, Timothei Joannisque Damasceni referri possunt[3].

Aliud Euthymii opus, cui inscribitur : *Confutatio et eversio impiae et multiplicis Messalianorum sectae*[4], silentio praetereundum esse putamus; placita enim Bogumilorum proponit, quae ad rem nostrorum non pertinent. Hoc opus est, quod Salmon aliam recensionem Capitum Joannis Damasceni existimavit *Actis eruditorum* a. 1696 p. 299 deceptus, ubi codex aliquis Lipsiensis et Baroccianus n. 185 Bibliothecae Bodleyanae, describitur, ita tamen, ut ex ipsa descriptione manifestum sit de altero hoc Zigabeni opere agi.

[1] V. n. xvii, 14.

[2] *Bibl., Cod.* LII (n. xxi, 5). Alypius c. a. 458 archiepiscopus erat Caesareae in Cappadocia. V. Le Quien, *Oriens Christianus,* I, col. 376 D.

[3] Excerptoriae artis Zigabeni illustrandae causa huncce addimus elenchum : Z. 2-3 = Tim. 5; Z. 4 = Tim. 7, Dam. 15; Z. 5 = Theodoretus, *Haer. Fab. Comp.* n. x, 2; Z. 6 = Theodoretus, *Hist. Eccl.* n. ix, 16 sqq.; Z. 7-8 = Dam. 3; Z. 9 = Dam. 13; Z. 10 = Tim. 4, Dam. 8; Z. 11 = Tim. 11; Z. 12 = Dam. 7, 17; Z. 13 = Dam. 16; Z. 14 = Dam. n. xvii, 14 sq.; Z. 15 = Tim. 13; Z. 16 = Tim. 15; Z. 17 = Dam. n. xvii, 11, 18; Z. 19 = Dam. xvii, 18. — [4] Migne, *P. G.* CXXXI, coll. 39-48.

16. Saeculo VIII de Messalianis et Lampetianis sat fuse disseruit etiam THEODORUS BAR CHONI Kaškarensis[1] in Libro Scholiorum XI, ubi inter alias haereses hasce duas quoque describit (v. n. XIX et XX). Quae in specie de Messalianis tradit, primo quidem obtutu ex operibus Theodoreti, Philoxeni, Timothei atque Joannis Damasceni expilata videntur, attamen accuratior locorum analysis ostendit Theodorum non fuisse merum compilatorem, nam in rebus Messalianorum narrandis, etiamsi sententias virorum laudatorum repetere videatur, sui tamen iuris est et etiam nova quaedam refert, quae alibi non leguntur.

a) Theodoreto in acceptis referenda videntur nomina haeresiarcharum[2], expositio alterius sectae cognominis : ܡܬܛܢܢܐ i. e. ἐνθουσιασταί[3], demum exordium loci, ubi sententia sectariorum proponitur de daemone in homine habitante, qui sola oratione sedula expelli possit[4]; adverte tamen Theodorum relicto mox narrationis Theodoreti filo sui iuris fieri.

b) Ex Epistola Philoxeni ad Patricium Edessenum fluxisse videntur, quae de Adelphio[5] et dein de monachis illis narrat, qui apparentem sibi daemonem redarguerint[6]. At simul nota narrationis discrepantias : Philoxenus Adelphium Iuliani Sabae ad Sinai montem Aegyptumque visitandum proficiscentis comitem dicit, Theodorus aemulum; Philoxenus lapsum Adelphii sermonibus S. Antonii mysticis ab Adelphio false intellectis tribuit, Theodorus influxui Satanae; Philoxenus cum quadam compassione de asseclis Adelphii loquitur, Theodorus sectarios sacrificulis Ba'al aequiparat eorumque ruinam casui Iudae Iscariotis assimilat.

[1] De aetate et persona viri huius perpauca nota sunt. Certum tantum est eum ante a. 792 vixisse, teste rubrica in fine libri IX Scholiorum ab ipso compositorum stante, quae aliqua libri exempla eo anno absoluta esse affirmat. (V. Addaï Scher, *Étude supplémentaire sur les écrivains syriens orientaux,* in *Revue de l'Orient chrétien,* IIe série, t. II [1906], p. 26). Martinus Lewin in dissertatione sua Heidelbergensi, cui inscribitur : *Die Scholien des Theodor bar Koni,* Berlin, 1905, p. XXVI, eum auctorem saec. VI exeunte vel VII ineunte floruisse censet, cui assentitur etiam Addaï Scher, in *monito* editioni textus syriaci Scholiorum praemisso (Lipsiae, 1910).

Praeeunte Sachau, M. Lewin verum Auctoris nomen ܒܪ ܟܘܢܝ (Saturninus) fuisse suspicatur assentiente ei Nestle (*Theol. Literaturzeitung,* 1909, col. 534 seqq et *Orientalistische Literaturzeitung,* 1911, col. 26 sq.). At certum est ܟܘܢܝ in Catalogo auctorum metrico 'Abdîšô' Sobensis duabus tantum syllabis constare. (Cf. Assemani, *Bibl. Or.* III, 198).

[2] Theodorus *o. c.* (n. XIX, 2) = Theodoretus, *H. F. C.* IV, 11 (n. X, 23).

[3] Theodorus *o. c.* (n. XIX, 8) = Theodoretus, *H. E.* IV, 10 (n. IX, 3).

[4] Theodorus *o. c.* (n. XIX, 17) = Theodoretus, *H. F. C.* IV, 11 (n. X, 4 sq.).

[5] Theodorus *o. c.* (n. XIX, 3) = Philoxenus, *Ep. ad Pater* (n. XII, 1).

[6] Theodorus *o. c.* (n. XIX, 12 sqq.) = Philoxenus *o. c.* (n. XII, 7 sq.).

c) Quae de manuum labore a Messalianis spreto refert, etiam apud Timotheum simili modo narrata reperies[1],

d) quod vero de inefficacia baptismi et mysteriorum Dñi a sectariis asserta tradit, in eodem contextu Ioannes Damascenus notavit[2]. Quodsi perpendas Theodorum b. Choni probabiliter J. Damasceno antiquiorem esse et, etiamsi eius coaevus fuisset, eum, utpote Nestorianum, vix scriptis Melchitae usum esse, si porro rationem habeas multiplicium parallelismorum, quae inter opera laudata intercedunt, vix reiicies hypothesim, quam proposuimus : omnes has circa placita Messalianorum relationes e fonte quidem unico, ex Actis nimirum Sidetanis, sed probabiliter saepius redacto et aucto, manasse.

De Lampetianis, sicut iam dictum est, Theodorus seorsum sermonem instituit (v. n. XX). Lampetio quidem eiusque asseclis impudentiam vesaniae proximam tribuit, at eius verba Severus et Photius quoque confirmant: igitur vix asseri potest Theodorum stolidam Lampetii lasciviam exaggerasse.

17. Notitias historicas de Messalianis et has summi valoris etiam Photio debemus (v. n. XXI), qui adhuc integram collectionem decretorum synodalium contra Messalianos latorum praesto habuerat. Eorum argumentum Codice LII celeberrimae Bibliothecae exhibet. Hac de re v. inferius dicenda.

18. Ex auctoribus Syris posterioribus notitias pretiosissimas tradunt de Messalianis Michael Magnus, Iacobitarum patriarcha (v. n. XXII) et Gregorius Barhebraeus maphrianus (nn. XXIV-XXVI). Michaelis Magni testimonium ideo imprimis notabile est, quia teste Barhebraeo Messalianos volumine prolixiore refutandos suscepit (v. n. XXV); supponendum igitur est Michaelem historiae sectae accuratius indagandae operam dedisse et documenta forte hodie deperdita de primordiis eiusdem praesto habuisse. Michael Magnus id differt a suis praedecessoribus[3] Messalianos impugnantibus, quod eorum originem non ab Adelphio, sed ab Eusebio quodam Edesseno derivat (v. n. XXII), cuius discipulos Sabam, Dadoem, Adelphium, Hermam Simeonemque dicit, eodem prorsus ordine, quo a Theodoro bar Choni recensentur. Refert eos etiam Euchitas (ܐܘܟܝܛܐ) et Enthusiastas (ܩܢܛܐ) appellari, quippe qui, « somnia, daemonum operationes revelationem Spiritus habeant ». Idem fere narrat etiam Gregorius Barhebraeus in parte haeresiologica operis adhuc inediti, cui inscribitur : *Candelabrum Sanctorum*[4], *Haeresi* XVI, ubi fundatorem sectae pariter Eusebiam dicit Edessenum, eius vero discipulos « senes quosdam, qui somnia et

[1] Theodorus *o. c.* (n. xix, 10) cf. Timothei cap. 14 et 16.
[2] Theodorus *o. c.* (n. xix, 18) cf. I. Damasceni cap. 4, Timothei cap. 2 et 12.
[3] Agapio excepto, *Patr. Or.*, VII, 585.
[4] Eius analysin v. apud Assemani, *Bibl. Or.* II, pp. 284-297.

operationes daemonum revelationes spiritus appellaverint dicentes accedentes ad se charisma spirituale accipere, ita ut si cum mulieribus dormituri essent, non sentirent »; addit etiam ad mentem haereticorum s. Communionem nihil sumentibus prodesse. Cum haec Barhebraei verba in *Chronico* Michaelis desint, certum est ea aliunde manasse; quae vero ambo viri de Eusebio, sectae fundatore referunt, indicat fontem relationis communem; nam Eusebii mentio apud alios auctores non invenitur; hinc concludo Barhebraeum opere Michaelis contra Messalianos exarato esse usum.

Barhebraeus etiam in Historia Dynastiarum meminit Messalianorum : (n. XXVI.) Quae illic narrantur, singularia prorsus sunt nec eorum origo definiri potest.

III

Res Messalianorum apud Nestorianos gestae.

19. Synodus Mâr Acacii a. 486 habita. — 20. Testimonium Mᵉšîḥa Zᵉkā ecclesiae Adiabenes historiographi. — 21. Synodus Mâr Ezechielis a. 576. — 22. Synodus Mâr Išoᶜjaʰb catholici a. 585. — 23. Chronicon Nestorianum a Guidi editum de Messalianis Singarensibus. — 24. Mar Babaeus monasteriorum Messalianismo infectorum purgator. — 25. Ioseph, cognomine videns.

Adhuc breviter res Messalianorum gestas in Mesopotamia occidentali, inter Syros Nestorianos brevissime delineabimus.

19. Prima, adhuc subobscura vestigia Sectae in *decretis synodi* Mar Acacio catholico praeside anno 486 Seleuciae habitae deprehenduntur. Canone videlicet primo (n. XXVII), agitur de hominibus quibusdam mente perversis in provincia Bêt-Armayê habitantibus, qui schemate monachatus induti per diversa loca circumvagentur et mentes simplicium pervertant et confessionem orthodoxam fidei constuprent. Canone secundo (n. XXVIII) huiusmodi falsi nominis monachis civitates adire interdicitur concessa eis duntaxat habitatione in locis incultis, a consuetudine hominum remotis.

Non est dubium, quin his verbis Messaliani describantur, uti optime perspexit Braun[1]; etenim iisdem fere verbis utitur synodus Nestorianorum anno 576 habita expressam sectariorum mentionem faciens et res ab eis gestas damnans.

20. Saeculo VI ineunte haeresis Messalianorum in provincia Adiabenes imprimis longe lateque diffusa videtur. Huius rei testis est Mᵉšiḥa-Zᵉka, qui medio saeculo VI, circa annum Dñi 560 historiam ecclesiae metropolitanae Adiabenes conscripsit et in eius fragmentis a Mingana editis[2] Messalianorum mentionem fecit.

[1] *Das Buch der Synhodos,* Stuttgart und Wien, 1900, p. 62.

[2] *Sources syriaques,* Môṣul, 1907 (opus Lipsiae in aedibus O. Harrassowitz venale).

Iuxta verba M^e^šîḥâ-Z^e^kâ, ecclesiae Adiabenes metropolita annis 499-511 Iosephus erat, qui sedente Šîlâ catholico (505-523) monachus fieri et archiepiscopatui renunciare volebat. His auditis catholicus ad Iosephum epistolam dedit ei persuasurus, ut consilio mutato in munere episcopali perseveraret. Solet enim, inquit, diabolus quandoque homines sanctos de via perfectionis deturbare, cogitationibus quidem sanis, at perfectioni oppositis. « *Nonne videmus quotidie ad populum Messalianorum maledictorum innumerabilem virorum Dei multitudinem transire eosque vagando in errorem inducere*[1] *?* »

Refert porro M^e^šîḥa-Z^e^kā successorem Iosephi, Mâr Ḥ^e^nana, Abrahamum, « interpretem » scholae Nisibenae rogasse, ut sibi aliquem praeceptorem mitteret, qui in regione Adiabenes scholam pro infantibus erigeret *ad sanam fidem mentibus eorum imprimendam et contra impetus haereticorum et Messalianorum defendendam.* Mar Abraham interpres doctorem quemdam Paulum ad Ḥ^e^nana episcopum misit, qui plus quam triginta annos in regione Adiabenes pueris docendis operam dabat[2].

21. Nova mentio Messalianorum fit anno 579 in Actis Synodi praeside Ezechiele catholico habitae (n. XXIX). Caput primum instrumenti synodici acerrime in Messalianos invehitur, quippe qui spreto cultu divino poenas a peccatoribus luendas in dubium vocent et mulieres iuveniles ad libidinem lasciviamque suam satiandam circumducant.

22. Easdem fere accusationes repetit canon VIII *Synodus* Nestorianorum anno 585, praeside mâr Iešu'-ja^h^b catholico habitae, ubi tacito sectariorum vero nomine agitur de hominibus fraudulentis, qui habitu venerabili monachorum abutentes per vicos et urbes vitam vagam vivant, mulieres sanctimonalium habitu indutas secum circumducant scandaloque immenso fidelibus sint (n. XXX). Canone IX eiusdem synodi (n. XXXI) manifestum est agi de Messalianis, quorum asseclae monachi potissimum erant sectae Jacobitarum addicti in regione Assyriae, id est, in vicinitate monasterii Mâr Mattay degentes, unde profecti placitis antinomisticis moniales plerumque infecisse videntur[3]. Synodus etenim mavult nullos monialium conventus dari, vel si iam sint, ne pauciores quam quattuor vel quinque sanctimoniales vitam communem agant.

23. Ad finem vergente saeculo VI Messalianorum secta inter Nestorianos

[1] A. Mingana, *Sources syriaques.* Vol. I. Lipsiae (s. a. 1908), p. 72. : ܠܐ ܗܐ ܚܙܝܢܢ ܕܡܟܕܪܢ
ܟܠ ܝܘܡ ܠܥܡܐ ܕܡܨܠܝ̈ܢܐ ܠܝ̈ܛܐ ܣܓܝܐܐ ܕܠܐ ܡܬܡܢܝܢܘܬܐ ܡܢ ܐ̱ܢܫ̈ܐ ܕܐܠܗܐ ܥܒܪܝܢ ܘܡܛܥܝܢ ܐܢܘܢ ܒܦܘܚܪܐ܀

[2] *Ib.* p. 75 : ܘܒܥܐ ܡܢܗ ܡܢ ܐܒܪܗܡ ܡܦܫܩܢܐ ܠܡܠܦܢܐ܆ ܚܢܢܐ ܦܘܠܘܣ ܡܬܩܪܐ ܐܝܟܢܐ ܕܢܪܕܐ ܒܐܬܪܐ ܕܚܕܝܐܒ ܐܣܟܘܠܐ
ܠܛܠܝ̈ܐ ܘܢܛܒܥ ܒܪ̈ܥܝܢܝܗܘܢ ܠܗܝܡܢܘܬܐ ܚܠܝܡܬܐ ܠܘܩܒܠ ܣܘܪ̈ܚܢܐ ܕܗܪ̈ܛܝܩܐ ܘܕܡܨܠܝ̈ܢܐ܀

[3] Braun, *o. c.*, p. 279 sq.

magis adhuc percrebuisse videtur. Sectariorum sedes praecipua erat tunc temporis regio montana circa Šingar civitatem sita; teste nimirum CHRONICO anonymi auctoris a GUIDI edito Gregorius Kaškarensis, metropolita Nisibenus *quosdam monachos, qui turpia facinora patrantes circa montem Šîgâr commorabantur et Messaliani erant, dedecoravit et in omnia loca eiecit.*

24. Cum regnante Chosroë II (590-628) Šîrîn regina et Gabriel Šingarensis, archiater aulicus, regis animum Monophysitarum causae conciliassent, cum factione Iacobitarum etiam Messaliani in dies crescere coeperunt. Šabrišô' eiusque successor, Gregorius (606-609) sectae reprimendae absque successu operam dabant. Mortuo Gregorio usque ad obitum Chosrois regis (609-628) Nestoriani capite, catholico, carebant rege catholici novi electionem prohibente. Ea tempestate Ionadab Adiabenus, Cyriacus Nisibenus, Gabriel Karkensis, metropolitae Mesopotamiae septentrionalis, BABAY, cognomine « magnum », monachum Izalensem visitandis monasteriis praefecerunt, qui munere sibi commisso religiosissime functus monachos doctrinis Messalianorum infectos e conventibus Nestorianorum eiecit[2], ita ut iure meritoque Thomas Margensis scripsisse potuerit, *impuram Messalianorum sectam, quae ab eremitis orta sit, ab eremita debuisse dedecorari*[3].

Babaeus etiam opera diversa polemica contra haereticos composuisse a Thoma Margensi dicitur[4]. De Messalianis quidem, ut sciam, ex professo non scripsit, saepius tamen eorum meminisse videtur. Sic v. g. in « *Expositione Centuriarum* » Evagrii, ubi ad caput 85 « *Centuriarum* » haecce notavit[5] :

[1] *Chronica minora* ed. Guidi, Parisiis 1893 [*Corpus Scriptorum Christianorum orientalium,* Series III. Tomus IV], p. 18 : ܘܐܦ ܐܢܫܐ ܕܝܪ̈ܝܐ ܕܣܥܪܝܢ ܛܢܦܘܬܐ ܚܕܪ ܛܘܪܐ ܕܫܝܓܪ ܡܥܡܪܝܢ ܗܘܘ ܘܐܬܡܣܠܝܢ ܗܘܘ ܡܨܥܪܢܐ : ܦܪܣܡ ܘܛܪܕ ܐܢܘܢ ܠܟܠ ܐܬܪ܀

[2] Thomas Margensis, *Liber Superiorum* I, 27 ed. Bedjan, Parisiis, 1901, p. 42 : ܕܪ̈ܚܡܐ ܗܘܐ ܡܫܠܛܢܐ ܗܘܐ ܒܡܠܟܘܬܐ ܘܒܦܠܛܪܝܢ ܕܡܫܡܫܢܘܬܐ ܒܫܝܪܝܢ ܕܚܣܝ̈ܢܝܐ ܠܡܕܢܚܐ ܡܢ ܫܢܬ ܫܬܝܢ ܘܬܪܬܝܢ. ܘܟܕ ܗܘܐ ܡܠܟܐ ܡܫܠܛܢܘܬܐ ܗܘܝܢ ܕܦܪ̈ܨܘܦܐ ܠܒܪܢܫܐ : ܡܢ ܡܦܩܢܘܬܐ ܕܐܪܥܐ : ܘܡܢ ܡܦܩܢܘܬܐ ܕܟܢܫܬܐ ܕܒܢܝ̈ ܕܬܪܝܢ ܐܢܫܝ̈ܢ ܡܥܡܪܐ ܕܕܝܪ̈ܝܐ ܗܘܐ ܡܢܗܘܢ ܗܘܘ ܡܢ ܡܫܪܝܢ ܗܘܐ ܒܡܕܢܚܐ ܩܪ̈ܝܬܐ ܘܡܠܟܢܝ ܗܘܘ ܡܢ ܡܕܝܢ̈ܬܐ ܐܡܘ̈ܪܐ ܕܡܫܪ̈ܝܢܐ ... ܘܗܘܢ ܠܐ ܫܡܥܘ ܠܗܘܢ ܡܢ ܩܠܝܠ ܕܡܕܒܪܐ ܘܕܝܪܝܐ ... ܥܠ ܗܢܐ ܥܒܝܕܐ ܕܟܪ̈ܣܛܝܢܐ Cf. Assemani *Bibl. Or.* III, 91. Labourt, *Le Christianisme dans l'empire Perse,* p. 230.

[3] *O. c.* I, 28, ed. Bedjan, p. 43 : ܘܠܐ ܕܐܦ ܗܪܣܝܣ ܕܛܢܦܐ ܕܡܨܠܝ̈ܢܐ ܡܢ ܝܚܝܕ̈ܝܐ ܩܡܬ : ܘܒܝܕ ܝܚܝܕܝܐ ܐܬܚܝܒܬ ܕܬܬܦܪܣܡ܀

[4] *O. c.* I, 28, ed. Bedjan, p. 43.

[5] Cl. Prof. O. Braun in literis d. d. 2 Novembris anni 1908 ad me datis portionem textus huius operis ad Messalianos spectantem eamque e Codice Vaticano Syro n. 178. fol. 123[b] descriptum communicare dignatus est : ܐܝܟ ܕܐܡܪܝܢ ܡܨܠܝ̈ܢܐ... ܟܕ ܗܘܘ ܐܠܝܢ ܕܡܨ̈ܠܝܢܐ ܠܡܨܥܐ ܒܝܫܐ ܕܗܢܐ ܟܠ ܥܡܠܐ ܡܢ ܗܕܐ ܕܠܗ ܡܫܝܚܐ ܡܥܡܕܢܐ ܫܠܝܚܐ ܡܢ ܟܬܒܐ ܡܥܡܕܢܐ ܘܥܡܕܐ ܚܕܐ ܗܘ : ܕܡܥܡܕ ܗܘ ܕܐܝܬ ܠܗ ܡܫܚܐ ܕܚܝ̈ܐ ܘܡܫܪܝܢ ܒܗ ܠܡܥܡܕܘܬܐ ܩܕܝܫܬܐ. ܘܐܝܟ ܕܡܣܒܪܝܢ ܐܢܘܢ ܗܘܘ ܠܫܘܠܛܢܐ ܕܡܫܝ̈ܚܐ ܥܠ ܡܥܡܕܘܬܐ ܩܕܝܫܬܐ. ܘܒܝܕ ܗܕܐ ܐܝܟ ܩܠܝܠ ܠܘܢ ܐܝܟ ܕܡܫܚܐ ܕܝܠܗ ܡܥܡܕܢܘܬܐ ܘܡܫܝܚ ܡܢ ܒܢܝ ܥܕܬܐ ܒܝܕ ܗܢܐ ܠܐ ܡܫܝܚ ܡܬܦܪܫ ܠܗ. ܦܪܣܘܗܝ ܓܠܝܐ ܠܗܘܢ ܡܫܝܚܐ ܡܢ ܪܘܚܐ ܗܘ ܡܫܚܐ ܕܚܝ̈ܐ ܠܡܥܡܕܢܘܬܐ ܗܘܐ ܕܝܠܗ ܗܘ ܕܒܠܗ ܡܥܡܕܢܘܬܐ ܘܡܫܝܚܐ ܐܦ ܠܡܫܝܚܐ ܐܟܪܙܢܘܗܝ ܐܡܪ : Der nun, der tauft ist es, welcher das beseligende öl hat ܕܡܫܝܚ ܡܥܡܕܘܬܗ ܒܡܫܚܐ : ܘܐܝܠܝܢ ܕܡܥܡܕܝܢ ܗܘܝܘ ܕܐܝܬ ܠܗ ܡܫܚܐ : ܕܗܘܝܘ ܕܐܡܪ [ܐܡܪ]

(Evagrius :) « *Omnes, qui aqua baptisantur, odori Spiritus Sancti associantur; is vero, qui baptisat, oleum suave habet.* »

(Babaeus :) *Hic carpit et traducit mendacis nominis impiam Messalianorum sectam, qui abnegant et respuunt sanctum baptisma et orationem, aiunt, spiritualem conferre nobis gratiam Spiritus Sancti et nos perfectos fieri hoc in saeculo. Et baptisma, asserunt, nil quidquam prodesse nobis. Quam haeresim impiam beatus Marcus dedecori exposuit in illo sermone de baptismate; hic beatus Evagrius quoque dicit : 'qui vero baptizat, is est, qui oleum beans habet',* [quasi] : *is, qui baptizat, is est, qui habet gratiam Spiritus Sancti vi sacerdotii sui administrans aquam et oleum et invocans nomen Trinitatis Sanctae super baptisandum et recipientem primitias Spiritus Sancti. Proinde absque baptismo et sacerdotio non recipitur gratia Spiritus Sancti, excepto forsitan martyrii tempore.*

25. Vigilantia Babaei non obstante error Messalianorum inter Nestorianos recruduisse videtur. Causa huius rei in schola celeberrima Nisibena quaerenda est, cuius antistes doctissimus, Ḥᵉnânâ Adiabenus saeculo VI ad finem vergente a theologia orthodoxa Nestorianorum, ab Aristotelismo scholae Antiochenae ad Origenismum platonizantem defecit et placitis heterodoxis magnas inter Nestorianos lites excitavit.

Babaeus supra laudatus in *Vita Mâr Giwargîs* martyris, qui machinante Gabriele Šingarensi a Persis crucis supplicio affectus est, Ḥᵉnana Adiabenum doctrinam origenianam ἀποκαταστάσεως tradidisse fert eumque propterea conviciis dirissimis vituperat[1]. Quae, ut ut exaggeratae sint, decretis quoque synodalibus a. 605 praeside Gregorio catholico latis confirmantur, in quibus auctoritas Theodori Mopsuesteni contra novatores inculcatur ac defenditur[2].

Ḥᵉnânâ praeter doctrinas Origenianas etiam de unione Christi hypostatica doctrinas Nestorianis absonas et definitionibus Chalcedonensibus affines propugnabat. Hinc evenit, ut eius asseclae propter opiniones suas ab antistitibus propriis vexati rem communem cum monachis Iacobitis fecissent et doctrinas Origenianas magistri cum placitis antinomisticis virorum istorum errore Messalianismi infectorum confudissent.

Išô'dᵉnaḥ, *Libri Castitatis* auctor, narrat[3] Iosephum, alio nomine 'Abdišô', cognomine ܚܙܝܐ *videntem,* praepositum conventus Rabbân Boḥtišô' in confiniis vici Zînay siti, ob scripta heterodoxa infestatum, sub nomine fratris sui 'Abdišô' opera a se composita edidisse. Quam autem ob causam Iosephus

ܡܩܒܠܢܐ ܘܡܫܡܫܢܐ: ܘܡܛܠ ܗܢܐ ܕܠܐ ܡܥܡܘܕܝܬܐ ܘܟܗܢܘܬܐ ܠܐ ...
ܡܬܩܒܠܐ ܛܝܒܘܬܐ ܕܪܘܚܐ ܩܘܕܫܐ : ܐܠܐ ܐܢ ܒܙܒܢܐ ܕܣܗܕܘܬܐ܀

Cf. Braun, *o. c.*, p. 172, ubi pars huius textus germanice translata legi potest.

[1] *Histoire de Mar-Jabalaha, de trois patriarches, d'un prêtre et de deux laïques,* ed. P. Bedjan, Paris, 1895, p. 476 sqq.

[2] *Synodicon orientale,* ed. Chabot, pp. 210-475.

[3] N. 126, ed. Bedjan, p. 509.

a praesulibus Nestorianis vexatus fuerit, anonymus canonista, auctor collectionis canonum in synodis Nestorianorum statutorum lingua arabica editae prodit referens Timotheum catholicum occasione consecrationis Mâr Nestorii Nuhadrensis episcopi a. 790 synodum habuisse, in qua Iosephus una cum Ioanne Daliathensi et Ioanne Apamiensi ob doctrinas heterodoxas damnatus fuerit[1].

Verba laudati operis ab Assemani recitata haecce sunt :

Timotheus Catholicus Ioannem cognomento Daliathensem[2] *et Ioannem Apamensem atque Iosephum in Synodo condemnavit, in qua Patribus de illorum temporum statu, deque errorum, quibus involvebantur tenebris disseruit, quodque nisi Dei misericordia intercessisset ea mortales calamitas obruisset, quae tempore diluvii eosdem oppressit. Deinde subdidit Monachos quosdam personam Angelorum induere et hominibus illudere et mirum in modum illis errores varios propinare ex quibus esse Ioannem Daliathensem... Alium praeterea ex eodem grege Iosephum dictum inter caetera dixisse : si donum Spiritus accipere cupitis, nolite ad orationem et ministerium vos convertere, sed hominum congressum fugite atque tenebricosa loca petite, ubi ne aviculae quidem vox audiatur; nec illum animadvertere, Spiritum Sanctum in Apostolos descendisse sub specie ignis et adulto iam die. Alicubi etiam ab eodem Iosepho haec praeterea iactari : Quum quispiam ad perfectionem pervenerit, illum oratione minime indigere, neque Psalmis, neque lectione, neque labore manuum, quia iam perfectus est. Compertum autem esse Domini Corpus et Sanguinem, Spiritus opera per continuam orationem consecrari. Illum quoque affirmare animam una cum corpore nequaquam creatam fuisse, sed eandem cum Deo praeexstitisse; eundem insuper adversus divinitatem blasphemasse, quum affirmaret eam esse visibilem... Praedicti itaque Patres cum Timotheo congregati anathemati subiecerunt asserentem ab humanitate Domini divinitatem ipsius videri*[3] *aut ab alia quaecunque creatura decreveruntque animas post separationem omni sensu carere donec ad sua corpora regrediantur neque ullam praeter Christi humanitatem perfectionem attigisse in hoc saeculo; eos praeterea condemnarunt, qui Iosephi praedicti et Ioannis Daliathensis et Ioannis Apamensis libros legerent, aut in Bibliotheca monasterii seu in cella sua haberent praeceperuntque ut canonicae preces Oratione Dominica inchoarentur et terminarentur.*

Habes hic sententias Messalianas placitis Origenis admixtas, quae originem suam certissime celeberrimo magistro scholae Nisibenae, Ḥ^{e}nânâ

[1] Assemani, *Bibl. Or.* III, 91 sq. Labourt, *De Timotheo I Nestorianorum patriarcha*, Parisiis, 1904, p. 20 seq.

[2] Quandoque etiam Ioannes Saba dictus. Eius opera exstant in codicibus Musei Britannici Add. 14728 (Wright *CBM*, p. 581) et 14729 (Wright *ib.* pp. 584 et 860). Canonista ab Assemani allegatus eum Sabellianismi accusat. Eius mentionem facit Išô'd^{e}naḥ in *Libro Castitatis*, n. 127, ed. Bedjan, p. 512. De eo v. Assemani, *Bibl. Or.* I, 433; III, 103. Rubens Duval, *Lit. Syr.* ^{2}, p. 237.

[3] Verba ad Ioannem Daliâthensem pertinent.

debent. Saltem in antiquioribus documentis ad hanc sectam spectantibus doctrinae de animarum praeexistentia nulla vestigia reperiuntur.

De posterioribus sectae inter Nestorianos fatis nihil compertum habeo. Res litteraria Nestorianorum inde a saeculo IX ceterum tam parum explorata est, ut hodie saltem indagatio eiusmodi scientifica fere impossibilis sit.

IV

Opera deperdita ad Messalianos spectantia.

26. Absolutis scriptis, quibus notitias supra propositas circa Messalianos debemus, addimus elenchum operum deperditorum ad res gestas sectae spectantium, praenotantes maximam horum operum partem e Bibliotheca Photii esse notam, qui adhuc plura in nostro elencho recensenda praesto habuit eorumque argumentum excerpsit. Quae sunt :

a) *Acta Synodus Sidensis* praeside Amphilochio Iconii episcopo praesentibus 25 episcopis habitae (nn. X, 25; XIV, init.; XXI, 1). Photio teste ea synodus prima Messalianos damnavit. De anno, quo habita sit, nil certi constat. Olim Baronius ratione habita legum, quas Theodosius Magnus imperator circa annos 381-383 contra Encratitas, Apotactitas, Hydroparastatas vel Saccophoros tulit[1] atque falsae innixus suppositioni nomen Saccophororum nil nisi Messalianorum esse cognomen, quippe qui « saccum » portaverint et propterea « saccophori » cognominati sint, synodum Sidetanam anno 383 habitam fuisse contendebat[2], assentiente Mansi[3], contradicente vero ei postea Tillemontio[4], qui reiecta Messalianorum cum Saccophoris aequiparatione eam synodum demum anno 390 habitam esse voluit. Sententiam Tillemontii sequitur etiam Gerardus Rauschen, qui partem annalium Baronii annos 378-395 complectentem germanice edidit ibique synodum Sidetanam anno 390 habitam fuisse argumentis et Tillemontii et novis quibusdam convictus statuit[5].

Inde a Tillemontio hac de re multum disputabatur. Salmon et Bonwetsch pro sententia Tillemontii suffragia dedere. Hefele[6], cui etiam Braun assen-

[1] *Codex Theodosii* XVI, 5. 7. 9. 10. 11. Cf. Holl, Amphilochius von Ikonium, p. 36.

[2] *Annales Ecclesiastici*, t. IV. Coloniae, 1624, col. 523.

[3] *S. Conciliorum Collectio amplissima,* t. III, col. 651.

[4] *Mémoires,* VIII, p. 533 sq., p. 798.

[5] *Iahrbücher der christlichen Kirche unter dem Kaiser Theodosius dem Grossen. Versuch einer Erneuerung der Annales Ecclesiastici des Baronius für die Iahre 378-395*. Freiburg im Breisgau, 1897, p. 339.

[6] *Conciliengeschichte*[2] II, p. 48.

titur[1], ipsam synodi existentiam in dubium vocavit, pariter absque ullo fundamento. Recentissime Holl ad antiquam Baronii sententiam rediens Synodum Sidetanam circa annum 383 habitam fuisse declaravit putans reapse nexum aliquem intercedere debere inter legislationem civilem haereticos ferientem et activitatem Amphilochii audaciam Messalianorum reprimentem. Monet praeterea synodum Sidetanam omnium maximam fuisse ex eis, quae postea contra Messalianos habitae sunt; quo ostendatur prima sententia peremptoria in eos solemniter lata reliquas synodos nil nisi iam priori decreto assensum praebuisse et propterea minore cum frequentia celebratas esse[2]. Acta synodica Photio praesto erant, unde liquet synodi existentiam a Hefele falso in dubium esse vocatam. Praeterea Theodoretus Cyrensis testimonium Photii indirecte confirmat dicens[3] : *Amphilochium... accuratissime haeresim confodisse et ipsa eorum verba Actis a se confectis inseruisse;* ὑπομνήματα, ad quae alludit, certe nil aliud sunt, nisi Acta Sidetana; verba vero haereticorum Actis inserta veri simillime sunt sententiae Messalianorum haereticae, quas inde Theodoretus excerpsit. Cum porro aliqua Timothei capita cum verbis Theodoreti mirum in modum conveniant, probabile est priorem capita sua pariter ex iisdem Actis Sidetanis hausisse, uti iam superius monuimus.

b) *Epistola synodica* episcoporum Side congregatorum *ad Flavianum* episcopum Antiochiae missa rerum ibi gestarum rationem reddens. Eam legit Photius (n. XXI, 1).

c) *Acta synodi Antiochenae* Flaviano praeside habitae comparentibus tribus episcopis : Bizo Seleuciae, Marutha Supharenorum[4] et Samo (?) quodam, cuius sedes apud Photium non legitur, atque presbyteris et diaconis fere triginta. Sic Photius (n. XXI, 1_1).

Hac in synodo sectae auctores — Adelphius, Sabae ambo, Hermas, Symeones — prima vice nominatim damnati sunt. Sententia excommunicationis ante omnia Adelphium feriit, qui Edessā Antiochiam ductus et a Flaviano circumventus placita sua haeretica effutivit, dein vero poenitentiam simulabat, clam tamen cum asseclis suis Edessenis scripto communicasse inventus est. Ita Photius, cuius verba produnt non omnes haereticos a Flaviano in ius vocatos esse, sed tantum Adelphium, qui inter sectae asseclas principatum tenuisse videtur. Item Photius expresse dicit actionem Flaviani nil nisi continuationem fuisse synodus Sidetanae, eiusque decreta Antiochiae executioni mandata esse. Tillemont nihilominus et temporibus recentioribus Salmon et Bonwetsch Synodum Antiochenam ante Sidetanam habitam fuisse contendebant. Dicunt enim Theodoretum in *Comp. Haer. Fab.* Synodi a Flaviano habitae primo loco

[1] *De Sancta Nicaena Synodo,* p. 4.
[2] *O. c.*, p. 38 sqq.
[3] *Haer. Fab.* IV, 11, cf. N. X, 25.
[4] Erat episcopus Maiphercatensis.

mentionem fecisse. Urgent praetera rationes internas : Messalianos iam eo tempore, quo Epiphanius *Panarion* absolvit (circa a. 376) Antiochiae comparuisse eosque in Pamphyliam vix directe, sed via Antiochiae pervenisse. Quae argumenta Holl refutaturus hasce rationes opposuit : Theodoretum in narratione sua non sequi ordinem historicum, sed realem; in *Historia Ecclesiastica* enim primo loco Letoii meminisse, in altero vero opere, postquam de perfidia et tergivertatione sectariorium sermonem fecisset, narrationem suam iis illustrare, quae sub Flaviano Antiochiae evenissent. Monet praeterea numerum episcoporum Sidae congregatorum longe maiorem fuisse, quam eorum, qui Flaviano praeside Adelphium condamnassent, et inde concludit synodum Antiochenam tantum decreta Sidetana rata habuisse, non de novo rem inquisivisse. Nec obstare Epiphanii narrationem, quo teste iam Meletii tempore Messaliani Antiochiae sedem fixerint, quasi iam propterea supponendum sit synodum Sidetanam demum post sententiam Antiochiae latam coactam esse; si enim Messaliani iam circa a. 375 Antiochiam irrepsissent, etiam altera hypothesi admissa tempus habuisse eos sufficiens ad invadendam Pamphyliam aliasque provincias finitimas. — Quibus argumentis convicti nos quoque assentimur.

d) *Epistola Flaviani ad Osroënses,* qua damnationem Adelphii sociorumque eius episcopis eiusdem provinciae notificavit (Photius, n. XXI, 3).

e) *Responsum Osroënsium ad Flavianum,* quo sententiam ab ipso in sectarios latam ratam habere se declararunt eique propterea gratias egerunt (Photius, n. XXI, 3).

f) *Epistola Letoii* episcopi Melitensis *ad Flavianum* de Messalianis sciscitabundi (Photius, n. XXI, 3_3).

g) *Responsum Flaviani ad Letoium,* sententiam synodicam in eos latam notificantis (Photius, *ibidem*).

Etiam Theodoretus meminit scripti cuiusdam Letoii adversus Messalianos exarati (*Haer. Fab.* n. X, 2_4) Timotheus vero eum inter auctores recenset, qui Messalianorum haeresim scriptotenus impugnaverint (n. XIV, init.). Si Photio fides habenda sit, qui de unica epistola Letoii loquitur nec aliam novit, Theodoretus et Timotheus probabiliter non propria lectione, sed e vago quodam rumore rescierunt dari aliquam Letoii epistolam in causa Messalianorum editam eiusque verum argumentum ignorantes eam reliquis scriptis adversus Messalianos compositis absque haesitatione annumerarunt.

h) Aliae *epistolae Flaviani ad episcopum aliquem Armenum;* Photius de duabus epistolis in causa Messalianorum ad eum episcopum missis loquitur (n. XXI, 3_4); refert quoque Flavianum in secunda epistola conquestum esse, quod laudatus episcopus Messalianis aliquem favorem praestiterit.

i) *Epistola Attici episcopi Constantinopolitani ad episcopos Pamphyliae* eos monens, ut Messalianos, tamquam malefactores, undique exturbent (Photius, n. XXI, 3_5).

k) *Eiusdem* litterae *ad Amphilochium Sidetanum* missae, priori epistolae similes (Photius, n. XXI, 3_6).

l) *Epistola Sisinnii Constantinopolitani et Theodoti Antiocheni ad Berinianum et Amphilochium* et reliquos Pamphyliae episcopos. Initium epistolae Photius excerpsit (n. XXI, 4_2). E verbis apud Photium servatis liquet occasione electionis Sisinnii anno 426 iussu Theodosii II synodum fuisse Constantinopoli habitam, in qua Messaliani iterum damnati sunt[1].

m) Timotheus mentionem facit scripti cuiusdam *Cyrilli* Alexandrini *contra Messalianos* compositi (n. XIV, init.). Forte de illa agitur epistola, quam Cyrillus ad Amphilochium Sidetanum misit; saltem de ullo alio scripto Cyrilli in hac causa edito aliunde non constat.

n) *Epistola Ioannis Antiocheni ad Nestorium* (Photius, n. XXI, 4_5); de cuius argumento nihil constat.

o) *Anathematismi XXIV ab Archelao* Caesareae in Cappadocia episcopo adversus sententias Messalianorum *compositi* (Photius, n. XXI, 4_7).

p) *Epistolae duae Heraclidae episcopi Nysseni adversus Messalianos* (Photius, n. XXI, 4_8).

q) *Epistola Gerontii presbyterii,* monachorum in Glitide hegumeni *ad Alypium* Caesareae in Cappadocia episcopum in causa Lampetii, qui ab Alypio furtim ordinatus Ierosolymis stupri cum quadam diaconissa commissi accusatus est et eos, qui horas canonicas observassent, deridebat (Photius, n. XXI, 5_{1-4}).

r) *Epistola Alypii ad Hormizdam Comanes episcopum,* quem ad investiganda accusationum capita Lampetio illata delegavit (Photius, n. XXI, 5_2).

s) *Acta synodus Comanensis,* ad quae alludit Severus in epistola ad Entrechium Anazarbae episcopum (n. XIII, 6). Exinde patet Hormizdam Synodum Comanae congregasse et Lampetium ibi damnasse.

t) *Epistola Ptolomaei Rhinocorurorum episcopi ad Timotheum* Alexandrinum in causa Alphei Rhinocorurorum episcopi, qui edito in favorem Lampetii sermone depositus est (Photius, n. XXI, 5_8). Ptolomaeus successor videtur esse Alphei huius depositi. Ab hoc Alpheio Photius distinguit virum alium, ut videtur presbyterum, a Timotheo Alexandrino ordinatum, qui a successore Alphei, Ptolomaeo, degradatus et munere privatus est. Quisnam Timotheus fuerit, utrum Aelurus (457-460) an vero Salophaciolus (460-475) non constat[2].

u) Severus, patriarcha Antiochenus, in laudata ad Entrechium epistola mentionem facit *Actorum synodi* cuiusdam praeside *Soterico* in *Cappadocia* habitae, in qua Lampetius pariter damnatus sit. Ea synodus haud longe ante electum in patriarcham Severum (a. 512) habita fuisse videtur, uti supra monuimus.

[1] Cf. Hefele, *Conciliengeschichte* [2] II, p. 139 sq.

[2] Cf. Le Quien, *Oriens Christianus* II, col. 543 CD.

v) *Refutatio Testamenti Lampetii,* quam scripsit *Severus* adhuc presbyter (Photius, n. XXI, 5_7). Hac de re iam supra disseruimus[1].

Ad opera sive a Messalianis sive in eorum favorem composita et pariter deperdita pertinent :

α) *Asceticon,* cuius mentio fit in decreto concilii Ephesini (n. VI, 9).

β) *Testamentum* a Lampetio compositum (Photius, n. XXI, 5_6 et *Patr. Or.*, II, 106).

γ) *Apologia* ab Alpheio, Rhinocorurorum episcopo in favorem Lampetii edita (Photius, n. XXI, 5_7).

V

Necessitudo L^i G. ad doctrinam Messalianorum.

27. Conspectus doctrinae Messalianae oppositis ei L^i G. placitis. — 28. Expenditur similitudo et differentia utriusque. — 29. Ostenditur doctrinam L^i G. antiquiorem esse — 30. eiusque aetas accuratius eruitur.

27. Expositis documentis ad Messalianos spectantibus res maximi momenti nos manet, nimirum quaestio circa necessitudinem L^i G. ad Messalianorum sectam. Ea quaestio proxime circa doctrinam Messalianorum versatur, nihilominus cum ipsa sectae historia connexa est; nam posita aliqua similitudine inter doctrinam L^i G. Messalianorumque placita, nexus inter ambas theorias asceticas intercedens aut convergens aut divergens concipi potest. Aliis verbis duo sunt possibilia : aut L. G. opus est ab aliquo assecla Messalianorum sectae compositus, aut vero L. G. ipsa Messalianismi duntaxat principia ascetico-dogmatica continet, ex quibus via evolutionis cuiusdam adhuc explorandae periculosa illa doctrina paulatim orta est, quae circa a. 383 detecta diversas tempore subsequo vicissitudines subiit.

Praenotamus autem testem doctrinae Messalianorum fide dignissimum Theodoretum Cyrensem esse. Eius relatio de Messalianis e duobus fontibus manasse videtur : ex Actis Sidetanis et Antiochenis. Utrobique eorum placita auditis testibus fide dignis scripto mandata sunt. Amphilochius enim, Iconii metropolita, Theodoreto teste *verba haereticorum actis a se confectis accuratissime inseruit;* Flavianus vero ipso Adelphio, haereseos capite circumvento ex eius ipsius ore commenta sectae in lucem protraxit. Praeterea Timotheus Constantinopolitanus, Philoxenus Mabbugensis nec non Theodorus bar Chônî e fontibus antiquis eadem fere de Messalianis referunt, quae etiam Theodoretus memoriae tradidit. Axiopistiam igitur relationis Theodoreti nemo sane in dubium vocare potest; tute ergo ea uti possumus.

[1] In *Catena* a Cramer edita (Oxonii, 1840, vol. VIII, p. 98_{10-28}) legitur fragmentum κατὰ τῶν ἀνοσίων Λαμπετιανῶν ἤτοι Εὐχιτῶν ἢ Ὀφιανῶν κτλ. de verbis Ep. II Petri III, 1-4 agens. Eius originem ignoro.

Igitur primo Messalianorum doctrinam proponimus opposita ei παραλλήλως L[i] G. sententia.

Messaliani.	*Liber Graduum.*
1. Cuique homini, cum nascitur, mox adest *daemon* eumque ad actus absurdos incitat [1].	1. Cuique homini inde a nativitate adhaeret *concupiscentia* seu *peccatum,* quod est principium peccatorum in homine eumque a visione Dei beatifica excludit.
2. Omnes enim, qui eduntur in lucem, ex primo parente contrahunt quemadmodum naturam sic et daemonum servitutem [2].	2. Peccati radix inde ab Adam infixa est homini et haereditate quadam in omnes eius posteros transfunditur.
3. Quem *daemonem* nec baptisma, nec aliud quidquam expellit, nisi sola precum vis [3].	3. Baptisma et sacramenta alia tantum peccata remittunt; *concupiscentia* nequit e corde evelli nisi perfecta renunciatione.
4. Perpetua enim *oratio* et peccati radicem funditus evellit et malum daemonem, qui ab initio homini inditus est, ab anima expellit [4].	4. *Oratio* enim perpetua *atque abnegatio* radicem peccati in corde destruit hominemque ad imaginem Adae adhuc innocentis efformat.
5. Baptisma nil prodest suscipientibus; novaculae siquidem instar peccata praecedentia aufert, peccatorum autem radices exstirpare non potest [5].	5. Baptisma in tantum prodest suscipienti, quatenus homo christianus ab Ecclesia ad perfectionem educatur; perfectus autem non fit, nisi bonis suis renunciaverit factus imago primae Adae creaturae.
6. Daemon in homine habitans egreditur per mucum et sputi excrementa [6].	
7. Daemone per preces fugato mox advenit Spiritus Sanctus et praesentiam suam sensibiliter et visibiliter manifestat, tum corpus a motibus perturbationum liberando, tum animam ab inclinatione ad deteriora penitus avocando, ita ut iam nec ieiunio opus sit corpus coercente, nec doctrina rerenante et ad modum ordinemque instituente. Nec protervis solum motibus eximitur homo, qui Spiritum Sanctum adeptus est, sed etiam futura praevidet et divinam Trinitatem oculis corporeis contemplatur [7].	7. Peccato e corde evulso accipitur Spiritus Paraclitus et homo fit perfectus velut Adam et velut Apostoli die Pentecostes; Spiritus autem gratia non est perfectionis causa, sed effectus atque complementum, quo accepto homo perfectus Deum in corde suo velut in speculo conspicit et mysteria aliis occulta cognoscit. Accepto Paraclito perfectio amittitur, ubi quis ad usum rerum terrestrium redeat. Perfecti enim nequeunt ulli operi terreno operam dare, nam ipsis ad usum terrae descendentibus clauditur caelum, velut Adae, qui caelo relicto terram colere coepit.

[2] Nn. IX, 17; XIV, 1; XIII, 6.
[3] Nn. X, 5; XIV, 2; XIX, 17; XXIII, 6.
[4] Nn. X, 3; XIV, 3.
[5] Nn. X, 2; XIV, 2; XVI, 4. 6; XIX, 18.
[6] Nn. X, 6; XIV, 9; XVII, 6.
[6] Nn. X, 6; XIV, 9; XVII, 6.
[7] Nn. IX, 18; XII, 9; XIV, 3. 9; XVI, 9. 17; XIX, 9-10; XXIII, 6.

28. Primo obtutu perspicitur stringens similitudo inter doctrinam Messalianorum theoreticam et placita L[i] G. Utrobique omnium errorum radix est falsa notio peccati originalis. In L[o] G. nimirum peccatum originale cum concupiscentia aequiparatur, Messalianis vero daemon est homini inde ab eius nativitate substantialiter inhaerens[1]. Reliqui errores ex falsa

[1] Origo theologumeni huius valde obscura est. Iam antiqui Gnostici delirarunt de potu aliquo oblivionis, e semine malignitatis (σπέρμα τῆς κακίας) animabus ab Archontibus Fati propinato, qui eum habeat effectum, ut animae eum potum bibentes originis suae rerumque gestarum suarum oblitae cupiditatibus impleantur atque eo potu oblivionis penitus obvolvantur ita quidem, ut quodam corpore involutae non iam ens simplex sint, sed quoddam compositum, siquidem involucrum, quo sint opertae, simile sit animae et ideo ἀντίμιμον πνεῦμα appelletur sitque principium actionum malarum in homine. Cf. C. Schmidt, *Gnostische Schriften in Koptischer Sprache aus dem Codex Brucianus*. Leipzig, 1892, p. 405-410. Res fere eadem est, quam Basilides προσαρτήματα i. e. appendices appellavit (Cf. Clemens Alexandrinus, *Strom.*, II, 20, ed. Stählin, II, 174) et de qua Isidorus eiusdem filius disputavit in opere Περὶ προσφυοῦς ψυχῆς, ut idem Clemens Alex. testatur (*o. c. ibid.* cf. Hilgenfeld, *Ketzergeschichte,* p. 222-225). Sed forte melius est recurrere ad theologumenon Iudaeorum babyloniorum circa « instinctum malum » יֵצֶר הָרָע. Apud auctores biblicos יֵצֶר significat « figmentum » et in sensu tropico « cogitationem » i. e. figmentum mentis (Is. xxvi, 3. I Chron. xxviii, 9. Sir. xv, 14). Apud Syros ܝܨܪܐ sensum malum habet; in lexico Bar Bahlûl arabice explicatur phrasi الهوى الرّدّى *passio mala* (ed. R. Duval, col. 849). P. Cardahi in *Al-Lobāb* (Beryti, p. 538) idem vocabulum explicat verbis : هَوَى النفس والميل الى شيىء محمودًا كان او مذمومًا *passio animae ac inclinatio ad aliquid, sive laudabilis sit, sive vituperabilis.* Apud Iudaeos posteriores mala haec vocabuli significatio magis magisque evoluta est una cum idea in homine potentiam aliquam malignam, Deo inimicam, habitare, quam liber IV Ezdrae una cum Adam creatam esse dicit (III, 21; IV, 30; VII, 92), per quam magnitudo humani generis humiliata sit (*Apoc. Baruch,* LVI, 5). Apud Rabinos יצר הרע (breviter יצה״ר) significat : 1) stimulum vivendi et agendi potentiamque vegetativam moraliter indifferentem. Hoc in sensu dicit Samuel bar Naḥmani יצה״ר esse bonum iuxta Gen., i, 31, putat enim absque hoc stimulo neminem esse aedificaturum domum, neminem esse ducturum uxorem, cf. Pirqē Abôth, IV, 1. 2) concupiscentiam carnalem. *Sota* 8[a], ubi dicitur : אין יצר הרע שולט אלא במאי שעיניו רואות *Figmentum malum in id tantum dominatur, quod oculi eius conspiciunt.* Cf. adagium : « ignoti nulla cupido », quod ad idem fere redit. *Bâba b.* fol. 58[a] narratur R. Banajah ad sepulchrum Abrahae venisse et in ingressu antri Eliezerum Abrahae famulum invenisse, qui illum intrare iubet eoque sciscitante : quid faciat Abraham? respondet : In sinu Sarae quiescit; additque יצר הרע בהא עלמא ליכא *Figmentum malum in illo saeculum nullum est.* Hoc in sensu opponitur ei יצר הטוב i. e. figmentum bonum, nisus aliquis naturalis ad bonum; hoc autem theologumenon posterius est et via analogiae ortum. 3) יצה״ר significat praeterea daemonem in homine habitantem eumque ad peccata — imprimis carnis et apostasiae — pellicintem. Hoc in sensu dicit Simon ben Laḳîš *Bāba b.* fol. 16[a] de Satana qui Iob percussit : הוא שטן·הוא יצר הרע · הוא מלאך המות · *Ipse est Satanas, ipse figmentum malum, ipse est angelus mortis,* etc. Idem R. Laḳîš docet *Sota* fol. 3[a] אין אדם עובר עבירה אלא אם נכנסה בו רוח שטות *Nemo committit praevaricationem, nisi ingrediatur in eum spiritus insipientiae.* Rabbi Abîn vero *Sabbâth* fol. 105[b]·ait :

hac peccati originalis notione necessitate logica derivantur. Si enim cum L° G. supponas peccatum originale concupiscentiam esse : cum, experientia teste, concupiscentia etiam post baptismum in homine maneat, dicendum tibi erit eam concupiscentiam sacramentis non auferri a homine, sed cuiusque operatione viribusque propriis, nimirum ieiunio et abnegatione. Si pono peccatum ipsa hominis cuiusque operatione tollatur hacque ratione homo salutis perfectae particeps fiat : consequenter dicendum est, nec ulla satisfactione Christi vicaria opus esse, nec sacramentis; essentiam porro salutis in Christi doctrina, munus vero Ecclesiae in manuducendis ad perfectionem hominibus consistere. Iam proinde doctrina L[i] G. indifferentismum dogmaticum involvit, qui reapse haud raro aperte ad lucem prodit, sermone imprimi XXX, uti suo loco notavimus.

Messaliani peccatum originale, id est, principium malum homini inhaerens eumque ad male agendum impellens, mechanico quodam modo cum daemone aequipararunt. Ex hac doctrina fatua errores reliqui sectae sua sponte sequuntur. Daemon enim, tamquam ens spirituale, mediis materialibus vix eiici posse videbatur; non sacramentis, nam experientia docente homo post susceptum baptisma peccare haud desinit; non ieiunio, nam ieiunium tamquam medium mere negativum et materiale in ens pure spirituale agere haud posse censebatur. Reliquum igitur erat ad orationem recurrere, cuius efficientiam non solum Litterae sacrae commendabant, sed etiam theurgia babylonica, cuius sedes ipsa erat Mesopotamia, natalis Messalianorum locus. Constat autem incantationes iam in religione antiqua Babyloniorum populari praecipuum obtinuisse locum; si vero adhuc perpendas symptomata obsessionis possessionisque daemoniacae saeculo IV in toto

מאי קרא לא יהיה בך אל זר ולא תשתחוה לאל נכרי · אזהו אל | זר | שיש בגופו של אדם · אומר. זה יצר הרע. *Quis est citati sensus : Non sit in te deus alienus nec adorabis deum peregrinum* (Ps. LXXXI, 10)? *Quis est deus iste alienus in corpore hominis? Dicito : figmentum malum.* Huc spectant narrationes *Kid.* fol. 81[a] de R. Meïr et de R. Aḳiba relatae, quippe quibus Satanas in forma mulieris apparuerit simulque eos ad fornicationem pellicuerit. Demum *Iômâ* fol. 69[b] crasso quodam modo verba Zachariae v, 8 et Nehemiae IX, 4 de « figmento malo » exponuntur, exilii, idololatriae atque fornicationis causa. Cf. Weber, *Die Lehren des Talmuds,* Leipzig, 1880, p. 204. Lazarus, *Die Ethik des Iudenthums,* Frankfurt a. Main, 1898, p. 464. Taylor, *Sayings of the Iewish Fathers*[2], Cambridge, 1897, p. 37. 63. 70. 77. 82-98. 128-130. 140. 147-152. 186-192. Porter, *Historical and Critical Contributions to Biblical Science,* New-York and London, 1901. Bousset, *Die Religion des Iudenthums in neutestamentlichen Zeitalter,* Berlin, 1903, p. 384 sq. Tennant, *The Sources of the Doctrines of the Fall and Original Sin,* Cambridge, 1903, pp. 170-176. *The Iewish Encyclopedia,* XII, 601 sq. sub v. Yeṣer ha-Ra. — Hoc in sensu יצה"ר singularem aliquam similitudinem prae se fert cum doctrina Messalianorum. Utrobique daemon ipse in homine habitare eumque ad peccata diversa impellere docetur. Improbabile non est, Christianos Mesopotamiae inter Iudaeos degentes hanc doctrinam ab eis mutuasse eamque postea ulterius evolvisse.

Oriente communes fuisse, facile perspicies, qui fieri potuerit, ut inter homines incultos absurda orta sit opinio, quod omnia hominis peccata ad principium quoddam mere externum, mechanice in hominem agens referenda sint.

Porro falsa peccati originalis cum daemone aequiparatio mater erat duorum quoque errorum aliorum : scilicet assertae indefectibilitatis « perfectorum » et contemptus Ecclesiae, cuius criminis sectae socii constanter ab antiquis accusantur.

Nexus utriusque sententiae cum falsa illa peccati originalis notione hic est : Si causa peccati cuiusque daemon sit in homine residens : sublata causa cessat effectus. Aliis verbis : expulso daemone nemo amplius peccare potest, nec opera eius, qualiacunque videantur, sub notionem peccati cadere possunt. Aliter in L° G., ad cuius mentem perfectio et ipsa Paracliti gratia fructus sunt abnegationis continuae, cuius ope concupiscentia, ceu peccatum originale homini inde ab Adam insitum, retundi, immo et evelli potest. Cum autem ea perfectionis notio habitui cuidam acquisito aequivaleat, cessante causa eum habitum producente, cessat effectus; si quis proinde a proposito sectandae perfectionis resilierit et ad usum saeculi redierit, de caelo, de paradiso spirituali excidet et iterum terrenus fit, uti Auctor, Sermone XXI, 8, expressis verbis docet. Paracliti enim gratia hominem quidem sanctum reddit, visiones ei sublimes impertitur, naturam tamen humanam non ita immutat, quasi ea obtenta indefectibilitatem quis praetendere possit. Hac in re L. G. a Commentis antinomisticis Messalianorum laudabiliter differt. Sed et indifferentiam, qua Messaliani adversus Ecclesiam ferebantur, e falsa illa notione peccati originalis explicare facillimum est. Ad eorum enim mentem expulso daemone homo peccare cessat. Iam vero media salutis, quae in Ecclesia dispensantur, eo effectu magico carent (nam gratia, quam conferunt, hominis cooperationem supponit) et causam peccati non tollunt sed ad summum peccatorum remissionem efficiunt, radice peccati — daemone — in anima remanente. Hinc facile intelligitur aversio illa, qua sectarii Ecclesiam aspernabantur, quippe quae mediis ad daemonem expellendum efficacibus careat et reiectis eorum placitis homines a sectanda, quam dixerunt perfectione, retrahat. Sed eiusdem indifferentiae adversus Ecclesiam vestigia in L° G. quoque adsunt, ob alias, licet haud dissimiles rationes. Noster enim Ecclesiam « educatricem perfectorum » atque « matrem benedictam » magnis quidem encomiis celebrat, simul autem Ecclesiam terrestrem meram imaginem dicit « Ecclesiae cordis atque sublimitatis », cuius membra fiant perfecti, ubi cor mundaverint et sanctitatem maiorem ea, qua membra Ecclesiae communia gaudeant, adepti fuerint. Noster igitur impulsum ad perfectionem sectandam Ecclesiae quidem tribuit, simul vero docet munus paedagogi Ecclesiae concreditum cessare, ubi quis praecepta fidei transcendens in praeceptis magnis caritatis consistat et mundo relicto perfectionem sectari incipiat.

29. Ex dictis hucusque tuto asseri potest cum Messalianorum tum Li G. errores diversis quidem principiis inniti, fructus tamen eiusdem speculationis theologicae esse, ab eadem vi motrice interna productos. Hinc non est mirum in Lo G. quoque inveniri semina eiusdem doctrinae perversae ex qua antinomismus periculosus Messalianorum germinavit.

a) Ante omnia mente tenenda sunt ea, quae capite praecedente de notione peccati originalis ad mentem Li G. accepta diximus. Iam enim in Lo G. occurrunt phrases, quibus « peccatum » post lapsum in homine inhabitans Satanae aequiparatur. Sermone XXI, 1-2 arbor mala Satanas dicitur; Auctor auditores hortatur, ut a Satana vacui fiant, ceu, iuxta explicationem additam, ab omni re mala et a saeculo et sollicitudine eius. Praeterea Sermo III, 11, expressis asserit verbis homini aliquid ex Deo, aliquid e Satana inesse. Quae phrases quidem in Lo G. adhuc in sensu tropico accipiendae sunt, viam tamen monstrant, qua Messaliani ad aequiparandum peccatum originale cum Satana pervenerint.

Sed et alia probant indicia evolutionem erroris Messalianorum cum illa speculatione theologica intime connexam esse, quam et L. G. proponit.

b) Constat etenim Messalianos versus finem saeculi IV iam ad plenum perfectumque antinomismum devenisse. Adelphius et asseclae eius ad vitandam haereseos notam errorem suum abiurant, orthodoxiam simulant [1], sibique titulo perfectionis acquisitae omnia licita esse contendunt [2]. Certum autem est principia sectae antinomistica non esse primigenia, sed ex eadem mysticismi specie orta, quem et L. G. docet. Rem ita esse argumenta externa et interna suadent. Philoxenus enim et Theodorus bar Choni unanimiter tradunt Adelphium, sectae auctorem, olim ascesi severissimae vacasse, ut impassibilitatem consequi posset; a diabolo autem circumventum a primo fervore restitisse, quasi iam indefectibilis operibus pietatis amplius non indigeret. Veritatem narrationis huius Karapet-Ter-Mkrttschian in dubium quidem vocavit eam mythicam appellans, quippe cui subsit idea, quod falsa et nimia ascesis fons sit errorum gravium hallucinationumque periculosarum [3]. At vir dictus non genuinam Philoxeni epistolam, sed translationem eiusdem graecam Isaaco Ninivitae adscriptam praesto habuit, in qua sectae fundator Malpat dicitur, sane circumstantiae, quae circa axiopistiam Epistolae ad graves movendas suspiciones aptissimae erant. Ea dubia modo nullius sunt momenti. Si nempe relationes circa Messalianos antiquas aliquantulum inspiciamus, luculenta vestigia asceseos severae in historia sectae deprehendimus, quae ne antinomismus quidem postea superveniens obliterare potuit. Epiphanio enim teste sectarii renunciatiasse se bonis suis

[1] Nn. II, 3. 13; IX, 7; X, 11; XIV, 19.
[2] Nn. IX, 18; XII, 9; XIV, 9. 19; XV; XIX, 10.
[3] *O. c.*, p. 45 sq.

iactabant[1]; vita, quam agebant, certe misera erat, siquidem mendicasse dicantur[2]. Praeterea a manuum labore magna cum obstinacia abstinebant; iam vero haec acediae species, quae Messalianis constanter exprobratur, in placitis sectae antinomisticis fundata esse non poterat, saltem necessitate quadam logica exinde deduci nequit; contra in L° G. pars est integrans totius systematis ascetici ibidem propositi et intime cohaeret cum laudata ibi renunciationis specie, quae ipsum quoque honestum manuum laborem excludat. Ceterum ex idea asceseos huius falsae alii quoque auctores eandem sanctae acediae necessitatem deduxere, quorum opera secus orthodoxa censebantur[3]; et res est vere mira; quod monachi Aegypti similibus ideis dediti hunc errorem evitaverint[4].

c) Antinomismum Messalianorum e speculatione pseudomystica successive evolutam esse suadet etiam ἀπαθείας notio, quae in theologia ab eis conficta partes praecipuas agebat[5]. Ad eorum mentem eiecto daemone advenit Spiritus Sanctus, corpus ab affectuum motibus liberat, ita ut ubi quis impassibilitatem consecutus sit, amplius deficere nequeat[6]. Manifeste igitur ἀπάθειαν cum indefectibilitatis notione confundebant et demum post hanc idiosyncrasim ad antinomistica principia pervenerunt. Notissimum autem est finem principalem asceseos orientalis fuisse impassibilitatem; i. e. ut homo depositis affectibus corporis speciem aliquam vitae angelicae agere possit, uti non solum L. G. sed et monachi Aegypti unanimiter docebant[7]. Si proinde Philoxenus eam Messalianorum doctrinam e placitis Patrum Aegyptiorum derivat, etsi forte probari nequeat Adelphium Antonii magni discipulum fuisse, ut is refert[9], tamen mutuam idearum necessitudinem rite se perspectam habuisse prodit. Praeterea quidam ex Messalianis, quam dicebant impassibilitem, sincere anhelabant, nam aliqui uti Sabas, membra genitalia exciderint[10], sine dubio hunc in finem, ut a motibus carnalibus liberarentur.

d) Etiam vaga eorum vita, quam eis Epiphanius exprobrat[8], non in placitis antinomisticis, sed pariter in antiquiore traditione fundatur.

[1] N. II, 3, 10.

[2] Nn. XIV, 15; XVII, 2-3.

[3] Ita Macarius, *Hom*, VIII, 4; IX, 13 (Migne *P. G.*, XXXIV, col. 530 et 539); Marcus *Op.*, VII, 1 (Migne *P. G.*, LXV, col. 1072 A).

[4] De eorum vita laboriosa cf. Lucius, *Die Anfänge des Heiligenkults in der christlichen Kirche*, hsg. v. G. Anrich, Tübingen, 1904, p. 373 sq.

[5] Ita iam S. Hieronymus, n. III.

[6] Theodoretus, *Hist. Eccl.*, IV, 10. n. IX, 18; Cf. n. XIV, 4 sqq.; XVI, 7.

[7] Cf. dicta Cap. III, n. 24-26.

[8] N. XII, 1; cf. n. XIX, 3.

[9] N. XVII, 17; XXI, 2. 3.

[10] N. II, 3, 10.

Vagationes nimirum similes Syris christianis dudum ante Messalianos familiares fuisse videntur. Iam enim S. Hippolytus narrat Syrum aliquem episcopum fideles excitasse, ut in occursum Christi desertum peterent, ubi circumvagantes parum affuit, quin a quodem hegemone tamquam latrones trucidarentur, nisi eum uxor christiana a caede multitudinis retinuisset[1]. Acta Disputationis Archelai et Manetis simile factum referunt. Marcello enim, qui pro Christianis a militibus romanis captis pretio soluto magnam eorum copiam redemisse fertur, unus ex captivis, Cortynius nomine, hisce narrat causam captivitatis verbis : *Nos, Domine mi Marcelle, viventi Deo credimus soli. Est autem nobis mos huiusmodi, Patrum nostrorum in nos traditione descendens, quique a nobis observatus est usque ad hunc diem, per annos singulos extra urbem egressi una cum coniugibus ac liberis supplicamus soli et invisibili Deo imbres ab eo satis nostris ac frugibus obsecrantes : quod cum tempore ac more solito celebraremus, immorantes ieiunos vesper obtexit et gravabant nos duo omnium difficillima : ieiunium et vigiliae. Circa medium vero noctis invidus nobis et importunus somnus obrepsit; et cervicibus degravatis ac laxis demisso capite frontem genibus inlidit... In illa igitur hora subito militum nos multitudo circumdat, ut aestimo, putantes nos pro insidiis consedisse, aut omnino usum vel studium habere praeliorum; et nulla conventus nostri causa penitus explorata bellum nobis denunciant... Et interfecerunt quidem ex nobis ad mille trecentos viros, vulneraverunt autem quingentos. Cum vero dies inclaruit, qui superfuerant ex nobis, huc perducerunt captivos* [2].

Ut ut quis de veritate historica eius eventus sentiat, ea, quae Hegemonius Actorum auctor de illa processione imploratoria refert, collata Hippolyti narratione veri simillima apparent.

Ceterum non tantum processiones diebus statutis habitae apud Syros communes fuisse videntur, sed et vivendi rationis eiusmodi, quam Epiphanius carpebat, luculenta vestigia tempore adhuc antiquiore reperiuntur, nimirum in epistolis Pseudoclementinis *de virginitate,* ubi prima mentio fit ascetarum domos virginum, fratrum aut sororum circumvagantium, sub praetextu pietatis visitandi illos aut legendi Scripturas aut exorcisandi eos aut docendi [3]. Non de domibus quibuscumque simpliciter circumeundis agit Auctor. Ex eius mente enim fratres christianos visitare, eos in fide confirmare res meritoria est. Quin etiam tota epistola secunda supponit ea aetate, qua epi-

[1] *Hippolytus Werke.* B. I, hsg. von N. Bonwetsch et H. Achelis, Leipzig, 1897, p. 230 sq.

[2] Hegemonius, *Acta Archelai,* hsg. v. Ch. H. Beeson, Leipzig, 1906, p. 2. Agi videtur de consuetudine iudaicae originis. Iudaei quoque autumno ad imbres impetrandos processione instituta ieiunare solebant Mišnah, *Ta'nith,* II, Babli *ib.* fol. 16.

[3] *Clementis Romani Epistolae binae de virginitate* ed. Beelen, Lovanii 1856, p. 44 sq. (cp. I, 10) Cf. Zöckler, *Askese und Mönchtum.* Frankfurt a. M., 1897, p. 178 sq.

stolae Pseudoclementinae ortae sunt, ascetas continuo itinerantes exstitisse, qui huc illuc discurrentes spatiosas regiones perlustrabant dispersos ubique Christianos visitantes, consolantes, exhortantes, atque in fide confirmantes, qui perinde vagi fuisse videntur ac Messaliani, quorum apud Epiphanium mentio fit, aut « discipuli perfectionis », quos L. G. ob praeposteram agendi rationem Serm. XXVII vellicat. Neque ceterum ea vitae vagae ratio in epistolis tamquam mala reiicitur, sed auctor ascetis eiusmodi vagis timet, ne ob indiscretam cum mulieribus christianis cohabitationem iacturam honestatis faciant. Docente pofessore Harnack epistolae de virginitate saeculo III ineunte in Syria ortae sunt [1]; confirmant proinde ea, quae a Hippolyto et ab auctore Actorum disputationis Archelai et Manetis, Hegemonio [2], didicimus.

Ceterum motus similes medio saeculo IV in Asia quoque Minore occurrunt, uti e canonibus Gangrensibus [3] notissimum est. Acta synodi anno 343 habitae [4] ostendunt Eustathianos ibidem damnatos matrimonio et cultu publico Ecclesiae reiecto conventicula privata coegisse, divites sprevisse, ordinemque socialem pari ratione perturbasse, quemadmodum Epiphanius de Messalianis narrat.

His consideratis veri simillimum est vagationes religiosas a Messalianis introductas non fuisse; quinimo exempla eis antiquiora praeluxisse; saltem post Epiphanium, eiusmodi vagationum amplius mentio non fit; causa est, quod dicta sectariorum consuetudo vagandi non tam nova, quam potius obsolescens erat; item, quod inde a temporibus Epiphanii sectae socii monachi potissimum erant vitam communem agentes et sedem fixam in coenobiis habentes, quorum vivendi ratio eiusmodi vagationibus non amplius favebat.

e) Ceterum testimonia quoque fide digna praesto sunt, quae probant posteriores Messalianos evolutione quadam ex eadem specie errorum processisse, quos et L. G. docet. Maruthas enim (siquidem vere is sit catalogi haeresiologici auctor, qui sub eius nomine venditatur) sexto loco mentionem facit Audianorum cuius asseclas, modo Sabelliano personas Trinitatis compositione in unum coire asserentes in duas dividit classes : in *orantes* i. e. ܡܨܠܝܢܐ et « insuper » *ieiunantes* h e. ܨܝܡܐ [5]; aliis verbis : quosdam ascesi corporali studere, alios vero solius orationis necessitatem admittere. Modo

[1] *Chronologie der altchristlichen Litteratur,* t. II, p. 134 sq.

[2] Photius *Cod.* LXXXV. Cf. Harnack, *o. c.,* p. 548.

[3] Mansi, *Collectio Conc. ampl.,* II, 1095. Harduin, I, 530. Hefele, *Conciliengeschichte*[2] I, 779. Socrates, *Hist. Eccl.*, II, 43.

[4] Braun in *Historisches Iahrbuch der Görresgesellschaft,* t. XVI (1895), p. 586, quo docente in Codice syr. Musei Borgiani K. VI, 6 synodus Gangrensis *Pl'Qndus* et *Dmnus* consulibus (anno 343) habita esse dicitur.

[5] V. n. IV.

« orantes » re vera Messalianos esse κατ' ἐξοχήν, probatur eo, quod error theologicus eis a Marutha adscriptus apud Timotheum quoque recurrit[1]. Eius autem vestigia etiam in L° G. reperiuntur, uti supra ostendimus[2]. Verum quidem est, quod sectae hospitalitas a Marutha laudata atque ridentium damnatio, in Messalianos vere tales non quadrant, quippe qui bonis suis abdicatis eleemosynas sibi dandas esse docuerint, attamen bene mente tenendum est, apud Marutham non de *specie* agi Messalianorum sectae dogmatice indifferente, sed de *genere* sectariorum circa Trinitatem errantium, de quibus Marutha in communi disserit, ita ut ea, quae versus finem de ambabus sectae speciebus refert, forte de una tantum intelligenda sint.

In catalogo Maruthae etiam radix communis utriusque sectae speciei detegi potest. Haeresis enim Timotheistarum, quam n. 12 describit, singularem similitudinem prae se fert cum Apostolicis, quorum placita Epiphanius delineavit[3]. Ambae haereses in eo conveniunt, quod spretis nuptiis paupertatis bonorumque abdicationis necessitatem docuerunt. Hinc non immerito Timotheistas cum Apostolicis aequiparat Harnack[4]. Cum porro Apostolici de facto nil aliud sint, quam Encratitarum antiquiorum prosapia[5], tuto supponi potest, eam sectam iam saec. III Syriam invasisse. Nam etiam Acta Thomae saec. III Edessae composita ideas Encratitarum propagant[6]. Quo autem modo Encratitae placita antinomistica amplexi sint, nescimus. Epiphanius radicem originemque Messalianismi se ignorare fatetur. Quidam auctores Syri, uti Philoxenus et Theodorus bar Choni[7] principia sectae antinomistica auctori Satanae atque falsi nominis mysticismo tribuunt. Sed ea omnia sane coniectiones sunt, quarum veritas valde dubia est. Ut ut res sit, veri simillimum videtur Messalianos posteriores surculum esse Apotacticorum sectae, quos Epiphanius in Phrygia et Cilicia et Pamphylia sedes habuisse retulit[8]. Notum enim est Amphilochium Iconii metropolitam primum fuisse, qui Messalianos in his regionibus deprehendit eorumque doctrinam in synodo Sidetana traduxit[9]. Neque enim casui for-

[1] N. XIV, 6; XXIII, 2.
[2] Cap. III, n. 3.
[3] *Haer.*, LXI.
[4] *O. c.*, p. 12.
[5] Non eos Encratitas intellige, de quibus Epiphanius agit (*Haer.*, XLVI), dualismo theologico addictis, sed Encratitas cogita apud Hippolytum relatos (*Philosophumena,* VIII, 20) qui de Deo et de Christo orthodoxe senserint, attamen usum matrimonii et carnium et vini reiecerint.
[6] Cf. Burkitt in *Journal of Theological Studies,* I, 280-299; II, 429; III, 94; idem, *Evangelion Da-Mepharreshe,* II, 101. Harnack, *Chronologie d. altchr. Litter.,* II, 176.
[7] Nn. XII, 1-2; XIX, 2-7.
[8] *Haer.*, LXI, 2.
[9] N. XXI, 1.

tuito tribuendum est, quod monachi Messaliani Edessa expulsi in Pamphyliam secessere [1]. Sine dubio propterea, quod illic iam dudum plurimos sectae suae asseclas degere noverant.

f) Michael Magnus et Gregorius Barhebraeus Adelphii magistrum Eusebium aliquem fuisse testantur [2]. Persona huius viri secus omnino ignota est; veri autem simillimum videtur Eusebium hunc auctorem fuisse fragmenti in codice syriaco Musei Britannici Add. 17193 fol 3^b servati, quod sub titulo : *De libro Graduum* pariter Eusebio cuidam auctori tribuitur, re autem vera ex alio quodam opere haustum est, cuius auctor, uti iam in Cap. I ostendimus, Sermonem XXIX ineptissime expilavit [3]. Doctrina in fragmento proposita circa sensum locorum S. Pauli I Cor. v, 4 et Rom. xii, 1 versatur et placita quidem Encratitarum sapit, sed notione peccati cum Satana aequiparata viam sternit confusionis, quae in theologumenis Messalianorum tam funestas gerebat vices. Fragmentum Eusebio adscriptum vere articulus est in catena evolutionis, quae doctrinam ethice puram L^i G. atque antinomismum Messalianorum coniungit et ideo aequiparatio Eusebii a Michaele Magno laudati cum fragmenti auctore scientifice probabilissima est simulque ostendit L^i G. doctrinam a sententiis impiis Messalianorum duabus generationibus abesse, ita ut si Messaliani circa annum 370 prodierint, L^i G. origo circa tempora Concilii Nicaeni ponenda videatur.

Argumenta positiva in favorem suppositionis huius militantia capite sequente exponentur.

CAPUT V

Quando et ubi Liber Graduum ortus est?

SUMMARIUM

1. Extremi limites libri compositi. — 2-6. Expenduntur loci Operis de crudeli quadam Christianorum persecutione agentes, auctori coaeva, quae probabilissime persecutio erat a Diocletiano suscitata. — 7. Quam suppositionem confirmant ea quoque, quae et Liber Graduum et alii auctores saeculi IV de statu ecclesiarum orientalium memoriae tradiderunt. — 8. Quid de Auctoris patria ex ipso opere erui possit.

Aetatem L^i G. investigaturi praenotamus in toto opere nulla data historica inveniri, unde quaestio nobis praeiacens excluso dubio ac errore cum certitudine omnimoda solvi possit.

1. Extremos limites statuere, extra quos compositio Libri ponenda sit,

[1] N. IX, 22.
[2] Nn. XXII et XXIV.
[3] V. supra, p. xi-xiii.

difficile non est. Hac in re iam Codices manuscripti nobis opem ferunt. Antiquissimi nimirum Codices manuscripti aliquas operis partes continentes (Add. 14578 et Add. 14612) teste viro peritissimo Guillelmo Wright saeculo VI vel VII exarati sunt. Igitur L. G. ante tempora ista exaratus est. Si autem perpendas in Cod. Add. 14578, saec. VI-VII, Sermonem XIV Evagrio tribui auctori, porro tres alios sermones in Cod. Add. 18814 saec. VII-VIII inter opera Ioannis monachi poni, item Sermonem XIX in Catalogo ʿAbdîšôʿ Sobensis inter opera Symmachi recenseri, maxima cum probabilitate concludes Opus saeculo VI longe antiquius esse, si iam eo tempore dismembratae eiusdem partes sub nominibus diversorum auctorum circumferebantur nec amplius Syri tunc temporis certam de auctore traditionem habebant.

Sed *terminus ad quem* spectata Operis doctrina magis adhuc coarctatur. Uti capp. III et IV fuse ostendimus, doctrina religiosa et ascetica operis virum saeculi IV arguit. Necessitudo L[i] G. demum ad Messalianorum doctrinam ineluctabiliter suadet auctorem potius primo, quam secundo dimidio saeculi IV vixisse.

Adsunt autem in libro alia indicia quoque — proh dolor! non omnino certa — quibus aetas eiusdem accuratius adhuc erui posse videtur.

2. Auctor nimirum aliquoties ad crudelem persecutionem alludit sibi coaevam, qua durante Christiani multa perpessi sint. Duo hic possibilia sunt : si Noster in ditione Romani imperii vivebat, verba eius unice ad persecutionem Diocletianam referri possunt, in quo casu opus ab ipso compositum circa annum 320 exaratum esse videtur. Si autem in imperio Persico vixerit, e mentione persecutionis nulla conclusio certa de aetate eius deduci potest, cum inde ab anno 344 Christiani a regibus Persarum, paucis exceptis decenniis, fere continuo crudelibus persecutionibus obnoxii fuerint.

Statim videbis, casum posteriorem improbabilem esse atque omnibus indiciis suadentibus Opus foetum esse viri cuiusdam, qui adhuc ante exortas lites Arianas in ea parte Mesopotamiae a Syris inhabitata vivebat, quae imperio Romano erat subdita.

Textus igitur expendantur, ubi de illa persecutione sermo est.

a) Serm., VIII, 4 : *Sunt adhuc homines, qui peccatores cum sint, credunt in Dñum. Et venit persecutio diebus eorum et dicitur eis, abnegate Dñum et sacrificate idolis. Nec noverunt, quid sit caritas perfecta, sed fidem solam et baptisma. Et cremant eos et bestiis proiiciunt et in os gladii. Et sufferentes non negant Dñum.*

Ex his verbis concludere licet tempore Auctoris persecutionem Christianorum rem inexpectatam non fuisse. Nam verba sine ulla praeparatione adiecta : « et venit persecutio diebus eorum » produnt agi de eventu, quod insolitum non habebatur. Persae Christiani usque ad medium saeculum IV

pace fruebantur; saltem de regularibus Christianorum persecutionibus usque ad annum 344, quo S. Simeon bar Ṣabbâʿê martyrio coronatus est, non constat [1], nec ulla fingi causa potest, cur Persae asseclas doctrinae Christianae, qui in Occidente diras subibant persecutiones, in sua ditione exterminare conati sint, siquidem rationes politicae fere contrarium suaserint. Religio enim Christiana ab imperatoribus Romanis, Persarum adversariis, proscripta, si in ditione Romana nefanda videbatur, Persis eo ipso periculi expers apparere debebat.

Etiam extensio persecutionis e verbis nostris coniici potest; nam « peccatores », qui « fidem solam et baptisma noverint » laici certe sunt, qui ob fidei professionem martyrium subire debeant. Porro poenae gladii, ignis, bestiarum unice persecutioni Diocletiani conveniunt. Notum enim est dira persecutione ab ipso suscitato non solum contra praesules ecclesiae, sed e contra omnia Ecclesiae membra poenas atrocissimas latas esse; Maximianus enim in Oriente praecepit, ut in macellis nonnisi carnes aqua libationis coinquinatae venirent, quo facilius Christiani idolothyta emere renuentes dignoscerentur et punirentur [2]. Item poenae ignis et bestiarum in imperio Romano contra Christianos adhiberi solebant. Eusebio teste Christiani Mesopotamiae capite deorsum verso pedibusque suspensi igne subtus accenso cremabantur et fumo ascendente suffocabantur [3]. Poena bestiarum sine dubio ad ludos circenses alludit, qui in maioribus Mesopotamiae urbibus quoque haberi solebant. Biographo enim Rabbulae narrante ludi circenses Edessae usque ad episcopatum Rabbulae habebantur, illoque agente abrogati sunt [4].

Aliter in imperio Persico. Ante omnia consideranda sunt verba quibus Noster finem persecutionis describit : « sacrificate idolis ». Persae idola non colebant. Obiectum cultus publici praecipuum ignis erat [5], qui in aediculis ligneis alebatur et adorabatur, dein Sol [6], atque aqua [7]. Martyres semper

[1] Mešiḥa Zkâ teste in terra Adiabenes christianos Pirûz Tamsabûr marzabanus cepit infestare c. a. 342 mortuo Pagrasp christianis propitio (Mingana, *Sources syriaques*, p. 52 et 131). Monasterium S. Matthaei durante persecutione Diocletiani fundatum est in Persico imperio, quiete enim et tranquillitate fruebatur gens oppressa Christianorum in ditione Persarum, ait Auctor Actorum S. Behnami (Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum*, II, 400). Ob causam similem Ṭukrîṭâ urbem Karka-d-Bêt Slok fugisse refertur (Bedjan *o. c.* II, 512 sq.). Idem innuit praefatio Martyrii antiquioris S. Simeonis bar Ṣabbâʿê (*P. S.* II, col. 726 seqq.). Cf. Labourt, *o. c.*, p. 43.

[2] Eusebius, *De Martyribus Palaestinensibus*, c. 9.

[3] Eusebius, *Hist. Eccl.* VIII, 12.

[4] Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum*, t. IV, p. 418.

[5] Spiegel, *Erânische Alterthumskunde*, t. II, Lipsiae 1873, 41-57; t. III, 1878, p. 568 sqq.

[6] Spiegel *o. c.* II, 66 sqq.

[7] *O. c.* II, 51-66. Cf. Aphraates, *Dem.* XXIII, 61. *P. S.* II, 126 seq.

ad ista elementa adoranda coguntur [1], tamquam ad formalem apostasiae actum, non autem ad sacrificandum. Sacrificia enim offerre non erat cuiusque, sed magorum tantum [2], quorum ordini nemo adscisci potuit, nisi ipsa sua nativitate ad classem sacerdotum pertinuisset [3]. Hinc ritus ullos perficere nemo adigebatur, exceptis quibusdam martyribus, qui e genere magorum oriundi, uti Mâr Ḳardag [4] *barsom* sumere [5] et sacros ritus absolvere iussi sunt propterea certe, ut apostasiam ab ordine sacerdotali illis actibus reparent.

Nec suppliciorum genera a Nostro enumerata in Perside usitata erant, excepto ense, quo plurimi martyres interempti sunt. Crematio, damnatio ad bestias in *Actis Martyrum* Persidis non occurrunt, sed, praeter poenam gladii frequentissimam, Martyres lapidari, fustibus caedi plerumque leguntur [6]. Tormenta tam frequentia non erant, quam in Occidente; vel, si adhibebantur, plerumque ad frangendam constantiam presbyterorum. Laici generatim a persecutionibus immunes erant; aliquoties utique accidit, ut rabie magorum tumultibus contra Christianos excitatis neces promiscuae omnium Christianorum fierent [7].

3. Laudata igitur verba Serm. VIII tantum vir in imperio Romano vivens scribere potuit; tunc autem persecutio, quam respicit, Diocletiana est; Opus vero aliquot abhinc annis conscriptum fuisse videtur.

b) Etenim Serm., XXX, 4, ait : *Etiam discipuli fidei sufferunt ab errantibus* [8] *et persecutionem patiuntur a [falsis] religionibus* [9] *quia se eis opponunt* [10], *et occisi martyres fiunt. Notissimi enim sunt martyres fidei et notissimi sunt martyres caritatis. Martyres fidei persecutionem patiuntur et occiduntur a [falsis] religio-*

[1] Ita Pusai, S. Simeon bar Ṣabbae (*P. S.* II, 744, 753). S. Martha (Bedjan *o. c.* II, 235), S. Tarbo (Bedjan, *o. c.* II, 257), Narses (*ib.*, p. 284) et alii.

[2] Spiegel *o. c.* III, 559-570.

[3] Spiegel *o. c.* III, 580 sqq. 698 sqq.

[4] Bedjan *o. c.* II, 487.

[5] Syriace ܒܪܣܘܡܐ : Cf. Hoffmann, *Auszüge aus syrischen Acten Persischer Märtyrer*, Leipzig, 1880, p. 94, 111. Vocabulum persicum est; significat ramos mali punici vel tamarisci, quos sacerdotes oblato sacrificio dictisque precibus manibus tenent. V. Spiegel, *Die traditionelle Litteratur der Parsen.* Wien, 1860, p. 424, s. v. בַּרְסוֹם *Erânische Alterthumskunde*, III, 571.

[6] Cf. Labourt, *Le Christianisme dans l'empire Perse,* Paris, 1904, p. 61 sqq.

[7] Bedjan *o. c.* II, p. 241 sqq.

[8] ܛܥܝܐ R *a puerilibus* ܛܠܝܐ.

[9] ܕܚܠܬܐ. Vocabulum significat : [1]) *falsa numina.* Pešîṭta Ex. XII, 12 verba אלהי מצרים reddit : ܕܚܠܬܐ ܕܡܨܪܝܢ, [2]) *falsam religionem,* uti Bar Bahlûl dicit in *Lexico* (ed. R. Duval I, col. 551) : اعتقادات ردية i. e. falsae religionis. Hoc in sensu tum gentiles tum haereticos potest designare.

[10] α ܡܛܠ ܕܠܩܘܒܠܗܘܢ ܡܬܩܘܡܝܢ R ܡܬܩܘܡܝܢ ܠܗܘܢ. In α agitur de Christianis semet *sectis* opponentibus; lectio R ambigua est.

nibus[1] *et a paganis*[1], *quia dure consistunt adversus eos ob malam ipsorum doctrinam et subvertunt altaria eorum. Et sufferunt, ubi persecutionem patiuntur,* « *ne* » *scilicet*[2] « *idola vana sint in terra Domini Dei nostri, sed Domino Deo, qui fecit caelum et terram et omnia quae in eis sunt, soli serviatis* ». *Ob hunc zelum pulcherrimum occiduntur, et quia*[3] *non diligunt inimicos suos, eis improperant, quamquam utique pro Dño moriuntur.*

Locus heic citatus duplicem interpretationem admittit, nam verba : *quia se eis opponunt* et *quia dure... altaria eorum* saltem in Codice R tum ad « sectas » tum ad « discipulos fidei » referri possunt. In primo casu discipuli fidei sunt, qui se sectis et paganis opponant et dure consistunt contra eos et subversunt altaria eorum. In altero casu agitur de sectis, discipulis fidei adversariis et ob suam doctrinam malam semet eis opponentibus. Codex α (ubi suffixum fem. gen. ܩܘܒܠܗܝܢ ostendit agi de oppositione discipulorum fidei in *sectas*), in prima enuntiati parte sensui priori favet, quaestionem autem maximi momenti : quis sit altarium eversor, utrum sectae, an discipuli fidei, incertam reliquit. Ceterum tota sententia talem speciem prae se fert, ac si Auctor consulto mentem suam veram ambagibus celare voluisset.

Contextu spectato uterque enuntiati sensus aeque possibilis est. Auctor enim fanatismum ad homicidia usque gradientem exprobrat « discipulis fidei » eorumque zelum in ethnicismo impugnando laudat; impossibile igitur non est persecutionem eam, ad quam Noster alludit, christianis subversione altarium ethnicos provocantibus ortam esse.

His praenotatis ex verbis citatis duo discimus. 1. Ea persecutione, de qua sermo est, Christianos non solum a gentilibus, sed etiam a sectis mala pertulisse. 2. Auctorem persecutioni coaevum fuisse.

Quod primum attinet, alluditur ad eventus, de quibus et monumentis antiquae christianitis perpauca compertum habemus. Quasnam egerint haereticorum sectae durantibus persecutionibus partes, quaestio valde intricata est et indigationes longinquas exigit, quae secus rem nostram remote tantum tangunt. Certum autem est, Auctorem sermonem XXX non multo post hanc persecutionem scripsisse. Suadet hoc imprimis modus, quo Auctor de martyribus loquitur, candor, quo eorum naevos et defectus patefacit. Tempore subsequo vix quisquam absque nota impiae temeritatis talia proferre ausus esset[4]! Ne Eustathius Sebastenus quidem et Vigilantius, praecipui cultus martyrum adversarii, meritis martyrum hac ratione quidquam detrahere ausi sunt. Eustathius utique sequaces suos a frequentandis martyriis arcebat[5],

[1] ܚܢܦܐ.
[2] ܕܠܡ, qua particula citata solent introduci. Origo citati huiusce ignota mihi est.
[3] R ܘܕܠܐ α ܠܐ ܕܡ.
[4] Lucius *o. c.*, p. 105 seqq.
[5] Can. 20 Synodi Gangrensis. Cf. Hefele, *Conciliengeschichte*[2] I, 788.

sed hoc propterea fecit, quia asseclas doctrinae suae nullam communicationem in sacris cum membris ecclesiae orthodoxae habere volebat. Vigilantius vero, quamquam consuetum modum martyrum colendorum reiecit, nunquam eorum merita et virtutes in dubium vocare ausus est [1].

Sed ad quamnam persecutionem alludit Noster? Ad persecutiones saeculo IV anteriores vix. Eius enim tempore religio per totum orbem longe lateque diffusa erat [2], ethnicismus paulatim deficiebat [3], Christianique gentiles ad conversionem hortabantur [4].

Manent igitur persecutiones saeculi IV. Si modo quis locum prius allegatum eo sensu intelligere velit, quod Auctor unicam persecutionis causam hostilem Christianorum animum declaret semet paganis opponentium et eorum altaria subvertentium, facile suspicabitur verba illa ad imperium Theodosii magni spectare, cuius tempore quibusdam fanis deorum clausis seditiones paganorum ortae sunt et plures Christiani caesi [5]. At eo tempore Ecclesia tutela imperatoris fruebatur; casus huiusmodi nec frequentes erant, nec tam atroces, uti verba Nostri innuunt. Accedit, ut facta similia casu longe antea evenerint. Abraham Kidunaya circa medium saec. IV incolas vici cuiusdam fractis deorum idolis in se concitavit [6]. Diocletiani tempore Synodus Eliberitana canone 60 statuit : *Si quis idola fregerit et ibidem fuerit occisus, quatenus in evangelia scriptum non est nec invenitur sub apostolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum* [7]. Immo iam prius, tempore Valeriani, ut putat Allard, Leo, asceta quidam prope Tychaeum occisus est, propterea quod caereos circa delubram Fortunae ardentes contrivit [8]. Et iam Decii tempore martyrium subiit Polyeuctus in Armenia ob fracta aliqua deorum idola, quae in processione circumferebantur [9]. Nil mirandum, si Syri Christiani, ipsa natura feroces et ad excessus fanaticos proni maiore suo numero confisi aliqua petulantia et turbulenta agendi ratione adversarios suos gentiles in se concitassent. Eiusmodi eventus quandocunque accidere poterant

[1] Hieronymus, *Adv. Vigilantium,* § 4. Cf. Walch, *Ketzergeschichte,* III, 694. Lucius *o. c.*, p. 326-329.

[2] Serm. IX, 6.

[3] Serm. V, 5.

[4] Serm. IV, 1.

[5] Socrates, *Hist. Eccl.* V, 16. Sozomenos, *Hist. Eccl.* VII, 15. 28. Theodoretus, *Hist. Eccl.* V, 21. 22. 29.

[6] *S. Ephraemi hymni et Sermones* ed. Lamy, Mechliniae, t. IV, 1902, col. 25 seqq.

[7] Hefele *o. c.* I, 183. Iuxta Duchesne (*Mélanges* Renier, 1886, p. 159-162, synodus Eliberitana adhuc ante exortam Diocletiani persecutionem habita est. Ita et Allard in op. *La persécution de Dioclétien*, Paris, 1890, t. I, 57.

[8] Allard, *Les dernières persécutions du troisième siècle,* Paris, 1887, p. 141, n. 3.

[9] Allard, *Histoire des persécutions pendant la première moitié du troisième siècle,* Paris, 1886, p. 411.

nec proinde ullum praebent fundamentum ad aetatem dictae persecutionis accuratius statuendam.

4. Rem ita esse confirmant Nostri verba, quibus l. c. de *martyribus caritatis* disserere incipit *Martyres autem caritatis,* inquit, *persecutionem patiuntur et occiduntur a domesticis fidei. Sectas enim, quia cum humilitate docent* [hae] *eos non occidunt *sed gaudent de eis*[1]. *Domestici vero fidei putantes se per fidem totam veritatem consecutos esse, dicente viro spirituali aliquid, quod ipsos latet, se dure contra eum erigunt eum que occidunt. Quare, aiunt, dicetis quod non praedicatur in tota Ecclesia*[2]*?... Quando autem persecutio martyrum fidei et martyrum caritatis communis erat*[3] *et eadem caedes illorum et istorum : multo maiores erant martyres caritatis, non solum illis martyribus, qui homicidas et persecutores suos odio habebant eisque improperabant, sed etiam martyribus illis, qui neque oderant eos... neque dilexerant eos*[4].

His verbis Noster et universalitatem persecutionis saevitiamque declarat et simul fanatismi accusat domesticos fidei, i. e. membra communia Ecclesiae, quippe qui in dissidentes non solum dure animadvertant, sed eos etiam quandoque occidant. Notabile autem est Auctorem haud raro ob duram ecclesiasticorum in dissidentes animadvertendi rationem conqueri[5]. Hinc concludendum est res ecclesiasticas in patria Auctoris nostri minime florentes fuisse multasque ibi Dei nomine iniurias esse commissas. In quamnam Mesopotamiae regionem hicce rerum status quadret, prae documentorum raritate hodie nequit statui; ecclesias nihilominus Syriacas a conversatione vere Christiana haud parum defecisse Demonstrationes Aphraatis sat superque ostendunt; e Dem. XIV imprimis liquet persecutionem a Sapore excitatam interna dissidia, iurgia, litesque praelatorum praecessisse. In provinciis orientalibus imperii Romani iam ante persecutionem Diocletianam rerum status haud dissimilis fuisse videtur. Eusebius enim, qui eventus persecutionis huius parum gloriosos silentio pressurum se gloriatur, in oratione praefatoria libro VIII Historiae Ecclesiasticae praemissa inter diversas persecutionis causas negligentiam, desidiam, invidiam, bella intestina iurgiaque inter Christianos orta recenset[6]. Epiphanius quoque refert Audum, postea haeresiarcham, eiusmodi vitia reprehendentem cum suis diu maximas

[1] In R deest.

[2] R : quod non praedicat tota ecclesia.

[3] R ܬܗܘܐ ܗܘܐ. Stante hac lectione enuntiatum etiam in sensu hypothetico intelligi potest : Si quando persecutio martyrum fidei et martyrum caritatis communis fuerit...; at contextus pro lectione α suffragatur.

[4] Serm. XXX, 5.

[5] V. Serm. IV, 2; V, 20; IX, 7. 15; XIX, 20. 24. 31; XXII, 3. 14.

[6] *Hist. Eccl.* VIII, 1.

contumelias et indigna passum esse et multum vapulasse, donec semet ab Ecclesia separasset [1].

5. Ea, quae Noster de persecutione Christianorum asserit, ad duram Christianorum subactionem a rege Sapore II factam referri nequaquam possunt. Causa enim persecutionis huius politica erat : Timor videlicet Persarum, ne christiani ditionis suae cum adversariis suis politicis, cum imperatoribus Romanis contra regnum Persicum conspirent. Huius rei omnes coaevi cultiores conscii erant, uti Demonstratio V Aphraatis et Martyrium antiquinò S. Simeonis ostendunt.

Noster, e contrario, causam persecutionum vitia Christianorum declarat simulque in ea describenda ad aliquos eventus alludit, qui Diocletianae persecutiones omnium animos gravissime affecerunt.

Serm., XXII, 8. Ait : *Igitur, quia maledictionem dilexeramus, induimus eam veluti armaturam et, quia contentiose ambulaveramus, surrexerunt in nos iudices nequam, qui misericordiam nullam habentes sanguinem quasi aquam effundunt et pro malo unico centum retribuunt et diligunt munusculum et iudicant iniuste.*

Auctor proxime de contentione litibusque disserit et originem rei iudiciariae ad malignitatem hominum refert, qui de malo unico sibi illato centuplam ultionem repetere conentur et quibus propterea ad malam voluntatem reprimendam Deus ipse iudices nequam praefecerit. Fallitur autem, qui putet Auctorem ob rationes mere theoreticas contra iudicaturam potestatis saecularis declamare. Eodem videlicet sermone etiam ob saevitiam regum conqueritur, in quorum corde timor Dei desit et iudicent sine compassione et descendant in Gehennam et quorum causa gemit totus orbis terrarum.

Duobus hisce locis collatis manifestum est agi de aevo persecutionis Diocletianae; *reges* sine compassione iudicantes sunt Caesares et Augusti, collegae imperatoris senis; *iudices* vero sanguinem velut aquam fundentes sunt novi imperii magistratus, quos imperator provinciis in frusta concisis praefecit. Audiamus hac de re Auctorem libri *De mortibus persecutorum* n. 7 : *Diocletianus, qui scelerum inventor et malorum machinator fuit, cum disperderet omnia, nec a Deo quidem manus potuit abstinere. Hic orbem terrae simul et avaritia et timiditate subvertit. Tres enim participes regni sui fecit, in quatuor partes orbe diviso et multiplicatis exercitibus, cum singuli eorum longe maiorem numerum militum habere contenderunt; quam priores principes habuerant, cum soli rem publicam gererent. Adeo maior esse coeperat numerus accipientium quam dantium, ut enormitate indictionum consumptis viribus colonorum desererentur agri et culturae reverterentur in silvam. Et ut omnia terrore complerentur, provinciae quoque in frusta concisae, multi Praesides et plura officia singulis regionibus, ac pene*

[1] *Haer.* LXX.
[2] Migne *P. L.* VII, 204 sq.

iam civitatibus incubare, item rationales multi et Magistri et Vicarii Praefectorum, quibus omnibus civiles actus admodum rari, sed condemnationes tantum et proscriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium non dicam crebrae, sed perpetuae et in exactionibus iniuriae non ferendae. Nec quoque tolerari possunt, quae ad exhibendos milites spectant. Item insatiabili avaritia thesauros numquam minui volebat, sed semper extraordinarias opes ac largitiones congerebat, ut ea, quae recondebat, integra atque inviolata servaret. Idem, cum variis iniquitatibus immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere conatus est. Tunc ob exigua et vilia multus sanguis effusus nec venale quidquam metu apparebat et caritas multo deterius exarsit, donec lex necessitate ipsa post multorum exitium solveretur.

De imperio autem Galerii Maximiani in eodem opere [1] haecce legimus : *Quae igitur in Christianis excruciandis didicerat, consuetudine ipsa in omnes exercebat Nulla poena penes eum levis : non insulae, non carceres, non metalla; sed ignis, crux ferae in illo erant quotidiana et facilia... Eloquentia extincta, causidici sublati, iureconsulti aut relegati, aut necati. Litterae autem inter malas artes habitae; et qui eas noverant, pro inimicis hostibusque protriti aut execrati. Licentia rerum omnium solutis legibus adsumpta et iudicibus data. Iudices militares humanitatis litterarum rudes sine assessoribus in provincias immissi. At vero illud publicae calamitatis et communis luctus omnium fuit, census in provincias et civitates semel missus, censitoribus ubique diffusis et omnia exagitantibus hostilis tumultus et captivitatis horrendae species erant. Agri glebatim metiebantur, vites et arbores numerabantur, animalia omnis generis scribebantur, hominum capita notabantur, in civitatibus urbanae ac rusticae plebes adunatae, fora omnia gregibus familiarum referta, unusquisque cum liberis, cum servis aderant : tormenta ac verbera personabant, filii adversus parentes suspendebantur, fidelissimi quoque servi contra dominos vexabantur, uxores adversus maritos.*

6. Cum his Lactantii (?) verbis conferantur, quae Noster Serm., XXII, 6 de viris suae aetatis vanae gloriae et pecuniae cupidis dicit, *qui munusculo dato hegemones* [2] *fiant et ius gladii* [3] *usurpent, ut, quem velint, occidant, et ope munusculi speculatores* [4] *fiant, ut homicidae evadant.* Quarelae de magistratibus iniustis mirum in modum conveniunt cum inculpationibus, quas citati operis Auctor magistratibus a Galerio in provincias Orientis immissis obiicit.

Mentio insuper *hegemonum* et *speculatorum,* item iuris gladii, ostendit Auctorem rei iudicialis et politicae Romanorum peritum proindeque imperio Romano subiectum fuisse. Sed si haec ita sint, eius querelae de iniustitia magistratuum Romanorum praecipue notabiles sunt. Bene enim mente tenendum est Syros Mesopotamiae septentrionalis in Osrhoene degentes inde ab

[1] N. 22 sq. Migne, *P. L.* VII, 250 sq.

[2] ܗܓܡܘܢ̈ܐ. — [3] ܫܘܠܛܢܐ ܕܣܝܦܐ. — [4] ܐܣܦܩܘܠܛܘܪ̈ܐ.

anno 216 everso regno Edesseno imperatoribus Romanis paruisse. Ex hoc tempore his in terris quoque iudicatura Romana usu vigere cepit. Haec autem procul dubio usque ad innovationes a Galerio introductas aequitate ac animo a partium studio alieno rem iudicialem regum indigenarum longe superavit vix igitur Syris tantopere detestabilis apparuit, sicut e verbis L[i] G. concludendum videtur.

Testem rei huius habemus Didascaliae auctorem, qui docente professore Funk vel in Palaestina vel in Syria altero dimidio saeculi III vixit[1]. Vir iste iudicaturam Romanam tanti aestimat, ut animum eiusdem a partium studio alienum ipsis episcopis Ecclesiae tamquam exemplum imitandum prae oculis ponat. *Videtis*, inquit, *fratres nostri, quomodo cum homicidae ad potestatem adducuntur, iudices diligenter adducentes interrogent et inquirant, quae ab illis facta sunt ac deinde iterum malefico dicant, num haec ita sint; et quamquam confitetur et annuit, non confestim ad mortem eum mittant, sed multis diebus de eo iterum inquirant et velis interiectis simul deliberent et consilientur multum et deinde postremo iudicium capitis de eo ferant et manibus ad caelum sublatis contestentur: insontes sumus sanguinis hominum. Vos autem* (sc. episcopi) *cognoscentes, quis sit Deus noster et qualia iudicia eius, iudicium ferre audetis de insonte*[2]*?* Alio loco imperium Romanum ob legem servatam stabilitum esse asserit[3].

Si proinde Syri tyrannidi principum orientalium assueti, de re iudiciali Romanorum tam bene sentiebant, querelae L[i] G. de iniustitia magistratuum nonnisi de aevo severae persecutionis Diocletianae intelligi possunt. Posteriore tempore enim imperatores Christianis favebant, proinde ad eorum aetatem acerba Nostri verba referri nequeunt; si vero ad persecutionem persicam referantur, carent sensu, saltem ex Actis Martyrum Persidis non elucet, sive sub Sapore rege, sive sub eius successoribus immediatis in re iudiciali Persarum tantas mutationes evenisse, quibus querelae L[i] G. sufficienter explicentur.

7. Idem suadent etiam Aphraatis Demonstrationes circa initium dirae persecutionis, quam Sapor II contra Christianos in Persico regno excitavit, compositae. Aphraates minime celat se victoriam arietis elati, i. e. Persarum, nequaquam optare[4]. Timebat enim, ne Persis ob victos Romanos superbientibus persecutio superveniret populo Dei[5]. Quem timorem rerum eventus tristissimus comprobavit, nam Sapor Christianos inde ab anno 339 vexare,

[1] *Didascalia et Constitutiones Apostolorum,* ed. Funk, Paderbornae, 1905, p. V.
[2] *Didascalia* II, 52, 1 sq. ed. Funk, p. 148 sqq.
[3] *Didascalia* VI, 19, 1. ed. Funk, p. 364.
[4] Dem. V, 6, *P. S.* I, 195.
[5] Dem. V, 1, P. S. I, 184_{16} sqq. V, 25, *P. S.* I, 237_{17} sqq.

quinque annos postea vero crudeliter trucidare cepit. In Demonstratione XXIII saeviente quam maxime persecutione composita[1], Aphraates quidem gemebundus deplorat populum Dei exspoliatum et dispersum, altaria eversa, sanguinem iustorum innocenter effusum, Deum supplex obsecrat, ut capita populi sui iniquitate depressa erigat eiusque sacrificia benignus suscipiat[2], ubique tamen sibi conscius manet Christianos Persidis ob causas mere politicas persecutionem pati. Auctor L[i] G. contra in Sermone, xxii, 8 causam persecutionis ipsis Christianis tribuit. Notabilia sunt praeprimis verba : ܘܐܥܒܕܢ ܡܪܕܘܬܐ ܚܢܢ ܕܐܦ ܫܓܝܫܐ ܚܢܢ quae duplicem interpretationem admittunt : ܡܪܕܘܬܐ enim et *rebellionem* et *disciplinam* potest significare. In casu primo sensus enuntiati est : *et nos rebellionem commisimus, quia inquieti sumus*. In altero casu sensus est : *et nos disciplinam instauravimus, qui inquieti sumus*. Cum locus citatus nobis in solo Codice α praeiaceat, valde difficile est dirimere, quinam fuerit sensus ab ipso Auctore intentus. Quodsi ܡܪܕܘܬܐ in sensu *rebellionis* accipere velis, ex verbis Nostri novam lucem capiunt Eusebii verba[3] narrantis post crudeles Christianorum persecutiones iussu Diocletiani Nicomediae factas quosdam homines — eorum nomina reticet — in regione Melitenensi atque in Syria imperium abripere tentasse ideoque novum edictum regium esse promulgatum, vi cuius omnes ecclesiarum praesules in carceres vinculaque coniiciendi fuerint. E verbis Eusebii non est absonum supponere Syros Christianos participes fuisse coniurationum istarum, quae propterea ansam dedisse videntur novo huic edicto promulgando. Forte ad hunc eventum alludit Auctor L[i] G. Neque obiiciendum est in Sermone XXX de persecutione christianorum tamquam de re praeterita sermonem fieri. Doxologiae enim crebrae versus finem Sermonis XXIX ostendunt opus totum olim hocce sermone desise Sermonemque XXX postea demum adiectum fuisse, probabiliter interiectis aliquot annis pace Ecclesiae restituta. Aetatem Operis accuratius definire velle prorsus futile est, nec diffitemur fere omnia in hoc capite proposita valorem hypotheseos, hypotheseos utique probabilissimae, haud excedere.

8. De loco libri compositi nihil me compertum habere fateor. Sermone xxx, 14 pauca leguntur verba, ex quibus patriam Auctoris coniici posse autumabis. Auctor discipulos fidei et asseclas perfectionis scientia et fortitudine dissimiles viatoribus comparat, ex quibus alii ipsum *Euphratem turbidum et mare aestuans* possint traiicere, alii vero ne *Zabatem minorem* (ܙܒܐ ܙܥܘܪܐ)

[1] Dem. XXIII, 69, *P. S.* II, 149.

[2] Dem. XXIII, 56, *P. S.* II, 112 sq.

[3] Hist. Eccl. VIII, 6, 7 seq. : Καὶ τὰ μὲν ἐπὶ τῆς Νικομηδείας κατὰ τὴν ἀρχὴν ἀποτελεσθέντα τοῦ διωγμοῦ τοιαῦτα· οὐκ εἰς μακρὸν δ' ἑτέρων κατὰ τὴν Μελιτηνὴν οὕτω καλουμένην χώραν καὶ αὖ πάλιν ἄλλων ἀμφὶ τὴν Συρίαν ἐπιφυῆναι τῇ βασιλείᾳ πεπειραμένων, τοὺς πανταχόσε τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας εἱρκταῖς καὶ δεσμοῖς ἐνεῖραι πρόσταγμα ἐφοίτα βασιλικόν (ed. Schwartz, Leipzig, 1908, p. 320).

queant permeare. Ex his verbis primo obtutu concludes Auctori amnem istum notum fuisse, immo forte eius patriam in confiniis rivi sitam esse. Re autem accuratius inspecta conclusionem falsam statim reicies. *Zab Minor* enim, ultra 400 kilometra longus ad maiores Mesopotamiae fluvios pertinet, maiore anni parte aquis per multas catarrhactas rapide ruentibus abundat et quamquam vada plurima habeat, permeatu nec ubique nec semper facilis est[1]. Si porro patria Auctoris in confiniis Zabatis Minoris sita fuerit, non liquet, cur opposuerit huic rivo non Tigridem propiorem sed Euphratem inde sat longe distantem? Ob has rationes magna cum probabilitate concludi debere arbitror lectionem codicum falsam esse et pro زَكُر legendum آقُر = *rivus*. Qua hypothesi stante sensus loci est aliquos viros etiam Euphratem turbidum et mare aestuans quoque posse traiicere, alios vero ne *rivulum* quidem parvum permeare.

CAPUT VI

De fontibus doctrinae Libri Graduum.

Doctrina L^i G. exposita sua sponte oritur quaestio, unde Noster placita sua hauserit. Quam quaestionem Auctor ipse ventilat in fine operis, illo excerpto, quod quidam Libri redactor prolegomenorum instar toti operi praeficit : *si quis autem,* ait, *reiiciat testimonia Scripturarum et Dñi et apostolorum dicatque : quis sciat haec ita esse,... reminiscatur scriptum esse : Spiritus prophetarum prophetis subest.* Ex his verbis redactor laudatus conclusit Auctorem prophetam fuisse. Sensus autem verborum alius est. Auctor nimirum in L^o G. nec ad traditiones occultas more Gnosticorum, nec ad revelationes ullas privatas provocare solet; si vero in illo excerpto verba Ioel prophetae allegat de effusione Spiritus Sancti super omnem carnem, non adeo de charismate prophetico sibi divinitus dato gloriatur, quam potius doctrinam suam Scripturis conformem, veram, atque orthodoxam esse contendit, simul etiam ius docendi sibi arrogat, etiamsi aliis placita sua insolita videantur. Quod si vero sententias suas verbis Dñi et apostolorum conformes asserat, saltem indirecte indicat systematis sui theologici fontem, nimirum speculationem illam philosophico-theologicam, quam capite III exposuimus, quamque ope interpretationis allegoricae Auctor ex ipsa Scriptura demonstrare conatus est.

Ex iis, quae dicta sunt, patet quaestionem circa fontes doctrinae L^i G. ultimatim ad illa scripta reduci, quibus Auctor theologumena sua fulcire satagit.

[1] *Nouveau dictionnaire de géographie universelle,* Paris, 1895, t. VII, p. 498, s. v. *Zab.* Reclus, *Nouvelle géographie universelle,* Paris, 1884, t. IX, p. 390.

Canonis Scripturarum, i. e. certae regulae ecclesiasticae de usu Scripturarum inspiratarum in L° G. nulla vestigia inveniuntur. Uti ostendetur, Noster ad instar Scripturarum allegat Opera, quae a Syris inde a saec. IV in canonem non admittebantur. Quinam libri sint inspirati non inquirit; eam quaestionem, sicut secus nec quaestiones alias scientificas, nullibi pertractat.

Modus citandi in L° G. servatus non differt a consuetudine antiquae Christianitatis. Libri sacri aut auctore nominato allegantur, aut formulis consuetis « scriptum est » ܟܬܝܒ, vel « dixit » ܐܡܪ. Citata persaepe particula ܟܕ φησὶ introducuntur. Haec autem particula etiam explicativa est et latine vocabulis « scilicet » vel « nempe » reddi potest. Hinc quandoque difficillimum est eruere, an Auctor citare velit, nec ne. Quod imprimis in dignoscendis citatis Evangelicis maximam parat difficultatem. Non enim canonicis Evangeliis sed Tatianeo Evangelio Διὰ τεσσάρων utitur Auctor; cuius textum plerumque ignoramus, vero effata quandoque tam insolita tribuit Salvatori, ut erui prorsus nequeat utrum ea re vera in suo Evangelio habuerit, an memoriae confisus lapsus sit; hinc usus particulae ܟܕ necessario ambiguus est.

Modo Scripturas in L° G. citatas breviter perpendamus :

1. Codices in usu sacro Ecclesiae adhibere solitos modo consueto appellat : Sermone XI mentionem facit *Legis, Prophetarum, Evangelii* atque *Apostoli*. Ministrum, libros secros praelegentem ܣܦܪܐ « scribam » dicit [1]. Legem ubique ܢܡܘܣܐ appellat, vocabulo aramaico ܐܘܪܝܬܐ rarissime (Serm., XXII, 21) utitur. Evangelium vicissim plerumque ܣܒܪܬܐ dicit, rarissime ܐܘܢܓܠܝܘܢ [2].

2. Antiquum testamentum iuxta Vulgatam Syriacam Pešîṭta citatur. Libri A[i] T. paucis exceptis, uti Iudicum, Abdias; omnes citantur et quidem non solum in ea extensione quo in canone antiquo Syrorum continebantur, sed e deuterocanonicis Sapientia Sirach bis allegatur : Serm., XIX, 3 (ubi codex C legit : « *ut dicit Bar Asîra* »; reliqui : *scriptum est*), attamen tam negligenter, ut super citato disquisitio institui omnino non possit. — Serm., VII, 18 inter medicinas utiles enumerantur ܥܩܪ̈ܐ ܕܡܙܝܥܝܢ ܠܢ ܘܠܫܘܚ̈ܢܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܒܪ ܣܝܪܐ *radices quae nos commovent et tumoribus bonae sunt, sicut dicit filius Sîrā*. Verba ad Eccli., XXXVIII, 4 alludunt; at verbotenus in nullo textu reperiuntur [3].

[1] Serm. XI, 1.

[2] Serm. XI, 1; XXII, 21. 23.

[3] Cf. Textum hebraicum recenter detectum :

אל מארץ מוציא תרופות : וגבר מבין אל ימאס בם :
הלא בעץ המהיקו מים : בעבור להודיע כל אנוש כחו :
ויתן לאנוש בינה : להתפאר בגבורתו :
בהם רופא יניח מכאוב : וכן רוקח עושה מרקחת :

Deus de terra produxit remedia et vir intelligens ne spernat ea. Nonne ligno dulces factae sunt aquae ad annunciandam potentiam eius? Et dedit homini intelligentiam,

3. Evangelia canonica L. G. prorsus ignorat. Nomina Evangelistarum nunquam commemorat, textus vero, quos formulis usitatis ܐܡܪ ܡܪܢ *dixit Dñs,* vel ܟܬܝܒ ܒܐܘܢܓܠܝܘܢ *scriptum est Evangelio* allegare solet, cum nulla translationum Tetraevangeliorum syriacarum, quae hucusque notae sunt, sed quandoque cum citatis Aphraatis mirum in modum concordant. Iam vero notissimum est Aphraatem « Evangelium » Tatiani, olim in usu ecclesiastico Syrorum loco tetraevangelii canonici adhiberi solitum allegasse. Inde concludendum est etiam « Evangelium » L[1] G. Diatessaron Tatiani esse. Ad rem probandam pauca iam citata sufficiunt.

MATTH., V, 4.

Aphraatis [1].	Liber Graduum [2].
Et promisit mitibus eos haereditaturos esse *terram vitae.*	Beati mites, quia ipsi haereditabunt *terram vitae.*

Additamentum *terram vitae* secus nullibi occurrit.

MATTH., V, 18.

Aphr. [3].	L. G. [4].
Dixit Dñs : *Iota, signum unum* de Lege et Prophetis non praeteribit, donec omnia fiant.	Igitur, ait, *iota, signum unum non* praeteribit a Lege et Prophetis.

Utrumque citatum in eo convenit, quod omisso ἢ verba : μία κεραία syriace ܐܬܐ ܚܕܐ redduntur, ad τοῦ νόμου vero additur : *et prophetis.* Prima lectio occurrit in *Didascaliis Apostolorum* cap. XXVI (= *Const. Apost.,* VI, 19,2 et 20,4 ed. Funk p. 346 $_{14\ sq.}$ 348_{4-8}) et in Codice Lewisiano (ed. Burkitt, p. 22); alteram lectionem habet *Syrus Hierosol.* et Irenaeus *Haer.,* IV, 46, 1 ed. Harvey, II, 270 (cf. Resch, *Aussercanonische Paralleltexte zu d. Evangelien,* Leipzig, 1895, fasc. III, p. 442 sq.

ut glorificetur in virtute sua. His medicus sedat dolorem et ita unguentarius parat unguentum. Cf. Strack, *Die Sprüche Iesus' des Sohnes Sirachs,* Leipzig, 1902, p. 33. Peters, *Der jüngst wiederaufgefundene hebräische Text des Buches Ecclesiasticus,* Freiburg, 1902, p. 384. In *Midraš Berešîth rabba,* par. 10, § 6, idem textus sic allegatur : אלוה העלה סמים מן הארץ׳ בהם הרופא מרפא את המכה ובהם הרוקח מרקה את המרקחת : *Deus ascendere fecit medicamenta de terra; his sanat medicus plagam et ex his unguentarius componit unguentum.* Cf. Cowley and Neubauer, *The Original Hebrew of a portion of Ecclesiasticus,* Oxford, 1897, p. XXVI, n. LV.

1 *Dem.* II, 19 (*P. S.* I, 89_9).

2 *L. G.* S. V, 4.

3 *Dem.* II, 7 (*P. S.* I, 61_8). — *Ibid.* (P. S. I, 63_8).

4 *L. G.* XXII, 21.

MATTH., V, 44.

Aphr. [1].	L. G. [2].
Diligite inimicos vestros et benedicite maledicentibus vobis et orate pro his qui *vexant* vos et persequuntur vos.	Dilige odientem te et benedic maledicenti tibi et ora pro eo qui te *vexat* et persequitur te.

In hoc textu lectioni canonicae ἐπηρεαζόντων vocabulum syriacum ܕܡܠܥܒܝܢ correspondet quod praeter codicem B Aphraatis [3] nullibi secus reperitur.

MATTH., XVIII, 7.

Aphr. [4].	L. G. [5].
Scriptum enim est : *Bonum* futurum est fieri et beatus, per cuius manus fit. Et *malum* futurum est fieri, verumtamen vae ei, per cuius manus *venit*.	Scriptum enim est : *Malum venit* verumtamen vae ei, per cuius manus venit.

Apocrypha haec textus canonici forma praeter Aphraatem et L[um] G. in solis Clementinis (Hom. XII, 29; Epitome cap. 96) occurrit [6].

IO., XXI, 15-17.

Aphr. [7].	L. G. [8].
Dixit Dñs ipsi Simoni Petro : *Pasce mihi gregem meum et agnos meos et oves meas.*	Dixit, sicuti Simoni : *Si diligis me, pasce mihi gregem meum et agnos meos et oves meas et agnellos meos.*

Locus hic Evangelii S. Ioannis nonnisi apud Aphraatem et L[um] G. hanc in compendiosam formam redactus legitur.

Aliis textibus comparandis supersedemus notantes multa citata Dominica in L[o] G. inveniri, quae a textu canonico omnino discrepant. Huc spectant loci : Serm., XXII, 15 cf. Matth., XIX, 9; XXII, 11 (de Iudaeis Christo in cruce pendenti illudentibus) — XV, 14 cf. Matth., XXVII, 52 — XIX, 27 cf. Luc., IX, 53 sq. — III, 4 cf. Luc., XVIII, 8 — XVII, 4 cf. Luc., XXIII, 34 — XIV, 3 cf. Io., V, 24 — XXIII, 5 cf. Io., VI, 71 — XXIII, 10 cf. Io., X, 37; VI, 42; X, 38 — XVII, 5 cf. Io., XI, 7, 8, 16.

[1] *Dem.* II, 12 *P. S.* I, 73_{12}.
[2] Serm. II, 2 Cf. XIX, 12; XXX, 2.
[3] Codex A legit ܕܡܩܛܪܓܝܢ *qui vos accusant.* Cf. Burkitt, *Evangelion Da-Mepharreshe,* vol. II. Cambridge, 1904, p. 110 sq.
[4] *Dem.* VI, 15.
[5] Serm. V, 8, 9, 11.
[6] V. Resch, *Agrapha* [2], p. 106.
[7] *Dem.* X, 4 *P. S.* 1, 453_{7}.
[8] Serm. XII, 6.

4. Epistolae S. Pauli (excepta ad Philemonem) omnes citantur. Textus citatorum a Vulgata Syrorum notabiliter quidem non differt aperta tamen maioris antiquitatis signa prae se fert, siquidem cum lectionibus Aphraatis contra textum vulgatum concordat. Quae concordia vix aliter explicari potest, nisi supponas versionem Epistolarum S. Pauli apud Syros Vulgatam non esse antiquissimam, sed meram redactionem antiquioris translationis, qua et Aphraates et L[i] G. auctor adhuc utebantur. Assertio haec tanti momenti est pro historia translationum textus sacri in Ecclesia Syrorum, ut accuratiore demonstratione indigeat. Hunc in finem aliquot citata et Aphraati et L° G. communia examini critico subiiciemus.

Rom. VIII, 9. L. G. III, 11 : ܐܢ ܐܝܬ ܒܟܘܢ ܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ *Si est in vobis spiritus Dei*. Aphraates *Dem*. VIII, 5 (*P. S.* I, 369_9) : ܐܢ ܐܝܬ ܒܟܘܢ ܪܘܚܐ ܕܡܫܝܚܐ. Pešîṭta : ܐܢ ܫܪܝܪܐܝܬ ܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ ܥܡܪܐ ܒܟܘܢ = εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, uti in Graeco textu legitur.

Rom. XV, 1. L. G. IV, 3 (cf. XIX, 29; XXX, 14) : ܡܚܝܒܝܢ ܠܗܘܢ ܚܝܠܬܢܐ ܕܟܘܪܗܢܐ ܕܟܪܝܗܘܬܐ ܢܫܩܠܘܢ *Tenentur fortes infirmitatem infirmorum sustinere*. Aphraates *Dem*. VII, 11 (*P. S.* I, 332_{10}) cum L° G. ܟܪܝܗܘܬܐ legit; in Peš. ܡܚܝܠܐ; vicissim L. G. cum Peš. l. ܚܝܠܬܢܐ; Aphr. ܐܠܝܨܝ ܕܡܗܝܪܝ.

I Cor. I, 27. L. G. XXVII, 5 : ܓܒܐ ܐܠܗܐ ܠܒܘܪܝܐ ܕܢܒܗܬ ܒܗܘܢ ܠܚܟܝܡܐ *Elegit Deus idiotas, ut confunderet per eos sapientes*. Aphr. *Dem*. XI, 29 (*P. S.* I, 698_7) cum Peš. l. ܠܣܟܠܘܬܗ (τὰ μωρά); ex altera parte cum L° G. ad ܕܢܒܗܬ addit ܒܗܘܢ, quod in Peš. deest.

I Cor. VIII, 8. L. G. XV, 6 : ܡܐܟܘܠܬܐ... ܠܐ ܡܩܝܡܐ ܠܢ ܩܕܡ ܐܠܗܐ *Cibi... non statuunt nos coram Deo*. Aphr. *Dem*. XV, 2 (*P. S.* I, 732_{11}) cum L. G. l. ܡܩܝܡܐ ܠܢ; Peš. ܡܩܪܒܐ.

I Cor. XII, 31. L. G. XXVIII, 3 : ܐܘ ܛܢܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܡܘܗܒܬܐ ܪܘܪܒܬܐ ܐܚܘܝܟܘܢ ܡܘܗܒܬܐ ܕܪܒܐ ܡܢ ܟܠܗܝܢ *Si aemulamini charismata magna, ostendam vobis charisma, quod maius omnibus est*. Aphr. *Dem*. II, 16 (*P. S.* I, 81_8) : ܐܢ ܛܢܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܡܘܗܒܬܐ ܪܘܪܒܬܐ ܐܢܐ ܗܘ ܡܚܘܐ ܐܢܐ ܠܟܘܢ ܐܘܪܚܐ ܡܘܗܒܬܐ ܡܝܬܪܬܐ. Peš. textum canonicum accurate transferens l. ܐܢܐ ܗܘ ܡܚܘܐ ܐܢܐ ܠܟܘܢ ܐܘܪܚܐ ܡܝܬܪܬܐ = ὑπερβολὴν ὁδὸν ὑμῖν δείκνυμι.

I Cor. XV, 40. L. G. XVI, 12 : ܐܚܪܝܢܐ ܗܘ ܐܡܪ ܫܘܒܚܐ ܕܒܫܡܝܐ ܘܐܚܪܝܢܐ ܕܒܐܪܥܐ *alia est, ait, gloria in caelo et alia est in terra*. His verbis in textu graeco ἑτέρα μὲν ἡ τῶν ἐπουρανίων δόξα, ἑτέρα δὲ ἡ τῶν ἐπιγείων correspondet. Adverte modo paraphrasticam interpretationem verborum : ἐπουρανίων... ἐπιγείων. Hic quidem locus ab Aphraate non citatur, initium autem eiusdem loci allegatur *Dem*. VIII, 4 (*P. S.* I, 365_{23}) : ܐܚܪܝܢܐ ܗܘ ܦܓܪܐ ܕܒܫܡܝܐ ܘܐܚܪܢܝ ܕܒܐܪܥܐ *aliud est corpus in caelo et aliud in terra;* in graeco : Καὶ σώματα ἐπουράνια καὶ σώματα ἐπίγεια; Peš. : ܘܐܝܬ ܦܓܪܐ ܫܡܝܢܐ ܘܐܝܬ ܦܓܪܐ ܐܪܥܢܐ : ܐܠܐ ܐܚܪܢܝ ܗܘ ܫܘܒܚܐ ܕܫܡܝܢܐ ܘܐܚܪܢܝ ܕܐܪܥܢܐ graecum textum ad litteram interpretans. Simili ratione redditur gr. πνευματικός in I Cor. II, 15 apud Aphraatem *Dem*. VIII, 5 (*P. S.* I, 370_3) : ܒܪܢܫܐ ܕܪܘܚܐ; Peš. ܪܘܚܢܐ.

II Cor. V, 8. L. G. XX, 14 cf. XV, 15 : ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܦܘܠܘܣ ܕܐܡܬܝ ܕܢܦܩ ܡܢ ܦܓܪܐ... *Sicut dixit Paulus : quando discedemus e corpore* etc. Simili ratione legit et Aphraates *Dem*. VIII, 23 (*P. S.* I, 404_3); Peš. om. ܕܐܡܬܝ, et legit ܕܢܦܩ cum textu graeco : θαρροῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος κτλ..

II Cor. v, 10. L. G. VIII, 4 cf. XIV, 3 : ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܫܠܝܚܐ : ܕܟܠܢ ܠܡܩܡ ܐܝܬ ܠܢ ... *Sicut dixit Apostolus : Omnibus nobis standum est* etc. Similiter et Aphraates *Dem*. VIII, 5 (*P. S.* I, 368_3); Peš. : ܟܠܢ ܓܝܪ ܥܬܝܕܝܢܢ ܠܡܩܡ.

Gal. VI, 1. L. G. IV, 3 : ܕܐܢܫ ܡܢܟܘܢ ܡܬܡܚܠ ܒܣܟܠܘܬܐ ܐܢܬܘܢ ܒܪܘܚܐ ܡܟܝܟܬܐ ܐܬܪܘܗܝ *qui, inquit, defectu aliquo laborat, vos, ait, spiritu humili eum commonefacite*. Finis negligenter quidem allegatur at eius initium prorsus concordat cum lectione Aphraatis *Dem*. VII, 11 (*P. S.* I, 329_{23}) : ܕܐܢ ܐܢܫ ܡܢܟܘܢ ܢܬܡܚܠ ܒܣܟܠܘܬܐ contra Peš. : ܕܐܢ ܐܢܫ ܡܢܟܘܢ ܢܬܩܕܡ ܒܣܟܠܘܬܐ.

Hebr. xii, 13. L. G. XI, 4 cf. XIX, 29 : ܕܚܓܝܣܐ ܠܐ ܢܬܚܒܠ *claudus ne absumatur*. Simili ratione Aphraates *Dem*. VII, 11 (*P. S.* I, 332_{12}) ܕܡܢ ܕܚܓܝܣܐ ܠܐ ܢܬܚܒܠ; Peš. : ܕܗܕܡܐ ܕܚܓܝܣܐ ܠܐ ܢܬܥܩܠ *membrum claudi ne labatur*.

Undecim citata heic examinata lectiones tam singulares exhibent, ut eorum concordia casui fortuito ascribi nequeat et stricte probet thesem nostram : *et Aphraatem et L*um *G. recensionem aliquam translationis Epistolarum S. Pauli antiquiorem textu Vulgatae Syrorum allegare*. Unde maxima cum probabilitate concludendum est textum Vulgatae Syrorum translationem Epistolarum Paulinarum continentem non esse versionem primigeniam, sed antiquioris illius interpretationis meram redactionem, cuius fragmenta in citatis Aphraatis Librique Graduum servata sunt.

5. Actus Apostolorum Serm., XXX, 5 sub titulo ܦܪܟܣܝܣ ܕܬܪܥܣܪ ܫܠܝܚܐ, πράξεις τῶν ιβʹ ἀποστόλων allegatur, eodem qui etiam in *Doctrina Addaei* reperitur [1]. Ipsa citata perpauca ut sunt, a textu canonico valde differunt; non quod auctor in allegando negligens fuerit, sed propter additamenta spuria textui illata, quae fortissimam movent suspicionem ea ex opere aliquo apocrypho hausta esse.

Act., ii, 2. L. G. V, 18 : *Cum igitur huncce Paraclitum accepissent Apostoli illa die simul, timor cecidit super eos*. Item, xx, 10 : *Sicut scriptum est : orantibus Apostolis et supplicantibus sicut ostendit eis Dñs, resplenduit locus, ubi erant et venit odor suavitatis Spiritus Paracliti quasi de vehementia*.

Utrumque citatum nova momenta addit ad narrationem Actuum canonicam : Timorem Apostolos irruentem et fragrentiam Sp. S. venientem. Similia leguntur in Commentario Išoʿdad Ḥdatensis episcopi cuius excerpta in Codice syriaco quoque Bibl. Bodleyanae B.O. 624 exstant. Fol. 83b Codicis laudati haecce leguntur (ed. M.D. Gibson, Cambridge, 1913, t. IV, p. 10) :

Iudaeis autem in Templo congregatis ad orandum, discipuli quidem congregati erant in coenaculo et absconderunt se a secta crucifigente [2]. *De repente vox tonitrus vehementis facta est et ob vehementiam sonus confusi sunt habitatores Ieru-*

[1] Ed. Phillip, p. ܡܘ.

[2] Paronomasi singularis; ex verbis Io. xix 19 : διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων (ܡܢ ܕܚܠܬܐ ܕܝܗܘܕܝܐ) orta est sententia textus citati; nam ܕܚܠܬܐ etiam *sectam* significat.

salem. Et apparuit super caenaculo illo ignis in similitudinem globi ardentis factus et vapor fumi et odor suavis fragrans in medio coenaculo et in circuitu eius. Et ex illa flamma ignea dispertita sunt dona in forma linguarum ignitarum et descendentes considerunt supra capita Apostolorum. Dum super Duodecim in forma linguarum descendit spiritus, super Septuaginta quidem et super reliquos, viros mulieresque, in similitudine lucis suffusae effusus est[1].

Citatum hoc singularem similitudinem prae se fert cum illa miraculosa narratione baptismi Christi, quae hinc inde apud antiquos legitur[2].

Ad textum canonicum Actuum tuto referri possunt adhuc loci : XXX, 5 = Act. V, 38; XIX, 28 = Act. X, 28; V, 16, 17 = Act. X, 14, 15; XI, 2 sq., X, 28 valde negligenter allegati, quapropter eorum examini supersedemus.

6. Dubiae originis est locus Sermonis, V, 18 : *Notum habemus* [apostolos] *postquam Paraclitum acceperant, timuisse ad gentes ire, donec Dñs Simonem increpasset. Et Simon increpavit socios suos, nam inter lupos misit nos Dñs, non ad agnos iustos.*

Verba haec in eodem fere contextu in *Actis Ioannis* Prochoro adscriptis inveniuntur[3]; in Actis syriacis a Wright editis desunt quidem, sed et ibidem quoque Sermo aliquis Simonis Petri ad Apostolos habitus supponitur[4].

Eodem Sermone, V, 19 aliud adhuc citatum dubiae originis reperitur. Auctor refert « *Apostolos aliquando prae timore haud recte praedicasse* tuncque eis *Paulum dixisse : Non accepistis Spiritum timoris* » (Rom., VIII, 15; II Tim., I, 7) *quibus verbis confortati se morti tradiderint.* » Primo obtutu Auctor ad disceptationem S. Pauli cum Cepha Antiochiae habitam[5] alludere videtur (uti Serm., V, 18 ipse quoque indigitat) et ad eam referre verba : ܠܐ ܢܣܒܬܘܢ ܪܘܚܐ ܕܕܚܠܬܐ *non accepistis Spiritum timoris*. Notandum autem est, Pauli verba heic allegata neque in Epistola ad Rom., VIII, 15 neque in II Tim., I, 7 verbotenus inveniri, sed ex ambolus locis conflata esse. Demum non liquet, quo iure concludat Auctor Apostolos verbis *Pauli* confortatos *se ad mortem tradidisse*. Citatum probabiliter ex quibusdam Actibus Apostolorum apocryphis manasse videtur.

Idem suadent verba Sermonis, V, 17 et XXX, 19, ubi Apostoli non carnes,

[1] Fol. 83[b] : ܟܕ ܕܝܢ ܫܠܝ̈ܚܐ ܟܢܝܫܝܢ ܗܘܘ ܒܥܠܝܬܐ ܕܡܪܩܘܣ ܐܘܢܓܠܝܣܛܐ ܕܝܢ ܟܢܝ̈ܫܝܢ ܗܘܘ ܘܡܨܠܝܢ ܒܥܠܝܬܐ ܡܢ ܕܚܙܝܬܐ ܙܒܢܬܐ : ܡܢ ܫܡܝܐ ܩܠܐ ܐܝܟ ܙܥܦܐ ܥܫܝܢܐ ܕܡܠܐ ܐܠܗ̇ ܗܘܐ ܒܝܬܐ ܟܠܗ ܒܐܘܪܫܠܡ. ܘܐܬܚܙܝܬ ܠܥܠ ܡܢ ܥܠܝܬܐ ܗܝ ܢܘܪܐ ܒܕܡܘܬܐ ܕܟܘܪܐ ܝܩܝܕܐ ܕܡܬܓܡܪܐ. ܘܗܘܐ ܕܐܬܢܐ ܘܪܝܚܐ ܒܣܡܐ ܕܒܣܡ ܒܓܘ ܥܠܝܬܐ ܘܚܕܪܝܗ̇. ܘܡܢ ܫܠܗܒܝܬܐ ܗܝ ܢܘܪܢܝܬܐ ܐܬܦܠܓܝ ܗܘܘ ܡܘܗ̈ܒܬܐ (fol. 84[a]) ܒܐܣܟܡܐ ܕܠܫܢ̈ܐ ܢܘܪ̈ܢܐ. ܘܢܚܬܝ ܘܫܪܝܝ ܥܠ ܪ̈ܫܝܗܘܢ ܕܫܠܝ̈ܚܐ. ܟܕ ܥܠ ܬܪܥܣܪ ܒܐܣܟܡܐ ܕܠܫܢ̈ܐ ܢܚܬ ܪܘܚܐ : ܥܠ ܫܒܥܝܢ ܕܝܢ ܘܥܠ ܫܪܟܐ ܓܒܪ̈ܐ ܘܢܫ̈ܐ ܒܕܡܘܬܐ ܕܢܘܗܪܐ ܐܫܝܕܐ ܐܬܐܫܕ. ܒܕܡܘܬܐ ܕܢܘܗܪܐ.

[2] Cf. Iacoby, *Ein bisher unbeachteter apokrypher Bericht über die Taufe Jesu*, Strasbourg, 1902, p. 40 seqq.

[3] *Acta Ioannis* ed. Zahn, Erlangen, 1880, p. 4_7.

[4] W. Wright, *Apocryphal Acts of the Apostles*, London, 1871. T. I, p. 4.

[5] Gal. II, 11-17.

sed *herbas et olivae fructus manducasse* atque *assiduo ieiunasse* referuntur. Quae narratio quidem in Actis Thomae [1] atque Ioannis [2] quoque invenitur vix autem fons L[i] G. censeri potest, nam utrobique vivendi ratio *singulorum* Apostolorum describitur, Noster vero de omnibus in communi loquitur. Simile citatum legitur in Epistola Rabulae, episcopi Edesseni *ad Gamalianum,* in qua verba Petri allegantur ad Clementem discipulum dicentis : *Nonne panem et olivas manducamus nos et, si quando occurrit olera* [3] *?* Quae verba certissime ex *Homilia Clementina,* XII, 6 hausta sunt [4]; an vero Noster hoc eodem fonte usus sit, decidere non possumus.

Certum autem omnino est, Auctorem Acta Apostolorum apocrypha aliqua nota habuisse iisque usum esse. Sermone, XXVII, 3 ad poenam combustionis in Theclam latam alludit. Serm., XVII, 7 de passione Apostolorum disserens moribundis eiusmodi fere verba in ore ponit, quae etiam in *Actis Pauli* tum graecis [5], tum latinis leguntur [6]. *Acta Thomae* quoque nosse videtur, uti in notis ad XXI, 12 et XXIX, 8 observatum est. Auctor novit Ioannem morte naturali obiisse eumque maiorem dicit Apostolis martyrium passis [7].

Ex aliis libris antiquae Christianitatis sacris citat Διδαχήν, cuius cap. VIII, 1 Serm., VII, 20 formula ܟܬܝܒ tamquam librum sacrum allegat. Sermone, XIII, 3 pariter ad cap. VIII, 3 eiusdem operis alludere videtur. Quae ibidem de primitiis sacerdotibus dandis leguntur pariter ad cap. XIII, 3 eiusdem operis referenda esse videntur. Dubia est origo loci Serm., II, II, 1 ubi verba Matth., V, 39 cum additamento ἔσῃ τέλειος leguntur, quod etiam in Did., I, 4 invenitur. Aeque tamen possibile est Auctorem additamentum illud in suo « Evangelio » habuisse. Idem dicendum est de verbis : *quod ipse odisti, alii ne feceris* bis (Serm., VII, 1 et XXII, 15) allegatis. Cf. Did., I, 2. Cum autem effatum illud ab aliis quoque auctoribus tamquam verbum Domini recitetur [8] nequit decidi, utrum ex « Evangelio » Auctoris, an vero e Didache proferatur.

Ad *Pastorem* Hermae (Sim., VI, 5-7) referenda videntur verba L[i] G., VII, 20 de delectationibus nocivis. Vocabulum latinae originis ܐܣܛܛܝܘܢ statio, quo

[1] Ed. Bonnet, p. 22. Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum,* III, 21, 28. Cf. Lipsius, *Die Apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden,* Braunschweig, 1883, I, p. 342.

[2] Ed. Bonnet, p. 154 sq. Wright *o. c.,* p. 8, cf. Lipsius *o. c.,* p. 520.

[3] Overbeck, *Ephraemi Syri, Rabulae... aliorumque opera selecta,* Oxonii, 1864, p. 237.

[4] Cf. Walter Bauer, *Der Apostolos der Syrer,* Giessen, 1903, p. 19.

[5] Ed. Lipsius, p. 114_{5-7}.

[6] Ed. Lipsius, p. 33_{8-10}.

[7] Serm. XXX, 6.

[8] V. G. Resch, *Das Aposteldecret nach seiner ausserkanonischen Textgestalt,* Leipzig, 1905, p. 15 sq. Cf. A. Resch, *Agrapha* [1], p. 30-39; idem, *Asserkanonische Paralleltexte,* t. I, p. 25-37; *Agrapha* [2], p. 60.

Serm., VII, 20; XIII, 2, 3, ieuinium designatur, pariter Pastori (Sim., V, 1) in acceptis referendum est.

7. Adhuc citata quaedam ignotae omnino originis pertractanda sunt.

Serm., III, 3 : *Postquam percussi estis et vapulastis, si viceritis et ascenderitis et agone et bravium acceperitis et cum ipso bravio exieritis ex hoc saeculo : non memorabuntur defectus vestri, sed quemadmodum inventi fueritis in victoria, assumemini coronati.*

Finis citati : *sicut inventi fueritis, assumemini* etiam seorsim saepius (v. g., XV, 4; XXIV, 2) allegatur. A patribus Graecis effatum simile in forma duplici citatur : 1) Iustinus *in Dialogo cum Tryphone,* cap. 47. Domino tribuit verba[1] : ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω ἐν τούτοις καὶ κρινῶ, 2). Communior est autem altera citati forma : ἐφ' οἷς ἂν εὕρω ὑμᾶς ἐπὶ τούτοις κρίνω[2], quae docente A. Resch e verbis Ezechielis, VII, 8; XVIII, 30, XXXIII, 20 orta est. In L° G. duae citati formae hunc in modum conflatae leguntur : ἐφ' οἷς ἂν εὕρω ὑμᾶς ἐν τούτοις καὶ καταλάβω. Cum Serm., III, 3 verba illa cum effato aliquo ignoto Domini iuncta inveniantur, probabile videtur ea ex Evangelio Auctoris hausta esse.

Serm., XIV, 19 tamquam effatum inspiratum allegatur sententia : *Noli possidere quidquam in terra.* Eadem verba leguntur apud S. Ephraemum[3] et in Doctrina Addaei[4] et maxima cum probabilitate e textu interpolato Ev. S. Matthaei, x, 9 hausta sunt.

Serm., V, 18 : Sicut dixit Dñs : *Incapax est mundus Paracliti, sed doni commixtionis capaces sunt filii saeculi, qui iusti sunt.*

Serm., XX, 13 : *Vos,* inquit, *patienter orate pro ipsis, ut salventur. Si poenitentiam,* inquit, *egerint, ecce eos ipsos pudebit delictorum suorum et adibunt vos et vivent...*

Origo utriusque citati nos prorsus latet.

8. Supersunt adhuc aliquot citata ad Antiquum Testamentum spectantia :

Serm., XXVI. *Liber Adae* aliquis allegatur. Partes eiusdem minores habes Serm., X, 5 et XV, 12. Argumentum : lex iustitiae Adae data. De ea cf. cap. III, 33 dicta.

Serm., XXI, 9 historia aliqua lapsus Adae recitatur, de qua cap. III, 16 fusius egimus :

Serm., XIII, 4 de *Henoch* dicitur : ... *qui postquam genuerat Mathusalem, sanctificatus est, nec gustavit mortem.* Ad mentem Auctoris Henoch genito Mathusalem vitam continentem amplexus est. Unde autem hanc narrationem

[1] V. Resch, *Agrapha*², p. 102.
[2] *O. c.*, p. 322 seqq.
[3] *Opp. Graec.* II, 232. *S. Ephraemi... opera selecta* ed. Overbeck, p. 139_{11}.
[4] Ed. Phillips, p. ܠܘ. V. Resch. *Agrapha*², p. 198.

hauserit prorsus incertum est; forte ex aliquo libro apocrypho placita Encratitarum propugnante.

Serm., IX, 8 de beneficentia Abrahae in pauperes agitur eique effatum ignotae originis tribuitur : *Facite vobis eleemosynas in tabernaculis vestris de praediis vestris.* Sententia similis est effato Dñi apud Luc., xvi, 9 et probabiliter ex libro christiano renunciationis doctrinam praedicante desumpta est.

Serm., IX, 8. Deus Abrahae dixisse fertur : *Merces tua magna est valde, quia abiisti et rediisti ad verbum meum nec avarus factus es praedae.* Cf. Gen., xv, 1. Sententia eundem spirat animum cum priore.

Serm., IX, 21 scriptum esse refertur fratres Iosephi *cum eis benefecisset in Aegypto, ei malum retribuisse et in eum irruisse, ut eum occiderent.* Amplificatio secus ignota narrationis S. Scripturae ad instar Haggadicarum fabularum.

Serm., IX, 2 verba Exod., v, 2 hocce modo allegantur : *Quaenam est fama Domini* [dicunt impii], *sicut dixit Pharao : Quid mihi rex Dominus, cuius legati sunt Moyses et Aaron?* Simile citatum occurrit Serm., XIII, 3 et 9 et ideo error in citando exclusus est; verba pariter haggadica expositio textus canonici videntur.

Usus igitur Scripturarum qui in L° G. observatur, uti exempla allata sat superque ostendunt, maximam antiquitatis speciem prae se ferunt et per omnia confirmant de aetate L^{i} G. capite praecedente dicta.

APPENDIX I

Antiquorum testimonia de historia et doctrina Messalianorum sectae[1].

Elenchus operum heic excerptorum.

Ephraem Syrus, ex *Sermone XXII adv. haereses*. . . . N. I
Epiphanius, *Haer. LXXX*. . . . . — II
Hieronymus, *Prologus in dial. adv. Pelagianos*. . . . . — III
Maruthas, *Catalogus Haeresium*. . . . . — IV
Nilus, *De voluntaria paupertate ad Magnam*. . . . . . — V
Ephesina Synodus, *Definitio contra impios Messalianos*. — VI
Cyrillus Alex., *Epist. ad Amphilochium*. . . . . — VII
Synodus Šahapivonensis, *Can. XIV*. . . . . — VIII
Theodoretus, *Hist. Eccl.* IV, 10; *Haer. Fab. Comp.* IV, 11. . . . . — IX-X
Apophthegmata Patrum : De abbate Lucio. . . . . . . — XI
Philoxenus Mabbugensis, *Epistola ad Patricium*. . . . — XII
Severus Antiochenus, *Epistola ad Entrechium*. . . . . — XIII
Timotheus Constantinopolitanus, *De iis, qui ad Ecclesiam accedunt*. . . . . — XIV
Maximus, *Scholia in l. de Ecclesiastica Hierarchia*. . . . — XV
Ioannes Damascenus, *Haer. LXXX, XCVIII*. . . . . . — XVI-XVIII
Theodorus bar Choni, *Scholia*, l. XI. . . . . — XIX-XX
Photius, *Bibliotheca*, Codex LII. . . . . — XXI
Michael Magnus, *Chronicon*. . . . . — XXII
Euthymius Zigabenus, *Panoplia dogmatica, Tit. XXVI*. — XXIII
Gregorius Bar Hebraeus. *Candelabrum Sanctorum*. . . — XXIV
Chronicon. . . . . — XXV
Historia Dynastiarum. . . — XXVI
Synodicon Nestorianorum. . . . . — XXVII-XXXI

[1] Praeter opera in elencho indicata alia quaedam in cap. IV. Praefationis nostrae citantur, in quibus Messalianorum mentio obiter duntaxat fit, quosque propterea in hanc documentorum collectionem non recepimus. Quae sunt : *Vita Rabulae, Chronicon* anonymum a Guidi editum. Babay Magnus, *Commentarius in Centurias Evagrii. Historia ecclesiae Adiabenae* auctore Mešîḥâ-zᵉkâ. Thomae Margensis *Liber Superiorum*. Relatio *Synodici Arabici* de Messalianis. — Penitus neglеximus scripta quaedam, quae pro re nostra nil memoratu digna continent : Citata ex refutatione Lampetianorum a Severo composita et a Wolf edita; verba *Catenae* in II Petri III, 1-4 ed. Cramer, VIII, 98; relationem Constantini Harmenopuli recentioris aetatis, etc.

I

Ex Sermone xxii. S. Ephraemi Syri Adversus haereses[1].

ܘܡܣܠܝܢܐ ܕܐܙܕܠܠܘ:	Et Messalianos lascivos factos
ܛܒܐ ܠܡܪܥܝܗ ܢܦܢܐ ܐܢܘܢ.	Bonus in suum ovile reducat.
ܗܐ ܦܠܛܢ ܐܝܕܝܗܘܢ ܡܢ ܟܠ:	En, manus eorum omnia fugiunt
ܘܠܝܬ ܙܐܙܐ ܠܡܐܚܕ ܒܗ.	Nec datur ansa[2] cui inhaereant.

II

S. Epiphanius.

Haeresis LXXX, Contra Massalianos, quibus accedunt Martyriani e Gentilium numero nec non et Euphemitae et Sataniani[a].

1 ... [2] φῦσα [b] γὰρ μετὰ ταύτας πάλιν τὰς αἱρέσεις μωρά τις καὶ πάσης ἀφροσύνης ἔμπλεως ἐπανέστη ἡμῖν ἑτέρα τις, γελοῖος μὲν ὅλη, ἀσύστατον [c] ἔχουσα τὸ φρόνημα, καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἡπατημένων. [3] Μασσαλιανοὶ δὲ οὗτοι καλοῦνται ἑρμηνευόμενοι εὐχόμενοι. [4] ἦσαν δὲ πρὸ χρόνου τινός,

1 ... Nam post superiores illas haereses stolida quaedam ac vecordia plenissima alia nobis iterum emersit, tota quidem ridicula, inconsistentem tenens opinionem et viris et mulieribus in errorem inductis. Massaliani autem appellantur isti, quae vox

[1] *Opp. S. Ephraemi* ed. Rom. Syr.-lat. t. II, 485 E. Editor textui syriaco hancce paraphrasim adiecit : *Nec non Messalianos, postquam ad inertiam et voluptates corporis suas cupiditates solverunt* [ruina oppressit]. *Nunc vero miseros omnis destituit salutis spes, nec firmum ac stabile quidquam se offert, quo apprehenso se a casu sustineant, nec lacinia quidem iuxta praetereuntis amici.*

[2] ܙܐܙܐ (ed. Rom. ܐܙܐܙܐ) tres syllabas efficere deberet iuxta metrum; in lexicis duas tantum syllabas habet; vocabulum significat ansam, qua vestes coaptantur. Bar Bahlul (ed. R. Duval col. 2029) عروة القميص, *ansa tunicae.*

[a] Siglorum explicatio : J = Codex Jenensis A D, 1304. V = Codex Vratislaviensis Bibliothecae Rehdigerianae saec. XV (cf. Opp. S. Epiphanii ed. Dindorf. Vol. I, Lipsiae, 1859, p. III-V). B = editio Basileensis auctore Oporino, 1544. d = Editio Dindorfi Vol. III pars I. Lipsiae, 1861, p. 539-541; apparatus criticus parte II, p. 880 sq. in eodem volumine impressus est. m = Migne *P. G.*, XLII coll. 756-764. o = ed. Oeler in op. : Corpus haeresiologicum, v. II. Berlin, 1861, p. 462 sqq. p = ed. Petavii, Parisiis, 1622. p* = coniectiones Petavii.

[b] φῦσα d] J φασι ita et m p; o φυεῖσα; p* φύσει, « cuius coniecturam pervertisse videtur typotheta, nam Petavius haud dubie φῦσα vel φυεῖσα scribere voluit ». Dindorf. — o : φυεῖσα scripsi pro φασί, quod libri habent; pari iure possit etiam φύσασα cf. Epist. ad Acac. et Haer. LXXIII, 37. — [c] ἀσύστατον] d putat addendum esse δέ.

orantes significat. Erant vero ante aliquod tempus, aetate Constantini, et deinceps, alii pariter Euphemitae, seu Massaliani cognominati, e qua forte [haeresi], puto, haec quoque zelum aemulum nacta est. Attamen illi e gentilibus orti nec ad Iudaismum pertinentes nec Christiani existentes, nec a Samaritanis oriundi, sed sane gentiles cum sint et Deos asserant, nullum omnino adorant, uni vero soli venerationem praecipiunt eum Omnipotentem appellantes. Certas enim sibi domos construunt, aut locos spatiosos fororum instar, ea proseuchas appellantes.

ὡς ἀπὸ τῶν καιρῶν Κωνσταντίνου καὶ δεῦρο [a] ἄλλοι πάλιν Εὐφημῖται, εἴτουν [b] Μασσαλιανοὶ καλούμενοι, ἐξ ἧς τάχα οἶμαι καὶ αὕτη τὸν μιμηλὸν ζῆλον ἔσχεν. [5] ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ἐξ Ἑλλήνων ὁρμῶντες οὔτε Ἰουδαϊσμῷ προσανέχοντες, οὔτε Χριστιανοὶ ὑπάρχοντες, οὔτε ἀπὸ Σαμαρειτῶν, ἀλλὰ μόνον Ἕλληνες ὄντες δῆθεν, καὶ θεοὺς μὲν λέγοντες; μηδενὶ μηδὲν [c] προσκυνοῦντες, ἑνὶ δὲ μόνον δῆθεν τὸ σέβα νέμοντες καὶ καλοῦντες παντοκράτορα. [6] τινὰς δὲ οἴκους ἑαυτοῖς κατασκευάσαντες, ἢ τόπους πλατεῖς φόρων δίκην, προσευχὰς ταύτας ἐκάλουν.

2. Hi autem pridem Massaliani e gentilibus exorti, priores illis, qui modo e christianitatis nomine orti sunt, et isti in quibusdam regionibus tales sibi localitates parabant, quales sunt, quae proseuchae et oratoria appellantur. Alibi vicissim natura et similitudine ecclesias sibi facientes vespertino ac matutino tempore cum magna illuminatione luminibusque congregantur, insuper vero elegias aliquas a sequacibus gregis ipsorum compositas piasque sane sententias de Deo faciantes (uti solent elegiae et euphemiae esse) quasi Deum placaturi seipsos decipuint. Ignorantia enim, cum sit caeca, errore sententiae deceptis haec omnia parat. Verum ante

2. Οὗτοι δὲ οἱ πρότερον Μασσαλιανοὶ ἐξ Ἑλλήνων ὁρμώμενοι οἱ πρὸ τῶν νυνὶ τῶν δῆθεν ἀπὸ ὀνόματος Χριστοῦ ὁρμωμένων, καὶ αὐτοὶ πὴ μὲν ἔν τισι χώραις τοιαῦτα τοπάριά [d] τινα κατασκευάσαντες ὡς προσευχὰς καλουμένους καὶ εὐκτήρια. [2] ἐν ἄλλοις δὲ τόποις φύσει [e] καὶ ἐκκλησίας ὁμοιώματι ἑαυτοῖς ποιήσαντες καθ' ἑσπέραν, καὶ κατὰ τὴν ἕω μετὰ πολλῆς λυχναψίας καὶ φώτων συναθροιζόμενοι, ἐπιπολύ τε καταλεγμάτιά τινα ὑπὸ τῶν παρ' αὐτοῖς σπουδαίων καὶ εὐφημίας τινὰς δῆθεν εἰς τὸν Θεὸν ποιούμενοι (ὡς καταλεγματίων καὶ εὐφημιῶν) ὥσπερ Θεὸν ἐξιλεούμενοι [f] ἑαυτοὺς ἀπατῶσιν· [3] ἡ γὰρ ἀγνωσία τυφλή, τις οὖσα πάντα ταῦτα δοκήσει οἰήσεως τοῖς πεπλανημένοις παρασκευάζει. [4] ἐκεραυνοβολήθη δὲ πρὸ χρόνου ἓν τῶν τοιούτων κατασκευασμάτων, οὐκ ἔχω δὲ

[a] δεῦρο] p et m falso hic punctum ponunt; ἄλλοι enim ad ἦσαν pertinet tamquam subiectum enuntiati.

[b] d εἴτ' οὖν.

[c] μηδὲν] p* δὲ.

[d] τοπάρια] emendatio iam a Petavio commendata. Ed. τροπάρια ita etiam m o.

[e] φύσει] J φασὶ ita coniiciente Scaligero quoque.

[f] ὡς καταλεγματίων... ἐξιλεούμενοι] emendat Scaliger : ὡς διὰ καταλεγματίων τε καὶ εὐφημιῶν ὥσπερ θεὸν ἐξιλεούμενοι. Verba uncis inlusa reiicienda putat ut spuria Petavius.

λέγειν ἐν ποίῳ τόπῳ, τάχα δὲ ἐν τῇ Φοινίκῃ τοῦτο ἠκούσαμεν. [5] ἀλλὰ καί τινες τῶν ἀρχόντων ζηλωταὶ, πολλοὺς ἐκ τούτων ἀπέκτειναν, διὰ τὸ παραχαράττειν τὴν ἀλήθειαν καὶ ἀντιμιμεῖσθαι ἐκκλησίας τρόπον, μὴ ὄντας χριστιανοὺς μήτε ἐξ Ἰουδαίων ὁρμωμένους. [6] οἶμαι δὲ Λουππικιανὸς[a] ὁ στρατηλάτης εἷς ἦν τῶν τοὺς αὐτοὺς Εὐφημίτας τῶν Ἑλλήνων τιμωρησαμένων, ἐξ ἧς προφάσεως ἐφύη πάλιν αὐτοῖς δευτέρα πλάνη. [7] λαβόντες γάρ τινες τὰ τῶν τότε ἀποκτανθέντων σώματα διὰ τὴν τοιαύτην Ἑλληνικὴν ἀνομίαν, καὶ θάψαντες ἔν τισι τόποις, ἐκεῖ πάλιν τὰ αὐτὰ εὐφημά τε ἐπιτελοῦσι, καὶ Μαρτυριανοὺς ἑαυτοὺς ἐπωνόμασαν, δῆθεν διὰ τοὺς ὑπὲρ τῶν εἰδώλων μαρτυρήσαντας.

3. Ἄλλοι δὲ πάλιν ἐκ τούτων ἔτι βαθύτερόν τι διανοούμενοι ὡς κατὰ τὴν αὐτῶν εὐήθειαν συμβούλῳ τῇ διανοίᾳ χρώμενοι, εἶπον· [2] « ὁ Σατανᾶς μέγας ἐστὶ καὶ ἰσχυρότερος καὶ πολλὰ ἐπιτελεῖ κακὰ τοῖς ἀνθρώποις. [3] διὰ τί οὐ μᾶλλον πρὸς τοῦτον καταφεύγομεν καὶ αὐτῷ προσκυνοῦμεν, αὐτόν τε τιμῶμεν καὶ αὐτὸν εὐφημοῦμεν, ἵνα διὰ τῆς κολακευτικῆς θεραπείας μὴ ἐνεργήσῃ ἡμῖν τὰ πονηρὰ, ἀλλ' ὡς δούλων αὐτοῦ ἡμῶν γεγονότων, φασὶ, φείδηται[b] ἡμῶν; » [4] καὶ οὕτω καὶ οὗτοι Σατανιανοὺς ἑαυτοὺς ἐπωνόμασαν. [5] ὁμοῦ δὲ τούτων τὴν αἵρεσιν ἐν ταυτῷ[c] συνεθήκαμεν καὶ τοὺς προειρημένους, μέλλοντας ὑφ' ἡμῶν νυνὶ λέγεσθαι, ἐπειδὴ γὰρ[d] τὰ ἴσα ἐν ὑπαίθρῳ ἐξαγόμενοι, ἔξω βεβηκότες τῆς ἀληθείας ἐπὶ τὸ εὔχεσθαι καὶ ὑμνεῖν

tempus aliquod unum ex aedificiis fulgure tactum est; ubinam gentium, dicere nequeo, forte in Phoenicia haec audivimus. Quin etiam quidam e magistratibus, zelosi, ex eis quam plurimos occiderant, propter adulterationem veritatis et imitationem usus ecclesiae, cum neque Christiani essent, neque e secta Iudaeorum oriundi. Ni fallor Lypicianus dux unus erat ex eis, qui in Euphemitas gentilium animadverterunt, ex qua occasione iterum alter eorum error succrevit. Quidam enim sumptis corporibus eorum, qui ob eiusmodi gentilem impietatem trucidati sunt eaque in certis quibusdam locis sepelientes illic easdem laudes absolvunt et semet Martyrianos appellant, perinde ac super eos, qui propter idola martyrium subierint.

3. Alii vicissim ex his altiora cogitantes pro sua simplicitate consilio mentis usi dixerunt : « Satanas magnus quidam est ac fortissimus et mala quamplurima infert hominibus. Quapropter cur non potius ad eum confugimus, eum veneramur ac celebramus, ut propter adulatorium cultum nocere nobis desinat immo vero nobis, tamquam factis sibi servis, parcat? » Quam ob causam isti Satanianos se cognominabant. Quorum haeresim cum superioribus illis, de quibus deinceps acturi sumus coniungendam putavimus quoniam pari modo in aperta prodeuntes veritate derelicta orando et canendo dant operam. Haec

[a] Λουππικιανός] m p Λουπικιανὸς; Ammianus Marcellinus, *Hist.* XXVI, 5, 4 : Lupicinus.
[b] φείδηται] J m φείδεται.
[c] ταυτῷ] m τούτῳ.
[d] ἐπειδὴ γὰρ] Dindorf : « immo ἐπειδήπερ ».

autem omnia, cum sint summopere ridicula, innocua fuere, nec mentem a veritate avertere poterant. Non enim nominis Christiani habebantur, sed prorsus gentiles. Modo autem Massaliani ab eiusmodi usibus hodie denominati, qui initio et fine, capite et radice carent, quinimo fundamento ac principio destituti errori addicti sunt non habentes fulcrum nominis, sive praecepti sive mandati sive legislationis, videntur igitur isti, viri ac mulieres, qui se sane in Christum credidisse fatentur, quasi mundo renuntiasse et sua dereliquisse.

Simul vero promiscue viri cum mulieribus et mulieres cum viris dormiunt in suburbiis spatiosis facto aestatis tempore, quia, uti dicunt, non habeant possessionem in terra. Sunt autem vagi, manusque ad stipem porrigunt, perinde ac victu et possessione carentes. Sermones porro eorum omnem stoliditatem superant. Si quem enim ex eis oriundum interrogaveris, talem se fatebitur esse, qualem volueris. Sive etenim prophetam dixeris, dicent : « propheta sum », sive Christum si nominaveris, fatebitur : « Christus sum » sive patriarcham, hunc se impudenter appellabit, sive angelum, eundem se dicet. O singularem hominum vecordiam! Ieiunium autem omnino non noverunt, sed sane orationi dediti, iam inde a hora secunda vel tertia immo ipsa nocte, si forte fame

ἐσχολάκασιν· [6] ἀλλὰ πάντα μὲν ταῦτα περιγέλαστα ὄντα ἀβλαβῆ ἐτύγχανε μὴ δυνάμενα παρεκκλίνειν τὸν νοῦν ἀπὸ τῆς ἀληθείας. [7] οὐ γὰρ εἰς ὄνομα Χριστοῦ ἐλέγοντο εἶναι, ἀλλὰ Ἕλληνες τὸ πᾶν. [8] νῦν δὲ ἀπ' ἐκείνων τῶν τρόπων οὗτοι νῦν καλούμενοι Μασσαλιανοί, ὧν οὔτε ἀρχὴ οὔτε τέλος οὔτε κεφαλή, οὔτε ῥίζα, ἀλλὰ τὰ πάντα εἰσὶν ἀστήρικτοι καὶ ἄναρχοι καὶ ἠπατημένοι, μὴ ἔχοντες ὅλως στηριγμὸν ὀνόματος, ἢ θεσμοῦ ἢ θέσεως ἢ νομοθεσίας, δοκοῦσι [a] τοίνυν οὗτοι ἐπιτοαυτὸ [b] ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες, δῆθεν εἰς Χριστὸν πεπιστευκέναι λέγοντες, ὡς ἀποταξάμενοι τῷ κόσμῳ, καὶ τῶν ἰδίων ἀνακεχωρήκοτες. [9] ὁμοῦ δὲ ἀναμὶξ ἄνδρες ἅμα γυναιξὶ καὶ γυναῖκες ἅμα ἀνδράσιν ἐπιτοαυτὸ [b] καθεύδοντες ἐν ῥύμαις μὲν πλατείαις ὁπηνίκα θέρους ὥρα εἴη, διὰ τὸ μὴ ἔχειν, φασὶ [c], κτῆμα ἐπὶ τῆς γῆς. [10] ἀκώλυτοι δέ εἰσι, καὶ ἐκτείνουσι χεῖρας μεταιτεῖν ὡς ἀβίωτοι καὶ ἀκτήμονες. [11] οἱ δὲ λόγοι αὐτῶν ἀφρόνων ἐπέκεινα. [12] ὃν δ' ἄν τινα ἐπερωτήσῃς ἐξ αὐτῶν ὁρμώμενον ἐκεῖνον ἑαυτὸν φάσκει οἷον δ' ἂν ἐθέλοις. [13] ἤτοι γὰρ προφήτην εἴποις, λέξουσι [d] ὅτι προφήτης εἰμί· ἤτοι Χριστὸν ἐὰν [e] ὀνομάσῃς, φάσκει ὅτι Χριστός εἰμι· ἤτοι πατριάρχην, τὸ αὐτὸ ἑαυτὸν ὀνομάζει ἀναιδῶς· ἤτοι ἄγγελον, καὶ ἑαυτὸν λέγει. [14] καὶ ἁπλῶς ὢ [f] τῆς τῶν ἀνθρώπων ματαιοφροσύνης! [15] νηστείαν δὲ οὐδ' ὅλως οἴδασιν· ἀλλὰ δῆθεν εἰς τὴν εὐχὴν ἐσχολακότες, καὶ ἀπὸ ὥρας δευτέρας ἢ τρίτης ἢ καὶ τὴν νύκτα ἐὰν φθάσωσι πεινᾶσαι, πάντα ἀδεῶς ἐργάζονται ἐσθίοντες καὶ πίνοντες [16]. Περὶ δὲ αἰσχρότητος ἢ λαγνείας οὐ πάνυ τι δύναμαι εἰδέναι, πλὴν

[a] δοκοῦσι] Oeler coniicit *habitant* οἰκοῦσι.
[b] d ἐπὶ τὸ αὐτὸ.
[c] φασὶ d assentiente o] J m o φησί.
[d] m λεξουσιν.
[e] ἐὰν] B m o ἄν. — [f] ὢ] o ὦ.

οὐδὲ τούτου εἰσὶν ἀποδέοντες, μάλιστα ἐπιταυτὸ [a] κοινῇ τὸ κοιτάζειν ἐσχηκότες ἅμα γυναιξὶ καὶ ἀνδράσιν. Οὗτοι δὲ καὶ ἐν Ἀντιοχείᾳ [b] εἰσὶν ἀπὸ τῆς Μέσης τῶν ποταμῶν ὁρμώμενοι.

corripiantur, omnia impudenter faciunt manducando et bibendo. Ad turpitudinem ac lasciviam, quod spectat, prorsus nihil de eis compertum habere potui. Ceteroquin ab ista re haud alieni sunt, imprimis cum viri ac mulieres simul cubare soleant. Habent vero iam Antiochiae quoque sedes, a Mesopotamia illuc profecti.

III

E Prologo S. Eusebii Hieronymi in Dialogum adversus Pelagianos [1] anno fere 415 exaratam.

Scripta iam ad Ctesiphontem epistola, in qua ad interrogata respondi, crebra fratrum expostulatio fuit, cur promissum opus ultra differrem, in quo pollicitus sum me ad cunctas eorum, qui ἀπάθειαν praedicant, quaestiunculas responsurum. Nulli enim est dubium, quin Stoicorum et Peripateticorum, hoc est veteris academiae, ista contentio sit, quod alii eorum asserant πάθη, quas nos perturbationes possumus dicere : aegritudinem, gaudium, spem, timorem eradicari et exstirpari posse de mentibus hominum : alii frangi eas regi atque moderari, et quasi infrenes equos quibusdam lupatis coerceri. Quorum sententias et Tullius in Tusculanis disputationibus explicat et Origenes Ecclesiasticae veritati in Stromatibus suis miscere conatur, ut praeteream Manichaeum, Priscillianum, Evagrium Hiboritam [2], Iovinianum et totius pene Syriae haereticos, quos sermone gentili διεστραμμένως *Massalianos* [3], graece Εὐχίτας vocant; quorum omnium ista sententia est, posse ad perfectionem et, non dicam ad similitudinem, sed aequalitatem Dei humanam virtutem et scientiam pervenire : ita ut asserant se ne cogitatione quidem et ignorantia, cum ad consummationis ascenderint, posse peccare.

[a] V a ἐπὶ τὸ αὐτὸ. — [b] V Ἀντιοχία.

[1] Migne *P. L.* t. XXIII, col. 498 sq.

[2] Varr. *Iberitam, Hyperboritam.*

[3] *sermone gentili... Massalianos*]... ita codex Corbeiensis n. 146; editiones veteres legunt : *quos sermone gentili Abin et Paanin i. e. perversos et Massilianos Graece* εὐχίτας *vocant.* Additamentum istud a Ioanne Andrea primo receptum genuinum non esse iam Martianaeus intellexit; sane *Abin et Paanin* carent sensu; *Abin* adhuc aliqua ratione e radice aramaica חוב explicari potest, *Paanin* autem, ut sciam, in lingua aramaica sive palaestinensi, sive mesopotamiae non datur.

IV

Ex Catalogo haeresiologico Maruthae episcopi Maipheercatensis [1].

Haeresis Audianorum. Hi dicunt Trinitatem in compositione subsistere et personas compositas consistere cum invicem. Et quidam ex eis sunt ascetae et sunt ieiunantes; et peregrinis suscipiendis dant operam et in fletu assidui sunt omnibus diebus suis. Si quis vero inter eos transgreditur et ridet, dimittunt eum de medio.

ܗܪܣܝܣ ܕܒܢܝ ܐܘܕܝ̈ܐ܀ ܗܠܝܢ ܐܡܪܝܢ
ܕܬܠܝܬܝܘܬܐ ܒܪܘܟܒܐ ܐܩܝܡܗ ܘܩܢܘ̈ܡܐ
ܡܪ̈ܟܒܐ ܩܝܡܝܢ ܥܡ ܚܕ̈ܕܐ. ܘܡܢܗܘܢ
ܢܟܦ̈ܐ ܘܨܝ̈ܡܐ ܐܝܬܝܗܘܢ: ܘܡܩܒܠܢܘܬܐ[a] ܕܐܟܣ̈ܢܝܐ
ܐܝܬ ܠܗܘܢ ܘܐܒܝܠܝܢ ܒܒܟ̈ܝܐ ܟܠܗܘܢ
ܝܘܡܬܗܘܢ. ܘܐܢܫ ܕܡܥܒܪ ܒܗܘܢ
ܘܓܚܟ ܦܢܝܢ ܠܗ ܡܢ ܡܨܥܬܐ܀

Haeresis Timotheanistarum. Isti porro ubique sunt sicut nos nec in Scripturis quidquam corruperunt nec in confessione [fidei] adulterarunt, sed respuunt quemque, qui pro se exclusive opes possidet nec eas communitati tradit. Et plures laicis sunt apud eos monachi.

ܗܪܣܝܣ ܕܛܝܡܬܐܘܣܝܢ̈ܐ܀ ܗܠܝܢ
ܬܘܒ ܒܟܠܕܘܟ ܐܟܘܬܢ ܐܝܬܝܗܘܢ ܘܒܟܬܒ̈ܐ[b]
ܡܕܡ ܠܐ ܚܒܠܘ. ܘܒܬܘܕܝܬܐ ܠܐ ܣܪܝܘ:
ܐܠܐ ܡܣܠܝܢ ܠܟܠ[c] ܕܐܝܬ ܠܗ ܢܟ̈ܣܐ
ܡܢܗ ܘܠܗ ܠܚܘܕܘܗܝ ܘܠܐ ܝܗܒ ܠܗܘܢ
ܠܫܘܝܐ. ܘܝܬܝܪ ܡܢ ܥܠܡܝ̈ܐ ܕܝܪ̈ܝܐ
ܦܝܫܝܢ[d] ܒܗܘܢ܀

[1] Textum vide apud Rahmani, *Studia Syriaca,* fasc. iv : *Documenti de antiquis haeresibus.* In seminario Scharfensi de monte Libano, 1909, p. ܡ et sq. Apographum huius textus Vaticanum (Codicis Borgiani syr. 82. p. 52 sq. olim K vi, 4) cl. prof. O. Braun mihi communicare dignatus est, cui propterea publicas ago gratias. — Quoad fontem istius textus, cf. *Histoire de Barḥadbsabba ʿArbaïa, P. O.,* IX, 497, ch. ii.

[a] C. Borgianus ܡܩܒܠܢܐ. — [b] Rahmani ܒܟܬܒܐ. — [c] Rahmani ܠܟܠ, quod certe error est. — [d] C. Borgianus ܐܣܟܝ̈ܡܐ.

V

Ex Epistola S. Nili *de voluntaria paupertate ad Magnam* c. XXI [a].

... Sed vide, ne sanctorum continua circa res divinas occupatione discipu-

... Ἀλλ' ἄρα μὴ τῇ τῶν ἁγίων διηνεκεῖ περὶ τὸ θεῖον ἀσχολίᾳ τοῖς[b] ἀπὸ Ἀδελφίου

[a] Textum epistolae graecum vide ap. Migne, *P. G.,* t. LXXIX, col. 997 A.

[b] Valesius in nota ad cap. iv libri XI *Historiae Eccl.* Theodoreti (*Rerum Eccles. Scriptores,* t. III, p. 34 « Annotationum ») legit τοῖς, quod recipiendum putavi; Migne τῆς; lectio sensu carens.

τοῦ τῆς Μέσης τῶν ποταμῶν καὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ πρὸς ὀλίγον τὴν βασιλευομένην Κωνσταντινούπολιν θολώσαντος ἀργίας ἀνοίγωμεν θύραν προσκάλυμμα τῆς περὶ τὴν ἐργασίαν ὀκνηρίας τὸ διὰ παντὸς δοκεῖν προσκαρτερεῖν τῇ προσευχῇ πεποιημένοις, καὶ νέοις παισὶ, καὶ ἀνδράσι σφριγῶσιν ἔτι κατὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ σώματος, καὶ ταύτην πολλοῖς ὀφείλουσι καταλῦσαι πόνοις νομοθετήσασι τὸ μὴ ἐργάζεσθαι τῇ ἀνέσει καὶ τὰ πάθη αὐτοῖς ἐπεγείρασι, καὶ τῷ λογισμῷ παρασχοῦσιν ἄδειαν ταῖς τούτων ὕλαις ἐνευκαιρεῖν, ἕως ἂν ἡ δοκοῦσα προσευχὴ, οὐκ οὖσα δὲ τοῦτο ὅπερ λέγεται πάντη ἀπόληται.

lis Adelphii mesopotamii et Alexandri, qui paulo antea regnatricem Constantinopolim inquinavit, pigritiae portam aperiamus, velamen otii ab operando, quippe qui perpetuo orationi vacare semet finxerunt et pueris recentibus virisque adhuc corporis robore tumentibus, quod plurimis debuissent edomare laboribus, lege statuerunt nihil operari, animi remissione etiam passiones in eis excitarunt intellectuique licentiam praebuerunt ipsarum materiis adhaerendo otiose vacare, donec apparens oratio, cum non esset, quod dicebatur, omnino interiret.

VI

Definitio sanctae et oecumenicae synodi Ephesinae contra impios Messalianos, qui et Euchetae et Enthusiastae quoque appellantur[1].

Venientes ad nos pientissimi et religiosissimi episcopi Valerianus et Amphilochius, proposuerunt in communi considerandum de Messalianitis, hoc est, Euchetis vel Enthusiastis, qui in Pamphylia versantur, vel quocumque nomine contaminatissima haeresis vocatur[2]. At nobis considerantibus attulit pientissimus et religiosissimus episcopus Valerianus schedulam synodicam de illis compositam in magna Constantinopoli sub beatae memoriae Sisinnio : quae ubi lecta, ab omnibus probata est, quod bene sit condita recteque habeat[3]. Et placuit nobis omnibus et pientissimis episcopis Valeriano et Amphilochio et omnibus Pamphyliae et Lycaoniae provinciarum pientissimis episcopis, ut omnia, quae in synodica charta contenta, robur habeant et nullo modo praetereunda[4]; ut solida sint et ea, quae in Alexandria

[1] Harduin, *Acta Conciliorum,* t. I, col. 1627.

[2] Verba *et placuit nobis... admittantur,* exstant graece inter documenta, quae Act. I : Concilii Nicaeni secundi lecta sunt; Harduin, *Acta Conciliorum*, t. IV, col. 56 : Ἐκ τοῦ ὅρου τῆς ἁγίας τρίτης συνόδου κατὰ τῶν δυσσεβῶν Μασσαλιανῶν ἤγουν Εὐχητῶν.

[3] Ἤρεσεν ἅπασιν ἡμῖν καὶ τοῖς θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις Οὐαλεριανῷ καὶ Ἀμφιλοχίῳ καὶ πᾶσιν τοῖς τῶν Παμφύλων καὶ Λυκαόνων ἐπαρχιῶν εὐλαβεστάτοις ἐπισκόποις τὰ ἐν τῷ συνοδικῷ χαρτίῳ τυπωθέντα κρατεῖν ἅπαντα καὶ κατὰ μηδένα τρόπον παραβαίνεσθαι αὐτὰ, βεβαίων ὄντων αὐτῶν δηλαδὴ, καὶ τῶν πεπραγμένων ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.

[4] ὥστε τοὺς ὄντας κατὰ πᾶσαν ἐπαρχίαν τῆς Μασσαλιανῶν ἤγουν Ἐνθουσιαστῶν αἱρέσεως, ἢ καὶ ὑποψίας τῆς τοιαύτης νόσου γεγονημένοις εἴτε κληρικοὶ εἶεν εἴτε λαϊκοὶ, μέθοδεύεσθαι.

acta sunt; ita ut omnes, qui per universam provinciam haeretici Messaliani vel Enthusiastae sunt, vel de eius haereseos morbo suspecti, sive clerici sive laici sint, convincantur : [5] et si quidem anathematizaverint, iuxta ea, quae in praedicto synodico scripto pronunciata sunt, in scriptis; si clerici fuerint, maneant clerici; si laici ad communionem ad mittantur? [6] Quod si renuerint anathematizare, si presbyteri vel diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu ecclesiae, excidant et a clero et a gradu et a communione : laici vero anathematizentur.

7. Convicti quoque non permittantur habere monasteria, ut ne zizania diffundantur et crescant. [8] Haec ut sic agantur, omnes vires intendant pientissimi episcopi Valerianus et Amphilochius, ceterique reverentissimi totius provinciae episcopi. [9] Unde ad haec placuit librum pollutum illius haereseos, qui dicitur Asceticon anathematizari; quem attulerat religiosissimus et pientissimus Valerianus, utpote a haereticis compositum. Similiter si quid illorum impietatem sapiens apud plerosque inveniatur, etiam hoc anathema sit. [10] Praeterea dum conveniunt, quae utilia et necessaria ad concordiam et communionem et dispensationem, manifeste scriptis commendentur. [11] Si autem quaestio oborta de his, quae in hoc negotio sunt, et si quid difficile et ambiguum fuerit, quod pientissimis episcopis Valeriano et Amphilochio, ceterisque per totam provinciam episcopis non probatur, admotis scriptis omnia excutere debent. [12] Et si relicti fuerint pientissimi episcopi vel Lyciorum vel Lycaoniorum, non relinquatur tamen metropolitanus, provinciae cuiuscumque fuerit. [13] In commentarios haec referenda, ut si qui opus habent iis, inveniant, quo etiam aliis ea diligentius exponant.

[5] Καὶ ἀναθεματίζοντας κατὰ τὰ ἐν τῷ μνημονευθέντι συνοδικῷ διηγορευμένα ἐγγράφως μένειν, τοὺς μὲν κληρικοὺς ἐν τῷ κλήρῳ, τοὺς δὲ λαϊκοὺς ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῆς ἐκκλησίας.

VII

S. Cyrilli archiepiscopi Alexandrini *Epistola ad Amphilochium episcopum Sidae* [a].

Equidem scio prudentissimam pietatem tuam nihil esse pluris habituram, quam caritatem fraternumque amorem. Verumtamen prudentiae suae esse existimabit in omnibus rebus gerendis optimam agendi rationem. Ideo amanter scribo pietati tuae et,

Οἶδα μὲν ὅτι πανσύνετος οὖσα ἡ σὴ θεοσέβεια, οὐδὲν ἄμεινον ἡγήσεται φιλίας καὶ ἀγάπης τῆς πρὸς ἀδελφούς. [2] Εὐτεχνὲς δὲ πρᾶγμα ἡγήσεται τὴν ἐφ' ἅπασι τοῖς δρωμένοις ἀρίστην οἰκονομίαν. [3] διὸ δὲ γράφω τὰ φίλα τῇ σῇ θεοσεβείᾳ καὶ ὅσα δρᾶν εἶδεν ἀπαιτῶν· ὥστε δῆλον ὅτι μὴ μεγάλαις

[a] Epistolam prima vice edidit Angelus Maius in *Nova Patrum Bibliotheca*, t. II, Romae 1844, p. 167, eam reimpressam vide apud Migne *P. G.*, t. LXXVII, col. 376.

ἄγαν ἀκριβολογίαις κεχρῆσθαι κατὰ τῶν ἐθελόντων μεταγινώσκειν, καὶ καταλιπεῖν τὴν τῶν Μεσσαλιτῶν ἤτοι Εὐχητῶν ἀνοσιοτάτην αἵρεσιν, προστρέχειν δὲ τοῖς ὀρθοῖς τῆς Ἐκκλησίας δόγμασιν. [4] ἀρκεῖ γὰρ τοῖς εἰς τοῦτο βαδίζουσιν, ὁμολογεῖν ὅτι ἀναθεματίζω τὴν τῶν Μεσσαλιτῶν ἤγουν Εὐχητῶν αἵρεσιν. [5] ὁ δὲ σφόδρα λεπτῶς καὶ μετὰ τοῦτο προτείνων αὐτοῖς ἔσθ' ὅτε καὶ ἐκ βιβλίων ἀναγνώσματα θορυβεῖ τὸν οὐκ' ἔχοντα πολλὴν ἀκρίβειαν εἰς νοῦν· ἰδιῶται γάρ εἰσιν οἱ πολλοὶ καὶ οὐχ οὕτω νοεῖν δύνανται ὥστε πάντως καταγινώσκειν τῶν καταγνώσεως ἀξίων. [6] ἀρκεῖ τοίνυν ἀναθεματίζειν αὐτοὺς τὴν αἵρεσιν, καὶ μὴ προτεινέσθωσαν πάντως ὀνόματα, ἵνα μὴ τό τινων ἐξ ἰδιωτίας φιλόνεικον ἀποστήσῃ πολλάκις αὐτοὺς καὶ τοῦ βούλεσθαι δοξάζειν ὀρθῶς. [7] καὶ ταῦτα γράφω οὔ τισι χαριζόμενος, ἀλλ' εἰδὼς ὅτι καλὴ μᾶλλον ἐν τούτοις ἡ οἰκονομία· τὸ γὰρ ἀκριβὲς ὡς ἐπίπαν θορυβεῖ πολλοὺς καὶ τῶν νουνεχεστάτων.

quae efficere novit, postulo, cum manifestum sit non esse magnis cum nimis argutiis utendum cum iis, qui resipiscere volunt et relicta Messalitarum sive Euchetarum impia haeresi rectis Ecclesiae dogmatibus accedere. Sufficit enim his, qui hanc iniere viam, profiteri « anathematizo Messalitarum seu Euchetarum haeresim. Nam si quis minutius cum illis agit simulque aliquando ex libris lectiones ei obtrudit, perturbat eum, qui acumine mentis non pollet; plurimi enim idiotae sunt nec ita intelligere valent, ut omnia disserte damnent, quae damnatione digna sunt. Sufficit itaque, ut haeresim anathematizerit neque omnino nomina oggerantur ne quorumdam litigiosus ex inscitia animus recte credendi voluntate depellatur. Quae scribo, haud cuiquam gratificans, sed sciens optimam esse in rebus istis prudentiam; argutiae enim, uti generatim fieri solet, plurimos turbant, ipsos quoque sapientissimos.

VIII

Canones synodus nationalis Armenorum a. 447 in civitate Šahapivan habitae, contra Messalianos lati [1].

Kanon 14. Kein Bischof oder Priester, oder Diakon, oder irgend ein Kirchendiener soll eine sogenannte Haushölterin haben, wie es die Sitte der Mzlne ist. Wenn sie aber einer hat und es durch Zeugnisse zutage kommt, so soll er von dem Range, in dem er steht, entsetzt und wie ein Gottloser und Zölnner angesehen werden; denn die heil. Kirche und das Sacrament des Herrn lässt nur die Untadeligen zum Heile zu.

Kanon 19. Wenn einer im Mzlnëuthiun gefunden wird, sei es ein Priester

[1] Textum canonum germanice edidit Karapet ter Mkrttschian in opere : *Die Paulikianer im byzantinischen Kaiserreiche und verwandte Ketzerische Erscheinungen in Armenien*, Leipzig, 1893, pp. 42-45.

oder Diakon oder einer der Mönche, so soll die Priesterweihe gelöst, ihm das Fuchssiegel auf die stirn gedrückt und er zur Busse in eine Einsiedelei gebracht werden. Wenn er aber wieder darin gefunden wird, so soll man ihm die beiden Sehnen durchschneiden und ihn in das Krüppelhaus bringen, denn « *der mensch war in Ehrenstellung und schätzte es nicht*[1] ». Dieselbe Strafe soll man auch an den Mönchen vollziehen, Wenn aber Männer mit Frauen und Kinder in der Sekte gefunden werden, so soll man die Sehnen der Männer und Frauen und der veständigen Kinder durchschneiden, das Fuchssiegel auf die Stirn drücken und sie zur Busse in das Krüppelhaus bringen. Die Kinder aber, welche von der Schandthat noch nichts wissen, sollen entnommen und in die Hand der heiligen Diener Gottes gegeben werden, damit sie erziehen und im wahren Glauben und in der Furcht Gottes belehren.

Kanon 20. Wenn in der Gemeinde Mzlne-er sich finden und die Priester das wissen und den Bischof nicht benachrichtigen, bei der Untersuchung aber sich herausstellt, dass es wahr ist und der Priester Tage und Monate und lange Zeit hindurch ihre Thaten wusste und die Mzlne-er bei dem Bischof nicht angeklagt hat, so sollen sie die Strafe, welche diese Kanones auferlegt haben, tragen, und die Priester dürfen ihr ganzes Leben hindurch keinen Priesterdienst verrichten, damit der Priester oder der Mönch, die an ihre Stelle treten, sie sehen und an ihrem Beispiel lernen, die Gemeinde in der Wahrheit zu leiten. Wenn es aber der Priester dem Bischof meldet und mit Zeugniss nachweist, dieser jedoch entweder Geschenke nimmt und die Sache verschweigt oder parteiisch handelt, und es kommt ans Licht, durch Zeugnisse bekräftigt, dass die Anklage der Priester in der That ihm zu Ohren gekommen ist und er die Gebote Gottes missachtet und die Verlorenen nicht aufgesucht hat und nicht eifernd und rächend für das Gesetz Gottes eingetreten ist, so soll er von dem Bischofsstuhl gestossen werden, und der Priester soll schuldlos ausgehen. Wenn aber der Bischof sich Mühe gegeben und Rache gesucht hat, so dass die Priester und sonstige Leute für seine Bemühung Zeugniss ablegen, dass er von den übelthätern irgend eine Behörde benachrichtigt hat, und der Fürst in den Ländern oder der Oberste im Dorfe oder der « Nacharar[2] », der Herr des Distriktes, der Schandthat Vorschub leisten und die Hurer verbergen und verstecken will, sei es um des eitlen Geldes oder um einer Parteinahme und Dienstleistung willen, und nicht vorzieht Christum und seine Gebote zu lieben und das Gesetz Gottes am Seele und Leib zu röchen, so sei ein solcher verdammt

[1] Ps. XLVIII, 13.

[2] « So hiessen », inquit Karapet, « die Stammesfürsten, die fast das ganze Land unter sich teilten, selbstherrlich in ihrem Besitze waren und nur in der äusseren Politik sich dem Herrschen des Landes fügten ».

und soll von der heil. Kirche entfernt bleiben bis er die Schändlichen in die Hand des Bischofs liefert. Wenn man aber im Hause eines Nacharars die Schande findet, sei es bei seiner Frau, sei es bei seinem Kind, oder endlich bei ihm selbst, und er will weder seine Familie dem Bischof in die Hände überantworten, noch selber zur Heiligung Kommen, sondern auf eigene Kraft bauen, so soll er mit seinem ganzen Hause seinen Nachkommen und seinem Gut verdammt sein; er darf nicht auf öffentliche Plätze kommen, und seine Genossen, wie das ganze Land, sollen keine Gemeinschaft mit ihm haben, bis er, wenn er selbst in der Schande ist, zur Heiligung kommt, und wenn er es selbst nicht ist, seine Familie und seine Diener dem Hauptbischof zur Zurechtweisung in die Hände giebt. Wenn er aber im Hause eines Wostanik[1] die Schande gefunden wird, sei es bei ihm selbst, sei es bei seiner Familie, so soll man die Familie zurecht weisen gemäss dem Gesetz, das wir festgestellt haben. Wenn aber auch er samt der Familie in Mzlnëuthiun sich findet, so soll er mit seiner schändlichen Familie gefangen, auf einen öffentlichen Platz gebracht und vor dem Hauptbischof und vor den hohen Fürsten, vor den obersten Richtern und vor dem gesammten Volke Rache für das Gesetz Gottes genommen werden, damit die anderen es sehen und in Heiligkeit und in Furcht dem Schöpfer aller dienen, damit die Gottesdienstordnung ganz und vollkommen bleibe, das Gesetz gerächt verde und die Heiligen ihre Ehre haben, auf dass wir als wahre Diener Gottes befunden werden in Worten und Thaten und Vergeltung für das Gute von dem gütigen Gott erhoffen und seine unvergänglichen Gaben erben in Ewigkeit. Amen.

IX

Theodoretus Cyrensis *De Messalianorum Haeresi*[a]

(*Historia Ecclesiastica* IV, 10.)

Per idem tempus etiam haeresis Messalianorum progerminavit. Euchitas autem eos appellant, qui nomen illud graeco vocabulo commutant. Ha-

Κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον καὶ ἡ τῶν Μεσσαλιανῶν[b] ἐϐλάστησεν αἵρεσις. [2] Εὐχίτας[c] δὲ τούτους προσαγορεύουσιν οἱ εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν τοὔνομα μεταϐάλλοντες[d].

[1] « Das Wort Wostan bedeutet Hauptstadt; das von ihm abgeleitete Wostanik? » (Karapet).

[a] Ex ed. opp. Theodoreti, quam publici iuris fecit Noesselt Halae, 1781, t. III, p. 964-967. Variantes : A = Codex Augustanus; B = Codex Basileensis; S = Codex Savilii; Epiph. = Versio latina Epiphanii; Steph. = Ed. R. Stephani Parisiis, 1544; Val = Ed. Valesii Parisiis 1673.

[b] Steph Μασσαληνῶν.

[c] B S Epiph. Steph Εὐχήτας.

[d] AB Steph. μεταϐαλόντες.

3 ἔχουσι δὲ καὶ ἑτέραν προσηγορίαν ἐκ τοῦ πράγματος γενομένην. 4 ἐνθουσιασταὶ γὰρ καλοῦνται, δαίμονός τινος ἐνέργειαν [a] εἰσδεχόμενοι καὶ Πνεύματος ἁγίου παρουσίαν ταύτην ὑπολαμβάνοντες. 5 οἱ δὲ τελείαν τὴν νόσον εἰσδεδεγμένοι, ἀποστρέφονται μὲν [b] τὴν τῶν χειρῶν ἐργασίαν ὡς πονηρὰν [c], ὕπνῳ δὲ σφᾶς αὐτοὺς ἐκδιδόντες τὰς τῶν ὀνείρων φαντασίας προφητείας [d] ἀποκαλοῦσι. 6 ταύτης ἐγένοντο τῆς αἱρέσεως ἀρχηγοὶ Δαδόης τε καὶ Σάββας [e] καὶ Ἀδέλφιος καὶ Ἑρμᾶς καὶ Συμεώνης [f] καὶ ἄλλοι πρὸς τούτοις οἱ τῆς μὲν ἐκκλησιαστικῆς οὐκ [g] ἀπέστησαν κοινωνίας, οὐδὲν οὔτε ὀνίνασθαι [h] οὔτε λωβᾶσθαι φάσκοντες τὴν θείαν τροφὴν, περὶ ἧς ὁ Δεσπότης ἔφη Χριστός· ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. 7 κρύπτειν δὲ τὴν νόσον πειρώμενοι, καὶ μετὰ ἐλέγχους ἀναιδῶς ἐξαρνοῦνται, καὶ ἀποκηρύττουσι [i] τοὺς ταῦτα φρονοῦντας, ἅπερ ἐν τῇ ψυχῇ [j] περιφέρουσι. 8 Λητόϊος [k] μὲν οὖν ὁ [l] Μελιτινῶν ἐκκλησίαν ἰθύνας, ἀνὴρ ζήλῳ θείῳ κοσμούμενος, πολλὰ τῆς νόσου ταύτης σπάσαντα θεασάμενος μοναστήρια, μᾶλλον δὲ σπήλαια λῃστικὰ ἐνέπρησε ταῦτα, καὶ τοὺς λύκους ἐκ τῆς ποίμνης ἐξήλασεν. 9 ὡσαύτως δὲ καὶ Ἀμφιλόχιος ὁ πανεύφημος [m], τὴν Λυκαόνων μητρόπολιν νέμειν [n] πεπιστευμένος καὶ ἅπαν ἰθύνων τὸ ἔθνος, ἐπισκήψασαν αὐτόσε [o] τὴν λύμην ταύτην μαθὼν, ἐξανέστησε [p] πάλιν, καὶ τὰ ὑπ' αὐτοῦ νεμόμενα τῆς λώβης ἐκείνης ἠλευθέρωσε ποίμνια. 10 Φλαβιανὸς δὲ, ὁ πολυθρύλητος τῆς Ἀντιοχέων ἀρχιερεὺς [q], ἐν

bent vero aliud quoque cognomen ex ipso eventu ortum; Enthusiastae enim vocantur, propterea quod daemonis cuiusdam vim recipiant, quam Spiritus sancti praesentiam esse putant. Qui autem hac peste penitus infecti sunt, laborem manuum veluti malum aversantur, somno vero seipsos tradentes phantasmata somniorum prophetias nominant. Haereseos huius principes erant Dadoes et Sabbas et Adelphius et Hermas et Symeones et alii praeterea, qui ab ecclesiastica communione se non separarunt, quod dicerent nec prodesse nec obesse divinum cibum, de quo Dominus dixit Christus [1]: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem vivet in aeternum.* Celare porro morbum suum studentes etiam convicti impudenter negant et condemnant res eiusmodi cogitantes, quas ipsi in anima gestant. Letoius igitur Melitinensium regens ecclesiam, vir zelo divino ornatus, videns multa pestem illam hausisse monasteria, vel potius latronum antra, ea succendit et lupos a grege fugavit.

Simili modo etiam Amphilochius laudatissimus Lycaonum metropoli pascendae praepositus totamque regens gentem, cum luem hanc illuc pervasisse didicisset, pariter insurrexit et greges, quos pascebat, a pernicie liberavit. Flavianus quoque, Antiochenorum celeberrimus pontifex,

[a] A B ἐνεργείας. — [b] Val μὴν. — [c] B S. Val πονηρίαν. — [d] προφητείας] A ἐνθουσιασμόν. — [e] A B Σάβας. — [f] A Συμεὼν. — [g] A om. οὐκ. — [h] A ὀνιάναι. — [i] ἀποκηρύττουσι] B Steph. *occultant* ἀποκρύπτουσι. — [j] A B S ἐν ταῖς ψυχαῖς. — [k] B S Λητώϊος. — [l] ὁ] B Steph. add. τῶν. — [m] A Ἀμφιλόχιος δὲ ὁ πανεύφημος ὡσαύτως. — [n] A om νέμειν. — [o] A αὐτόθι. — [p] A ἐξανέστη. — [q] B Steph *quando Antiochenorum pontifex factus est* ὅτε τῆς Ἀντιοχέων ἀρχιερεὺς ἐγεγόνει.

[1] Io. vi, 51. 54.

postquam compertum habuerat Edessae illos versari, venenumque suum vicinis instillare, missa monachorum turba Antiochiam eos pertraxit morbumque negantes hoc modo convicit: Calumniari enim dicebat accusatores et mentiri testes. Adelphiumque aetate grandaevum benigne ad se vocavit eumque prope se sedere iubens, nos, inquit, o senex, qui vitam longius protraximus, etiam naturam humanam accuratius didicimus, et adversantium daemonum machinationes cognovimus, atque gratiae adiutorium experientia compertam habemus. Isti vero, iuvenes cum sint et horum nihil accurate intelligant, spiritualiores audire sermones non sustinent. Quapropter expone mihi, qua ratione affirmatis et contrarium spiritum recedere et Spiritus sanctissimi gratiam advenire? Quibus verbis delinitus ille senex latens venenum totum evomuit dicens divinum baptisma nullam eis, qui participes eiusdem fiunt, utilitatem afferre, sed solam sedulam orationem daemonem inhabitantem expellere. Omnes enim, qui gignuntur, ex primo parente trahere aiebat, quemadmodum naturam, sic etiam daemonum servitutem; his autem per orationem sedulam fugatis advenire deinceps Spiritum sanctum sensibili ac visibili modo praesentiam suam significantem tum corpus

Ἐδέσῃ[a] τούτους διάγειν μαθὼν, τὸν οἰκεῖον τοῖς πελάζουσιν ἐγχριπτομένους[b] ἰὸν, συμμορίαν μοναχῶν ἀποστείλας, ἤγαγέ τε[c] εἰς τὴν[d] Ἀντιόχειαν, καὶ τὴν νόσον ἐξαρνουμένους τόνδε τὸν τρόπον διήλεγξε. [11] τοὺς μὲν γὰρ[e] κατηγόρους ἔφη συκοφαντεῖν[f], καὶ τοὺς μάρτυρας ψεύδεσθαι· τὸν δὲ Ἀδέλφιον ἄγαν ὄντα πρεσβύτην[g] ἠπίως καλέσας, καὶ πλησίον καθεσθῆναι κελεύσας[h]. [12] ἡμεῖς, ἔφη, ὦ πρεσβύτα, τὸν πλείω βεβιωκότες βίον, ἀκριβέστερον καὶ τὴν ἀνθρωπείαν ἐμάθομεν φύσιν, καὶ τὰ τῶν ἀντιπάλων δαιμόνων ἔγνωμεν μηχανήματα· πείρᾳ δὲ καὶ τὴν τῆς χάριτος[i] ἐδιδάχθημεν χορηγίαν. [13] οὗτοι δὲ νέοι ὄντες καὶ τούτων οὐδὲν ἀκριβῶς ἐπιστάμενοι, πνευματικωτέρων ἐπακοῦσαι[j] λόγων οὐ φέρουσι. [14] τοιγάρτοι εἰπέ μοι ὅπως[k] φατὲ, καὶ[l] τὸ πνεῦμα τὸ ἐναντίον ὑποχωρεῖν, καὶ τοῦ παναγίου Πνεύματος τὴν χάριν ἐπιφοιτᾶν; [15] τούτοις ὁ πρεσβύτης ἐκεῖνος τοῖς λόγοις[m] καταθελχθεὶς, ἐξήμεσεν ἅπαντα τὸν κεκρυμμένον ἰόν· [16] καὶ ἔφη[n] μηδεμίαν μὲν ἐκ τοῦ θείου βαπτίσματος ὠφέλειαν[o] τοῖς ἀξιουμένοις γίνεσθαι· μόνην δὲ τὴν σπουδαίαν εὐχὴν τὸν δαίμονα τὸν ἔνοικον ἐξελαύνειν. [17] ἕλκειν γὰρ ἕκαστον τῶν τικτομένων ἔλεγεν ἐκ τοῦ προπάτορος, ὥσπερ τὴν φύσιν, οὕτω δὴ[p] καὶ τὴν τῶν δαιμόνων δουλείαν. [18] τούτων δὲ ὑπὸ τῆς σπουδαίας ἐλαυνομένων εὐχῆς, ἐπιφοιτᾶ[q] λοιπὸν τὸ πανάγιον πνεῦμα αἰσθητῶς καὶ ὁρατῶς[r] τὴν οἰκείαν παρουσίαν

[a] A B Epiph. Ἐδέσσῃ. — [b] Christophorson, Scaliger ἐγχριμπτομένους ἐγχεῖν προϊεμένους. — [c] A om τε. — [d] A B Steph. om. τὴν. — [e] B Steph. om. γὰρ. — [f] συκοφαντεῖν] A τυγχάνειν. — [g] A πρεσβύτατον. — [h] A κελεύσας πλησίον καθεσθῆναι. — [i] A τῇ χάριτι. — [j] A ἀκοῦσαι. — [k] A πῶς. — [l] A om. τό. — [m] A om. τοῖς λόγοις. — [n] B om. ἔφη. — [o] A ὠφέλειαν ἐκ τοῦ θείου βαπτ. — [p] B om. οὕτω δή. — [q] A B ἐπιφοιτᾶν. — [r] Christophorson ἀοράτως.

σημαῖνον, τό τε σῶμα [a] τῆς τῶν παθῶν κινήσεως ἐλευθεροῦν, καὶ τὴν ψυχὴν τῆς ἐπὶ τὰ χείρω ῥοπῆς παντελῶς ἀπαλλάττον· ὡς μηκέτι δεῖσθαι λοιπὸν μήτε νηστείας πιεζούσης τὸ σῶμα, μήτε διδασκαλίας χαλινούσης, καὶ βαίνειν εὔτακτα [b] παιδευούσης. [19] οὐ μόνον δὲ τούτου [c] τετυχηκὼς τῶν τοῦ σώματος ἀπαλλάττεται σκιρτημάτων, ἀλλὰ καὶ σαφῶς [d] τὰ μέλλοντα προορᾷ καὶ τὴν Τριάδα τὴν θείαν τοῖς ὀφθαλμοῖς θεωρεῖ. [20] οὕτως ὁ θεῖος Φλαβιανὸς τὴν δυσώδη διορύξας [e] πηγήν, καὶ γυμνῶσαι παρασκευάσας τὰ νάματα [f] πρὸς τὸν δύστηνον ἔφη πρεσβύτην [g]· [21] πεπαλαιωμένε ἡμερῶν κακῶν, ἐλέγξαι [h] σε τὸ σὸν στόμα, καὶ οὐκ ἐγώ· τὰ δὲ χείλη σου καταμαρτυρῆσαι [i] σοῦ. [22] δήλης δὲ ταύτης [j] τῆς νόσου γεγενημένης τῆς μὲν Συρίας ἐξηλάθησαν, εἰς δὲ τὴν Παμφυλίαν ἐχώρησαν καὶ ταύτην τῆς λώβης ἐνέπλησαν [k].

affectuum motibus liberando, tum animam ab inclinatione ad deteriora penitus liberando, ita ut nec ieiunio iam opus sit corpus coercente, nec doctrina refrenante et ad recte ambulandum instituente. Nec solum protervis corporis motibus liberari, qui eum adeptus sit, sed futura etiam aperte praevidere et ipsam divinam Trinitatem oculis contemplari. Perfosso ad hunc modum fonte foetido aquisque elicitis miserum senem divus Flavianus allocutus, « inveterate dierum malorum » inquit, « ipsum te os tuum coarguit, non ego et labia tua contra te perhibent testimonium! » Itaque peste patefacta et Syria expulsi in Pamphyliam emigrarunt eamque lepra hac infecerunt.

X

Haereticarum fabularum compendium IV, 11 [1].

Μεσσαλιανοὶ δέ, τοὔνομα δὲ τοῦτο μεταβαλλόμενον εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνήν, τοὺς εὐχίτας σημαίνει, [2] τὸ μὲν βάπτισμα φασὶ μηδὲν ὀνεῖν τοὺς προσιόντας· ξυροῦ γὰρ δίκην ἀφαιρεῖται τῶν ἁμαρτημάτων τὰ πρότερα, τὴν δὲ ῥίζαν οὐκ ἐκκόπτει τῆς ἁμαρτίας. [3] ἡ δὲ ἐνδελεχὴς προσευχὴ καὶ τὴν ῥίζαν τῆς ἁμαρτίας πρόρριζον ἀνασπᾷ, καὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς συγκληρωθέντα πονηρὸν δαίμονα τῆς ψυχῆς ἐξελαύνει. [4] ἑκάστῳ γάρ φασιν ἀνθρώπῳ τικτομένῳ παραυτίκα συνέπεσθαι δαίμονα,

Messaliani autem, quod nomen in Graecam linguam translatum Euchitas significat, baptisma dicunt nil prodesse suscipientibus; siquidem novaculae instar praecedentia peccata auferat, peccati autem radicem non abscindat. Continua autem oratio et radicem peccati radicitus evellit et daemonem nequam inde ab initio hereditate acceptum ab anima expellit. Cuique enim, aiunt, homini nascenti mox adhaerere

[a] A Epiph. Καὶ τὸ σῶμα. — [b] A *inordinate* ἄτακτα. — [c] A τούτων. — [d] Christophorson σοφῶς. — [e] B ὀρύξας. — [f] κάματα] B Steph. add. *impiis* δυσσεβῆ. — [g] A δυσσεβῆ πρεσβύτην ἔφη. — [h] A ἤλεγξε B Steph ἔλεγξε. — [i] B Steph. Epiph. καταμαρτύρησαν. — [j] δὲ ταύτης] B Steph. δῆτα A om. δήλης δέ. — [k] A ἐξηλάσθη... ἀνεχώρησε... ἐνέπλησεν.

[1] Textum graecum vide in ed. opp. Theodoreti a Schulze publicata, t. IV, p. 366 sqq.

Alia quoque multa, praeter dicta comminiscuntur; ita ut nuptias legitimas indifferentissime solvant et recedentes a coniugio tamquam ascetas recipiant et beatos praedicent. Patres et matres, ut alendorum liberorum curam negligant, persuadent sibique, ut omnia afferant, nugando circumveniunt. Servos itidem a dominis profugos prompte suscipiunt, illos vero, qui delicto commisso ad se confugiant, nullo paenitentiae edito fructu, absque potestate sacerdotali, nulla habita ratione graduum, quos canones ecclesiastici praescribunt, omni se labe peccati citissime mundaturos pollicentur, modo quis iactatam toties orationem apud ipsos

[a] R Ἰοὺς οὔτε Χριστιανοὺς προσαγορεύειν ἀξιοῦσιν. Le Quien textum graecum transfert verbis : *Horum autem multi, tali accepto apud eos perfectionis testimonio cum extraneis* (*quos nec Christianorum nomine dignos censent*)..., quae translatio, uti nemo non videt caret sensu. Textus in forma impressa vix caret mendis. — [h] R κυβείας] R κακίας.

exercens extemporaneus socius fiat ludi eorum fraudulenti accedat, adeo plane, ut quosdam huius generis viros ante peccatorum remissionem ad impositionem manuum clericorum adduxerint, episcopos testimonio eorum, qui apud eos ascetae habebantur deceptos fraudulenter persuadentes, ut manus eis imponant.

Hoc autem moliuntur, non quod gradus clericorum magni faciant, — ipsos enim episcopos contemptui habent quando eis videtur, — sed ut potestatem aliquam et auctoritatem aucupentur. Quidam autem ex eis numquam sacris mysteriis communicandum volunt, nisi praesentiam Spiritus illa hora sensibili modo sentiant. Aliqui vero ex eis volentibus membra naturalia excindi permittunt. Excommunicationes facile contemnunt. Iurant sine timore ac periurant suamque haeresim subdole anathematizant.

γένοιτο. 14 ὥς τινας τῶν τοιούτων πρὸ τῆς ἀπαλλαγῆς τῶν ἁμαρτημάτων ἄγειν αὐτοὺς εἰς κληρικῶν χειροτονίας, δολερῶς πείθοντες τοὺς ἐπισκόπους ἐπιτιθέναι χεῖρας αὐτοῖς, τῇ[a] παρὰ τῶν νομιζομένων παρ' αὐτοῖς ἀσκητῶν μαρτυρίᾳ δελεαζομένους.

15 Τοῦτο δὲ σπουδάζουσιν, οὐχ ὡς τοὺς τῶν κληρικῶν βαθμοὺς τιμίους κρίνοντες, οἵ γε καὶ αὐτῶν τῶν ἐπισκόπων καταφρονοῦντες[b], ὅταν ἐθέλωσι· ἀλλὰ δυναστείαν τινὰ καὶ αὐθεντείαν ἑαυτοῖς πραγματευόμενοι. 16 ἔνιοι δὲ αὐτῶν μήτε κοινωνῆσαι αὐτοὺς τῶν μυστηρίων λέγουσιν, εἰ μὴ τῆς παρουσίας τοῦ Πνεύματος αἰσθητῶς[c] αἴσθωνται γενομένης κατ' ἐκείνην τὴν ὥραν· 17 ἐπιτρέπουσι δὲ τινὲς αὐτῶν τοῖς βουλομένοις ἀποτέμνειν τὰ ἑαυτῶν φυσικὰ μόρια. 18 καταφρονοῦσι δὲ ῥᾳδίως καὶ ἀφορισμῶν. 19 ὄμνυσι δὲ ἀδεῶς καὶ ἐπιορκοῦσιν· ἀναθεματίζουσί τε ὑποδόλως τὴν αἵρεσιν αὐτῶν.

XVIII Ibidem § 980[d].

Lampetiani, sic appellati a Lampetio quodam, hi idem vitae genus agere et in coenobiis morari volentibus, permittunt cuique quodlibet voluerit ac probaverit conversandi rationem amplecti, quemque placuerit habitum induere. Dedecet enim, aiunt, Christianum vi coactum agere,

Λαμπετιανοί, οἱ ἀπὸ Λαμπετίου τινὸς οὕτω προσαγορευόμενοι[e], οἵ τινες τοῖς βουλομένοις ἐπὶ τὸ αὐτὸ ζῆν καὶ ἐν κοινοβίοις διάγειν, ἐπιτρέπουσιν ἑκάστῳ οἵαν ἂν ἐθέλῃ καὶ δοκιμάζῃ[f] πολιτείαν ταύτην μετιέναι, καὶ ὃ προαιρεῖται σχῆμα ἀμφιέννυσθαι. οὐδὲν γὰρ δεῖ[g], φησίν, ἠναγκασμένως ποιεῖν τὸν Χριστιανόν· ὅτι γέγραπται· ἑκουσίως θύσω

[a] τῇ] R ᾗ. — [b] Var. καταφρονοῦσιν. — [c] R Lat. om. αἰσθητῶς. — [d] Textum vide ed. cit. Opp. S. I. Damasc., p. 109. — [e] προσαγορευόμενοι] R καλουμένου. — [f] A H ἐθέλοι καὶ δοκιμάζοι. R ἐθέλει καὶ δοκιμάζει. — [g] Ed. om. δεῖ.

σοι. καὶ πάλιν, ἐκ θελήματός μου ὁμολογήσομαι αὐτῷ. ἐπιτρέπουσι δέ, ὥς φασί τινες, καὶ φυσικοῖς πάθεσι χώραν διδόναι καὶ μὴ ἀνθίστασθαι αὐτοῖς, ὡς τῆς φύσεως οὕτως ἀπαιτούσης· καὶ ἕτερά τινα παραπλησίως τῶν ὀνομαζομένων Ἀρειανῶν [a] λέγονται φρονεῖν [b].

cum scriptum sit [1] : *voluntarie sacrificabo tibi*. Et iterum [2] : *ex voluntate mea confitebor illi*. Quinimo permittunt, ut quidam ferunt, affectibus naturalibus indulgeri nec eis repugnari, ita hoc natura exigente. Et alia quaedam simillima placitis eorum, qui dicuntur Aeriani cogitare feruntur.

XIX-XX

Ex libro XI scholiorum Theodori bar Chôni [c].

ܗܪܣܝܣ ܕܡܨܠܝܢܐ܀ ܗܕܐ ܗܪܣܝܣ
ܐܫܬܟܚܬ ܒܕܝܢܐ ܕܐܝܟ ܗܢܐ. ܐܢܫܝܢ
ܕܝܪܝܐ ܗܘܘ ܒܬܚܘܡܐ ܕܐܘܪܗܝ ܡܕܝܢܬܐ
ܐܝܠܝܢ ܕܚܕ ܫܡܗ ܣܒܐ ܘܐܚܪܢܐ ܕܕܘ
ܘܕܠܦ ܘܗܪܡܝܣ ܘܫܡܥܘܢ ܘܐܚܪܢܐ.
ܘܥܠ ܐܝܠܝܢ ܡܫܬܥܐ ܕܒܫܘܪܝܗܘܢ
ܒܕܘܒܪܐ ܫܦܝܪܐ ܐܬܝܬܪܘ ܘܛܢܢܘ ܒܛܘܒܢܐ
ܐܢܛܘܢܝܘܣ ܘܡܩܪܝܘܣ ܘܒܝܘܠܝܢܐ ܣܒܐ
ܗܘ ܕܩܠܝܠ ܪܚܝܩ ܗܘܐ ܡܘܬܒܗ
ܡܢܗܘܢ ܘܪܒ ܛܒܗ ܗܘܐ. ܐܠܐ ܘܟܕ
ܫܘܘܕܝܐ ܕܬܠܡܝܕܘܬܐ ܕܩܕܝܫܐ ܐܚܝܕܝܢ
ܗܘܘ: ܗܘܘ ܢܘܟܪܝܐ ܠܕܘܒܪܝܗܘܢ ܐܝܟ
ܝܗܘܕܐ ܘܓܝܚܙܝ. ܘܡܛܠ ܕܐܬܒܨܪܬ
ܠܘܬܗܘܢ ܡܕܒܪܢܘܬܐ ܘܢܟܦܘܬܐ ܗܢܘܢ ܕܒܗܘܢ

XIX. — [1] *Haeresis Messalianorum*. [2] Haecce haeresis hoc modo orta est : Quidam monachi in confinibus Edessae civitatis habitabant, quorum alteri nomen erat Saba, et alteri Dadō et Dlaph et Hermes et Šem'on et alii. [3] Et de istis fertur eos initio moribus optime excelluisse aemulosque fuisse Beati Antonii et Macarii et Iuliani Sabae, cuius sedes ab eis paulo aberat et longe celeberrima fuit. [4] Attamen licet promissionem discipulatus sanctorum tenerent, extranei facti sunt moribus eorum, sicut Iudas et Giezi, [5] et quoniam imminuta est apud eos

[a] Lege cum Lequien Ἀερ:ανῶν. — [b] H add. : *Ex his Eustathius quidam prodiit, a quo Eustathiani* ἀπὸ τούτων Εὐστάθιός τις ἀνεφάνη, ἐξ οὗ Εὐσταθιανοί. — [c] Textum syriacum vide apud Pognon, *Les inscriptions mandaïtes des coupes de Khouabir*, Paris, 1898, p. 139-141. Traductio gallica adest ibidem p. 203-206. Textum edidit etiam A. Scher, *Theodorus bar Kôni, Liber Scholiorum*, Paris, 1910, t. II.

[1] Ps. LIII, 8. — [2] Ps. XXVI, 8.

cognitio et regulae, quibus boni mores acquiruntur, Satanas eis affectum cupiditatis nocivae suggessit, et penes se revelationes fieri et visione spirituali dignari optabant. [6] Et illa cogitatione in eis stabilita sensibili quodam modo eis Satanas apparuit eosque putare fecit apparitionem sui revelationem esse Spiritus Paracliti, qui a Redemptore missus supra Apostolos in coenaculo descendit. [7] Et sceptrum quodlibet, quod eis hac ratione apparuit, commotione inordinata et concitata anhelabant iuxta consuetudinem sacrificulorum daemonum, qui re aliqua praeter consuetudinem sibi apparente commoveri solent, sicut etiam S. Scriptura in Eliae historia indicat de sacrificulis prophetisque Ba'al, qui *excitati sunt,* inquit, *iuxta consuetudinem suam*[a]. [8] Ad instar illorum nec isti noverunt daemonem esse eum, qui eis apparuit et versus eum excitati ferebantur et ex rebus eorum gestis verificatum est nomen Mṣalliânē et Ktîšē[b]. [9] Et quicunque revelationem, quam diximus, acceperit, ad eorum mentem perfectus est, impassibilis, Spiritum S. consecutus, nec proinde oriuntur in eo passiones

[a] III Regnorum, xviii, 28. — [b] Id est, obsessi, furibundi, ἐνθουσίασται.

ܕܚܛܝܬܐ. ܘܡܛܠ ܕܐܝܟ ܗܢܐ ܡܒܣܠ
ܨܘܡܐ ܗܘܐ ܠܒܬܘܠܘܬܐ ܘܠܫܗܪܘܬܐ ܘܠܡܥܒܕܘܬܐ
ܘܡܢ ܕܘܒܪܐ ܕܥܡܠܐ ܕܩܕܝܫܘܬܐ ܡܫܬܐܠ
ܗܘܐ ܐܦ ܡܢ ܦܘܠܚܢܐ ܕܐܝܕܝܐ ܐܝܟ ܕܡܢ
ܫܘܓܢܐ ܨܥܪܐ ܦܠܛ ܗܘܐ. ܘܡܒܛܠܐ
ܗܘܐ ܒܛܝܠܐ ܘܕܒܪ ܒܫܢܬܐ ܐܝܟܢܐ ܕܢܣܒܪ
ܕܠܐ ܚܠܡܐ ܕܡܢ ܫܐܕܐ ܡܫܬܕܪܝܢ ܗܘܘ
ܠܘܬܗ ܕܓܠܝܢܐ ܐܢܘܢ܀ ܗܠܝܢ ܙܢܝܐ
ܕܡܢ ܫܐܕܐ ܕܡܫܢܝܐ ܥܠ ܡܨܠܝܢܐ
ܐܬܦܠܚܘ܀

ܡܬܐܡܪܐ ܕܐܦ ܠܐܢܫܐ ܩܕܝܫܐ
ܕܒܡܕܒܪܐ ܥܡܪܝܢ ܫܐܕܐ ܠܢܣܝܘܢܗܘܢ.
ܘܐܡܪܝܢ ܗܘܘ ܠܗܘܢ ܕܡܫܝܚܐ
ܐܢܚܢܢ: ܘܙܒܢ ܕܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ
ܙܒܢ ܕܝܢ ܕܚܕ ܡܢ ܡܠܐܟܐ ܩܕܝܫܐ.
ܐܝܟ ܕܐܡܝܪ ܥܠ ܚܕ ܡܢ ܩܕܝܫܐ
ܕܟܕ ܐܬܚܙܝ ܠܗ ܣܛܢܐ ܒܕܡܘܬܐ
ܕܢܘܗܪܐ ܥܢܐ ܠܗ: ܕܐܢܐ ܠܐ ܒܥܝܢܐ
ܕܓܘܫܡܐ ܕܦܓܪܐ ܚܙܐ ܠܡܫܝܚܐ. ܘܥܠ
ܐܚܪܢܐ ܐܡܝܪ ܠܗ ܕܟܕ ܐܬܚܙܝܘ ܗܘܘ
ܫܐܕܐ ܒܕܡܘܬܐ ܢܘܗܪܐ ܘܢܘܪܐ ܡܥܡܨ
ܗܘܐ ܥܝܢܘܗܝ ܕܠܐ ܢܚܙܐ ܐܢܘܢ ܕܒܗܘܢܐ
ܒܠܚܘܕ ܡܨܠܝܢ ܗܘܘ ܕܢܫܬܘܘܢ ܠܚܙܘܐ
ܕܢܘܗܪܗ ܕܡܫܝܚܐ. ܗܝ ܕܟܕ ܠܐ ܐܣܬܟܠܘ
ܡܨܠܝܢܐ ܫܛܝܐ ܐܬܓܚܟܘ ܒܗܘܢ ܫܐܕܐ
ܐܝܟ ܥܝܕܐ ܕܡܛܥܝܢܘܬܗܘܢ: ܘܚܠܦ
ܢܘܗܪܐ ܚܡܘ[1] ܠܗܘܢ ܣܛܢܐ ܚܫܘܟܐ

peccati. [10] Iam igitur qua talis contemnebat ieiunium, virginitatem, vigiliasque et se a conversatione laboriosa sanctitatis excusatum habebat imo etiam ab opificio manuum tamquam occupatione inhonesta restitit et otiosus manens somno dabat operam, perinde ac si putasset somnia sibi a daemone immissa revelationes esse. [11] Hae sunt nugae, quae a daemonibus furentibus circa Messalianos patratae sunt.

[12] Fertur etiam ad homines sanctos in deserto habitantes daemones accessisse ad tentationem ipsorum, eisque dixisse se esse Christum, alio tempore Spiritum Sanctum, aliquando autem unum e sanctis angelis, [13] sicut de quodam Sancto narratur, qui apparenti sibi Satanae in forma lucis responderit : « Nolo sensibus corporis videre Christum. » [14] De alio autem eum apparentibus sibi daemonibus in similudine luminis ignisque clausisse oculos, ne eos videret, cum sola mente petissent dignari visione luminis Christi. [15] Quod cum Messaliani stulti non intellexissent, illuserunt eis daemones, sicut moris est imposturis eorum; et pro luce tenebras eis Satanas

1. In textu ܚܘ sic.

ostenderant, quas illi tanquam Christum receperunt et ad eum, velut Redemptorem, oraverunt.

[16] Feruntur etiam hancce sententiam tenere : [17] Quilibet quoque ex hominibus veluti successione naturae accipit daemonem qui, aiunt, toto vitae eius tempore apud eum manet, nec ullo alio medio expellitur nisi oratione, hoc est motibus furiosis, qui ab eis « complementum » appellantur. [18] De baptismo vero asserunt, nihil conferre habenti illud neque gratiam Spiritus, quae ope eius datur; neque mysteria sancta quidquam prodesse sumenti ea, sed adminiculum fieri ab oratione, quae ab eis apparenti sibi daemoni offertur. [19] Erant autem, qui infirmitate hac correpti sunt, monachi, qui e suis locis Edessae vicinis atque e regionibus Orientis eiecti, Lycaoniam petiere. [20] Non enim separarunt se a membris ecclesiae cum nec damno nec emolumento esse existimarent participare mysteria salutifera vel ab eis abstinere.

XX. *Haeresis Lampetianorum* [a]. Lampetius iste genere Cappadox erat et in deserto Aegypti diu habitabat. [2] Postea usque ad Constantinopolim

ܘܡܫܠܡܝܢ ܗܘܘ[1] ܠܗܘܢ ܐܝܟ ܕܠܡܫܝܚܐ
ܘܡܨܠܝܢ ܠܗ ܐܝܟ ܕܠܦܪܘܩܐ܀
ܐܡܪܝܢ ܕܐܚܝܕܝܢ ܠܗܘܢ ܐܦ ܗܕܐ ܡܠܬܐ
ܗܢܐ ܕܐܝܟ ܕܒܝܘܒܠܐ ܕܟܝܢܐ ܡܩܒܠ
ܕܝܘܐ ܐܦ ܗܘ ܟܠ ܚܕ ܡܢ ܒܢܝܢܫܐ ܘܡܟܬܪ
ܠܘܬܗ ܟܠܗ ܙܒܢܐ ܕܚܝܘܗܝ ܘܠܐ
ܡܬܬܪܕܐ ܠܗ ܒܡܕܡ ܐܚܪܢ ܐܠܐ ܐܢ
ܒܨܠܘܬܐ: ܗܢܘ ܕܝܢ ܒܙܘܥܐ ܕܚܡܬܢܐ ܗܢܘܢ
ܕܡܬܩܪܝܢ ܡܢܗܘܢ ܫܘܡܠܝܐ ܐܬܡܠܝܘܗ. ܘܥܠ
ܡܥܡܘܕܝܬܐ ܐܡܪܝܢ ܕܠܐ ܡܘܬܪܐ ܡܕܡ
ܠܡܢ ܕܢܣܒ ܠܗ ܘܠܐ ܛܝܒܘܬܐ ܕܪܘܚܐ
ܕܒܐܝܕܗ ܡܬܝܗܒܐ ܘܠܐ ܐܪ̈ܙܐ ܩܕܝܫܐ
ܡܘܬܪܝܢ ܠܐܝܠܝܢ ܕܢܣܒܝܢ ܠܗܘܢ ܐܠܐ ܗܘܐ
ܠܘܬ ܥܘܕܪܢܐ ܡܢ ܨܠܘܬܐ ܗܝ ܕܡܩܪܒܝܢ ܠܕܝܘܐ
ܗܘ ܕܡܬܚܙܐ ܠܗܘܢ ܡܢ ܠܘܩܒܠ ܡܬܩܪܒܐ.
ܘܐܝܬܝܗܘܢ ܐܝܟ ܕܒܟܘܪܗܢܐ ܗܢܐ ܐܬܬܚܕܘ
ܐܝܠܝܢ ܕܝܚܝ̈ܕܝܐ ܗܠܝܢ ܕܡܢ ܐܬܪ̈ܘܬܗܘܢ ܡܢ
ܕܩܪ̈ܝܒܝܢ ܠܗ̇ ܠܐܘܪܗܝ ܘܡܢ
ܐܬܪ̈ܘܬܐ ܕܡܕܢܚܐ ܐܙܠܘ ܠܠܘܩܘܢܝܐ. ܠܐ
ܓܝܪ ܦܪܫܘ ܢܦܫܗܘܢ ܡܢ ܗܕ̈ܡܐ
ܕܥܕܬܐ ܐܝܟ ܡܢ ܕܠܐ ܠܐ ܚܘܣܪܢܐ ܘܠܐ
ܡܘܬܪܢܐ ܚܫܝܒܐ ܠܗܘܢ ܗܝ ܕܢܫܬܘܬܦܘܢ
ܠܐܪ̈ܙܐ ܡܚܝ̈ܢܐ. ܘܢܦܠܓܘܢ ܡܢܗܘܢ.
ܗܪܣܝܣ ܕܠܡܦܛܝܢܐ. ܗܢܐ ܠܡܦܛܝܣ
ܩܦܕܘܩܝܐ ܗܘܐ ܒܓܢܣܗ. ܡܬܥܡܪ ܙܒܢܐ
ܣܓܝܐܐ ܒܡܕܒܪܐ ܕܡܨܪܝܢ. ܘܡܢ ܒܬܪܟܢ

[a] Textum syriacum vide apud Pognon *o. c.* p. 141 sq.; translationem gallicam *ib.* p. 206 sq.

1. In textu ܗܘ ܘܡܫܠܡ

ܡܛܠ ܕܡܛܐ ܠܡܫܬܡܠܝܢܘܬܗ ܘܠܥܠܡܗ
ܘܐܡܪ ܗܘܐ ܥܠ ܢܦܫܗ ܕܐܫܬܘܝ
ܠܓܠܝܢܐ ܘܩܡ ܒܠܐ ܚܫܫܘܬܐ
ܘܡܫܡܠܝܘܬܐ ܕܠܒܪܢܫܐ ܚܕܬܐ ܕܐܬܚܙܝܘ
ܕܪܓܬܐ ܚܛܝܬܐ ܘܡܕܡ ܠܐ ܢܩܦܐ ܐܝܬ
ܒܗ ܘܠܐ ܚܛܝܬܐ. ܘܟܡܐ ܙܒܢܝܢ ܡܢ ܠܒܫ
ܗܘܐ ܡܐܢܘܗܝ ܘܩܐܡ ܗܘܐ ܥܪܛܠ ܐܝܠܝܢ
ܕܡܦܓܥܝܢ ܠܗ. ܘܗܠܝܢ ܕܗܘܝܢ
ܗܘܐ ܡܢܗ ܡܛܠ ܫܛܝܘܬܐ ܠܕܟܝܘܬܐ ܘܡܫܪܝܐ
ܠܟܝܢܗ: ܟܠ ܕܟܝܘܬܐ ܘܠܐ ܚܫܫܘܬܐ
ܣܐܡ ܗܘܐ ܠܗ. ܠܟܬܒܐ ܕܝܢ ܬܐܘܪܝܐܝܬ
ܡܦܫܩ ܗܘܐ ܐܝܟ ܬܪܥܝܬܗ ܕܐܘܪܝܓܢܝܣ.
ܘܐܡܪ ܗܘܐ ܕܡܢ ܓܠܝܢܐ ܝܠܦ ܘܠܐ
ܡܢ ܕܪܫܐ ܘܩܪܝܢܐ. ܘܡܠܦ ܠܨܘܡܐ
ܘܫܗܪܐ ܘܠܡܣܪܒܢܘܬܐ ܠܡܫܛ
ܘܠܒܬܘܠܘܬܐ ܘܠܩܕܝܫܘܬܐ ܕܦܓܪܐ.
ܘܐܡܪ ܗܘܐ ܕܟܠ ܕܐܫܬܘܝ ܠܠܐ ܚܫܫܘܬܐ
ܠܐ ܣܢܝܩ ܕܒܗܝܢ ܕܘܒܪܐ ܕܐܝܟ ܗܠܝܢ
ܢܙܕܕܩ. ܘܡܒܙܚ ܗܘܐ ܒܕܝܪܝܐ ܘܒܢܙܝܪܐ
ܟܕ ܐܡܪ ܕܒܢܙܝܪܘܬܐ ܐܢܫ ܠܐ ܡܙܕܕܩ ܐܠܐ
ܘܠܐ ܠܒܪܢܫ ܕܢܐܟܘܠ ܘܢܫܬܐ ܘܢܬܦܪܓ
ܘܐܝܟ ܢܡܘܣܐ ܡܫܠܡ ܗܘܐ ܠܗ
ܠܒܣܪܐ ܕܢܐܟܠܘܢ ܐܦ ܒܣܪܐ ܘܝܬܝܪܐܝܬ
ܕܚܙܝܪܐ. ܘܡܫܒܚ ܗܘܐ ܠܠܒܘܫܐ ܕܡܐܢܐ
ܢܩܝܐ ܘܚܘܪܐ ܘܐܣܟܡܐ ܕܕܝܪܝܐ ܡܫܠܐ
ܗܘܐ ܘܐܡܪ ܗܘܐ ܕܒܛܠܢܘܬܐ ܡܫܬܡܫܝܢ
ܒܠܒܫܬܐ ܕܐܘܟܡܐ. ܘܠܐܝܠܝܢ
ܕܡܒܣܪܝܢ ܗܘܘ ܥܠ ܡܠܦܢܘܬܗ ܡܚܝܠܐ
ܩܪܐ ܗܘܐ ܕܠܐ ܒܫܡܠܝܐ ܡܛܝܢ

pervenit et de seipso aiebat se revelatione dignatum esse atque in ea impassibilitate et in illo perfectionis gradu constitisse, quae novo conveniat homini, in quo proinde nec cupiditas sit, nec peccatum. [3] Et quoties retexit vestimenta sua et stetit nudus coram occurrentibus sibi! [4] Et quae ab ipso ob vecordiam fiebant atque dementiam, ipse puritati et impassibilitati tribuebat. [5] Scripturas autem allegorice interpretabatur ad mentem Origenis, se affirmans revelatione edoctum esse, non studio et lectione. [6] Et docebat ieiunium, vigilias, abnegationem contemnenda esse, sicut et virginitatem et puritatem corporis; et dicebat quemque impassibilitate dignatum non habere opus, ut per huiusmodi conversationem iustificetur. [7] Et irridebat monachos et naziraeos dicens neminem iustificari nazireatu, sed oportere hominem comedere et bibere et oblectari et legis ad instar tradebat carnes, imprimis suiles manducandas esse. [8] Et commendabat vestimenta nitida et alba et reiecto monachorum habitu affirmabat eos perperam induere vestimenta nigra. [9] Eos autem, qui doctrinam eius contemnerent, imbecilles appellabat, quod ad perfectionem adhuc non pervenissent. [10] Auri porro erat amantissimus,

hortabaturque discipulos suos, ut quod possiderent, rem communem haberent. [11] Et collecto auro haud modico monasteria misit aedificare in monte inter Ciliciam et Isauriam sito, quae vix differunt a lupanaribus meretricum, ob excessus crebros, quibus oblectari solent. [12] Non enim prohibuit, quin mulieres cum viripari ratione commiscerentur in monasteriis.

ܠܡܬܠܡ̈ܕܐ. ܐܠܦܗܘܢ ܗܘܐ ܕܝܢ ܐܦ ܕܢܩܢܘܢ
ܕܗܘܐ ܘܡܫܘܬܦ ܗܘܐ ܠܟܠܬܠܡ̈ܝܕܘܗܝ
ܘܡܢ ܕܟܢܫ ܕܗܒܐ ܣܓܝܐܐ. ܘܫܕܪ
ܒܢܐ ܕܝܪ̈ܐ ܠܐ ܒܛܘܪܐ ܩܕܡ ܒܝܢܬ ܕܡܨ̈ܥܬܐ
ܒܛܘܪܐ ܕܩܝܡ ܒܝܢܬ ܩܝܠܝܩܝܐ
ܠܐܝܣܘܪܝܐ ܗܢܘܢ ܕܠܐ ܦܪܝܫܝܢ ܡܢ
ܒܬ̈ܐ ܕܙܢܝ̈ܬܐ ܡܛܠ ܦܘܪ̈ܥܢܐ
ܣܓܝ̈ܐܐ ܕܒܗܘܢ ܡܬܦܢܩܝܢ ܗܘܘ. ܠܐ
ܓܝܪ ܟܠܐ ܗܘܐ ܕܢܫ̈ܐ ܢܬܚܠܛܢ
ܥܡ ܓܒܪ̈ܐ ܒܕܝܪ̈ܐ܀

XXI

De synodo Sidetana

Contra Haeresim Messalianorum coacta, deque aliis rebus contra eos gestis.
Ex *Bibliotheca* Photii, Codex LII [a].

Lecta synodus Sidae habita adversus haeresim Messalianorum, hoc est, Euchitarum, seu Adelphianorum. Praefuit synodo Amphilochius Iconii episcopus considentibus et aliis viginti quinque episcopis. In eodem libro lecta est ipsius synodi ad magnum Flavianum, episcopum Antiochiae epistola synodica rerum gestarum rationem reddens.

Quapropter etiam ille synodum indixit adversus ipsos eosdem haereticos praesentibus cum ipso tribus episcopis, Bizo Seleuciae, Marutha

1. [1] Ἀνεγνώσθη σύνοδος γενομένη ἐν Σίδῃ κατὰ τῆς αἱρέσεως τῶν Μεσαλιανῶν ἤγουν Εὐχιτῶν ἤτοι Ἀδελφιανῶν [2]. ἐξῆρχε δὲ τῆς συνόδου Ἀμφιλόχιος ὁ τοῦ Ἰκονίου [b] συνεδρευόντων αὐτῷ καὶ ἑτέρων ἐπισκόπων τὸν ἀριθμὸν πέντε καὶ εἴκοσιν. [3] ἐν τῇ αὐτῇ δὲ βίβλῳ ἀνεγνώσθη τῆς αὐτῆς συνόδου πρὸς τὸν μέγαν Φλαβιανὸν τὸν Ἀντιοχείας ἐπιστολὴ συνοδικὴ τῶν πεπραγμένων ποιουμένη τὴν διδασκαλίαν.

2. Διόπερ καὶ αὐτὸς συναθροίζει σύνοδον κατὰ τῶν αὐτῶν αἱρετικῶν, συμπαρόντων μὲν αὐτῷ ἐπισκόπων τριῶν, Βίζου [c] τοῦ Σελευκείας καὶ Μαρουθᾶ τοῦ Σουφαρηνῶν

[a] Textum e recensione Emanuelis Bekker a Migne recusum vide in *P. G.* CIII, col. 87-92. Translationem Andreae Scotti, ubi necesse erat, correximus. Ad variantes notatas quod attinet, S = textus editionum priorum; A = Codex S. Marci Venetus 450. — [b] A εἰκονίου. — [c] S βύζου.

ἔθνους καὶ Σάμου [a]. πρεσβύτεροι δὲ καὶ διάκονοι συμπαρῆσαν μέχρι τριάκοντα. [2] ἐν ταύτῃ τῇ σύνοδῳ μετάνοιαν ἐπαγγελλόμενον τὸν Ἀδελφιὸν οὐκ ἐδέξαντο, οὐδὲ τὴν αἵρεσιν ἀπαρνούμενον προσήκαντο· οὐδὲ γὰρ ἐκ καρδίας οὔτε ἡ τῆς αἱρέσεως ἄρνησις, οὔτε ἡ μετάνοια ἐπεδείκνυτο. [3] ἦσαν δὲ οἱ ταύτης γεννήτορες τῆς αἱρέσεως Ἀδελφιός τις ὁ ῥηθείς, οὔτε μοναστῶν οὔτε ἱερέων ἐγκατειλεγμένος κλήρῳ, ἀλλ' ἐν λαϊκοῖς ἐξεταζόμενος, καὶ Σάβας [b] τὸ τῶν μοναχῶν ὑπεισδὺς σχῆμα, ὃν ἐκ τῆς πράξεως ἐκάλουν ἀπόκοπτον, καὶ ἕτερος Σάβας [b], καὶ Εὐστάθιος Ἐδεσηνὸς [c], καὶ Δαδώης [d] καὶ Συμεώνης, τοῦ [e] πονηροῦ τὰ ζιζάνια, καὶ ἕτεροι τούτοις συμπαραφυόμενοι. [4] κατεκρίθη δὲ Ἀδελφιὸς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ καίτοι μετανοίας τόπον, ὡς ἔφημεν, ἐπιζητοῦντες· πλὴν ταύτης οὐκ ἔτυχον, διότι ἐγγράφως, οὓς ἀνεθεμάτισαν ὡς Μεσαλιανούς, τούτοις ὡς ὁμόφροσιν ἐφωράθησαν κοινωνήσαντες.

3. Ἐγράφη δὲ Φλαβιανῷ πρὸς τοὺς ἐν Ὀσροήνῃ [f] ἐπιστολὴ τὰ περὶ αὐτοὺς πραχθέντα ἐκδιδάσκουσα, ἐν ᾗ ἐμφέρεται ὡς οἱ αἱρετικοὶ ἐτυπτήθησαν καὶ ἀνεθεματίσθησαν· [2] καὶ ἀντεγράφη παρὰ τῶν δεξαμένων ἐπισκόπων Φλαβιανῷ εὐχαριστία ὑπὲρ τούτων καὶ συμφωνία. [3] ἔγραψε δὲ καὶ Λιτώϊος ὁ Ἀρμενίας ἐπίσκοπος, διαπυνθανόμενος τὰ περὶ τῶν Μεσαλιανιτῶν, καὶ ἐγράφη αὐτῷ ἡ περὶ αὐτῶν συνοδικὴ ψῆφος καὶ ἀπόφασις· [4] ἔγραψε δὲ ὁ μέγας Φλαβιανὸς καὶ Ἀρμενίῳ

gentis Sopharenorum et Samo; presbyteri vero et diaconi aderant fere triginta. In hac synodo Adelphium, poenitentiam promittentem non receperunt, nec haeresim abiurantem, admiserunt, neque enim haereseos abiuratio, neque poenitentia sincera inventa sunt. Erant autem huiusce haereseos auctores Adelphius dictus, neque monachorum neque sacerdotum in ordinem lectus, sed inter laicos repertus, et Sabas, monachorum habitum gerens, quem ex rei eventu « castratum » appellarunt, item alter Sabas et Eustathius Edessenus et Dadoës et Symeones, zizania maligni, aliique ipsis adhaerentes. Adelphius vero et qui cum eo erant condemnati sunt : quamvis uti diximus poenitentiae locum quaesierint, non tamen eum invenerunt, eo quod quos anathemate tamquam Messalianos condemnarant, cum iis, veluti consortibus scripto communicare deprehensi sunt.

Scripsit porro Flavianus ad Osroenenses epistolam ea, quae circa eos gesta sunt, docentem in qua refertur, quomodo haeretici illi puniti atque excommunicati fuerint; responsumque est acceptis ab episcopis litteris et Flaviano pro his gratiae actae sunt ac assensus. Scripsit autem etiam Litoius Armeniae episcopus de Messalianis sciscitabundus, rescriptaque est ei synodica de illis sententia ac decretum. Scripsit quo-

[a] Σάμου] textus mendosus est; aliquid excidisse videtur; forte Σάμου corruptio est vocabili σαμοσάτων. — [b] S σάββας. — [c] ἐδεσηνὸς ita corrigente Bekkero] S αἰδέσιμος *venerandus*. — [d] S δαδόης καὶ Σεμεσώνης. — [e] τοῦ] Migne τῶν. — [f] S ῥοίνη.

que magnus Flavianus hac in causa Armenio cuidam episcopo secunda vice; in qua altera epistola etiam conqueritur, eo auctore Messalianitas patrocinium aliquod invenisse. Item etiam Atticus antistes Constantinopolitanus scripsit Pamphyliae episcopis, ut Messalianos tamquam malefactores ac detestandos undique exturbarent. Quin etiam idem ipse ad Amphilochium Sidetanum similiter scripsit.

τινὶ ἐπισκόπῳ περὶ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως δεύτερον. ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ ἐπιστολῇ καὶ [a] ἔγκλησιν προσάγει, ὅτι προστασίας τινὸς παρ' αὐτοῦ οἱ Μεσαλιανῖται τυγχάνουσιν· [5] ἔγραψε μέντοι καὶ ὁ Κωνσταντινουπόλεως Ἀττικὸς τοῖς ἐν Παμφυλίᾳ ἐπισκόποις ἵνα πανταχόθεν τοὺς Μεσαλιανοὺς ὡς ἄγη καὶ μύση ἀπελαύνωσιν. [6] ἔτι δὲ ὁ αὐτὸς καὶ πρὸς Ἀμφιλόχιον τὸν Σίδης ὁμοίως.

Porro Sisinnius Constantinopolitanus et Theodotus Antiochenus communem epistolam miserunt ad Berinianum et Amphilochium et reliquos Pamphyliae episcopos, cui inscriptum est : « Deo carissimis sacrorum collegis, Beriniano et Amphilochio et omnibus Pamphyliae episcopis Sisinnius et Theodotus et universa synodus Dei gratia in urbe magna Constantinopolitana consecrandi episcopi Deo cari et sanctissimi Sisinnii causa congregata iussu imperatoris nostri piissimi Christo cari Theodosii in Domino salutem! » In ipsa hac epistola synodica Neon episcopus proclamavit, ut si quis post anathematismum ullo tempore deprehensus fuerit verbo aut opere in suspicionem infirmitatis huiuscemodi incidisse, numquam postea, etiamsi decies millies promittat, ei in ordine poenitentium locus capiendus concedatur, idemque periculum incurrat conspiraturus cum ipso sive episcopus fuerit, sive alius quisquam. Scripsit etiam Joannes Antiochenus epistolam ad Nestorium

4. Ἔγραψε δὲ καὶ Σισίννιος ὁ Κωνσταντινουπόλεως καὶ Θεόδοτος ὁ Ἀντιοχείας κοινὴν ἐπιστολὴν πρὸς Βερινιανὸν καὶ Ἀμφιλόχιον καὶ λοιποὺς τοὺς ἐν Παμφυλίᾳ ἐπισκόπους, ἧς ἡ ἐπιγραφή· [2] « τοῖς θεοφιλεστάτοις συλλειτουργοῖς Βερινιανῷ καὶ Ἀμφιλοχίῳ καὶ πᾶσι τοῖς ἐν Παμφυλίᾳ ἐπισκόποις, Σισίννιος καὶ Θεόδοτος καὶ πᾶσα ἡ ἁγία σύνοδος ἡ κατὰ θείαν [b] χάριν συγκροτηθεῖσα ἐν τῇ μεγαλοπόλει Κωνσταντινουπόλει τῆς χειροτονίας ἕνεκα τοῦ θεοφιλεστάτου καὶ ἁγιωτάτου [c] ἐπισκόπου Σισιννίου θεσπίσματι τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως Θεοδοσίου, ἐν Κυρίῳ χαίρειν. » [3] ἐν ταύτῃ τῇ συνοδικῇ ἐπιστολῇ καὶ Νέων ἐπίσκοπος ἐξεφώνησεν, ὡς εἴ τις μετὰ τὸν ἀναθεματισμὸν φωραθείη τῷ χρόνῳ ἢ διὰ ῥημάτων ἢ διὰ πραγμάτων εἰς τὴν ὑποψίαν τῆς νόσου ταύτης ἐμπίπτων, μηκέτι λοιπὸν αὐτὸν χώραν ἔχειν, μηδ' ἂν μυριάκις ἐπαγγέλληται [d], τὴν τάξιν ἀναπληροῦν τῶν μετανοούντων· [4] συγκινδυνεύειν [e] δὲ αὐτῷ καὶ τὸν συγκροτοῦντα αὐτόν, εἴτε ἐπίσκοπος εἴτε ἄλλος τις εἴη. [5] ἐγράφη δὲ καὶ ἐπιστολὴ Ἰωάννου Ἀντιοχείας [f] πρὸς

[a] A om καὶ. — [b] θείαν] A θεοῦ. — [c] S om καὶ ἁγιωτάτου. — [d] A ἐπαγγέληται. — [e] S συγκινδυνεύει. — [f] A ἀντιοχέως.

Νεστόριον περὶ τῶν Μεσαλιανιτῶν. [6] ἐξήνεγκε δὲ καὶ ὅρον ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος, ἡ ἐν Ἐφέσῳ τρίτη ἀπογυμνώσασα αὐτῶν [a] καὶ τὰ ἐν τῷ λεγομένῳ αὐτῶν βιβλίῳ ἀσκητικῷ βλάσφημα καὶ αἱρετικὰ κεφάλαια καὶ καθυποβαλοῦσα τῷ ἀναθέματι. [7] ἔγραψε δὲ καὶ Ἀρχέλαος ὁ Καισαρείας τῆς Καππαδοκῶν ἐπίσκοπος ἀναθεματισμοὺς εἰκοσιτέσσαρας τῶν κεφαλαίων αὐτῶν. [8] συνέταξε δὲ κατ' αὐτῶν καὶ Ἡρακλείδας ὁ Νύσσης ἐπίσκοπος ἐπιστολὰς δύο, ὧν ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ χρῆσις φέρεται τῆς ἀρχαιότητος τῶν σεπτῶν εἰκόνων.

5. Ἔγραψε δὲ χρόνῳ ὕστερον καὶ Γερόντιος πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος τῶν ἐν Γλίτιδι μοναχῶν πρὸς Ἀλύπιον ἀρχιεπίσκοπον τῆς ἐν Καππαδοκίᾳ Καισαρείας ἐγκλήματα κατὰ Λαμπετίου κινῶν, ὃς καὶ πρῶτος τῆς εἰρημένης αἱρέσεως ἴσχυσεν ἐκκλέψαι τὸ τῆς ἱερωσύνης καὶ ὑπελθεῖν ἀξίωμα, βέβηλος ὢν καὶ ἀπατεών. [2] Ἀλύπιος δὲ τὰ γραφέντα δεξάμενος πρὸς τὸν ἐπίσκοπον Κομάνης Ὁρμίζην ἐπιστέλλει τὰ περὶ Λαμπετίου ἐξετάσαι λεγόμενα. [3] καὶ ἦν τὰ ἐγκαλούμενα ὅτι κόρην κατὰ στόμα φιλῶν ἐνηγκαλίζετο, καὶ ὅτι αὐτὸς ἐκεῖνος ἔφη Λαμπέτιος ἐν Ἱεροσολύμοις μετά τινος διακονίσσης ἐξαμαρτεῖν, καὶ ὅτι προσελθόντων [b] τινῶν καὶ νοσήματος ἴασιν ἐξαιτουμένων ἔφη· « φέρε μίαν κόρην πρὸς ἐμὲ καλὴν καὶ δείξω σοι ἁγιωσύνην. » Καὶ ὅτι τοὺς τὰς ὥρας ψάλλοντας ἐξεμυκτήριζε καὶ διέσυρεν ὡς ὑπὸ νόμον ἔτι τυγχάνοντας. [4] καὶ ἄλλα ἄττα ἀθέμιτα διεβέβλητο ἃ τοῖς Μεσαλιανοῖς καὶ ποιεῖται καὶ λέγεται, καθὼς καὶ ἡμεῖς, ὡς οἷόν τε ἡμῖν, τινὰς τῆς τοιαύτης πλάνης ἀπάγοντες ἄρτι

de Messalianis, decretum quoque tulit sancta ac oecumenica synodus Ephesina, tertia denudans blasphemas haereticasque eorum sententias in libello eorum ascetico contentas easque anathemati subiiciens. Scripsit vero etiam Archelaus Caesareae Cappadociae episcopus anathematismos viginti quatuor sententiarum ipsorum. Composuit adversus eos etiam Heraclidas episcopus Nyssenus epistulas duas, quorum in altera etiam argumentum affertur antiquitatis venerandarum imaginum.

Insequenti vero tempore Gerontius quoque presbyter et monachorum in Glitide praepositus scripsit ad Alypium archiepiscopum Caesareae Cappadociae accusationes movens contra Lampetium, qui primus, ex dicta haeresi subripere furtim sacerdotii dignitatem ac subire potuit, abiectus cum esset et perversus. Litteris acceptis Hormizdam Comanes episcopum ad ea, quae de Lampetio ferebantur, investiganda delegavit. Haec autem sunt, quorum accusatus est : puellam ulnis amplexum et exosculatum esse, ipsumque Lampetium narrasse se Ierosolymis cum quadam diaconissa peccatum commisisse et accedentibus quibusdam medelam infirmitatis quaerentibus dixisse : « affer mihi puellam pulchram et ostendam tibi sanctitatem », et item ludibrio eum habuisse et derisisse horas psallentes tamquam sub lege constitutos. Atque alia quaeque iniqua arguebat a Messalianis dicta et facta quemadmodum et nos

[a] S αὐτόν. — [b] A ἐλθόντων.

pro virili conantes quosdam ab isto errore abducere, adhuc istic pullulare incipiente, ingentem putredinem affectionum et nequitiae animas eorum depopulantem invenimus. Hic autem Lampetius, Hormizda episcopo iudicante Gerontio vero accusante partim testibus convictus, partim suo ipsius ore reus votis unanimibus sacerdotio privatur suffragante ipso Alypsio Caesareensi, cui miserum illum deceptus ad gradum presbyterii evexisse contigit. Idem porro scelestissimus Lampetius sermonem aliquem composuit quem « Testamentum » cognominavit, in quo aliqua impietatis suae commenta disseminata sunt. Hoc opus Severus, qui sede Antiochena potitus est, adhuc presbyteratus habens ordinem, refutavit. Alpheius tamen quidam Rhinocorurorum episcopus Lampetium defendebat, quasi nihil eorum de quibus accusatus est sive fecisset, sive dixisset. Edito autem sermone, etsi nihil, ut rescire licuit, blasphemarit, depositus tamen est, tamquam Lampetio assentiens. Alter vero Alpheius quidam praeceptori cognominis, a Timotheo Alexandrino ordinatus, ob eamdem haeresim depositus est, sicut Ptolomaei Rhinocorurorum episcopi relatio ad praedicto docet Timotheum.

βλαστάνειν ἐκεῖθεν ἀρξαμένης[a], πολλὴν σηπεδόνα παθῶν καὶ κακίας τὰς ἐκείνων ψυχὰς ἐπιβοσκομένην ἑωράκαμεν· 5 ἀλλ' ὅ γε Λαμπέτιος, Ὁρμίζου μὲν τοῦ ἐπισκόπου δικάζοντος Γεροντίου δὲ τοῦ πρεσβυτέρου κατηγοροῦντος, καὶ τὰ μὲν διὰ μαρτύρων ἐξελεγχθεὶς, τὰ δὲ τῷ οἰκείῳ στόματι περιπαρεὶς ἁπάσαις ψήφοις τῆς ἱερωσύνης καθήρηται συμψήφον γεγενημένον καὶ τοῦ Καισαρείας Ἀλυπίου, ὃς καὶ τὸν δείλαιον ἐκεῖνον ἐξαπατηθεὶς εἰς τὸν τοῦ πρεσβυτερίου[b] βαθμὸν ἐτύγχανε προενηνοχώς. 6 οὗτος δὲ ὁ τρισαλιτήριος Λαμπέτιος καὶ λόγον τινὰ συνέθηκεν, ὃν καὶ Διαθήκην ἐπεκάλεσεν, ἐν ᾗ καί τινα[c] τῆς δυσσεβείας αὐτοῦ ἐνέσπαρται· ἣν καὶ Σεβῆρος[d] ὁ τὸν Ἀντιοχικὸν θρόνον ὑπεισδὺς, ἔτι πρεσβυτέρων ἐπέχων τάξιν, ἀνέτρεψεν. 7 Ἀλφειὸς μέντοι τις ἐπίσκοπος Ῥινοκορούρων[e] ὑπεραπολογεῖται Λαμπετίου ὡς μηδὲν ὧν ἐνεκλήθη ἢ εἰπόντος ἢ ποιήσαντος· ἐκθέμενος δὲ καὶ λόγον τινὰ οὐδὲν ἐν αὐτῷ, ὅσον ἔστι συνιδεῖν βλασφημεῖ. καθηρέθη μέντοι γε ὡς τὰ Λαμπετίου φρονῶν. 8 καὶ Ἀλφειὸς δέ τις ἄλλος ὁμώνυμος τῷ καθηγητῇ, χειροτονηθεὶς πρεσβύτερος ὑπὸ Τιμοθέου τοῦ Ἀλεξανδρείας[f], διὰ τὴν αὐτὴν καθηρέθη αἵρεσιν, ὡς ἡ τοῦ Πτολεμαίου τοῦ Ῥινοκορούρων ἐπισκόπου πρὸς Τιμόθεον τὸν προειρημένον ἐκδιδάσκει ἀναφορά.

[a] A ἀρξαμένους. — [b] S πρεσβυτέρου. — [c] τινα] S add. τῶν τῆς. — [d] S σευῆρος. — [e] A ubique ῥινοκουρούρων. — [f] A ἀλεξανδρέως.

XXII

E Chronico Michaelis Magni Jacobitarum Patriarchae [1].

ܒܗܘܢ ܙܒܢܐ ܢܒܥܬ ܗܪܣܝܣ ܕܡܨܠܝܢܐ
ܒܐܘܪܗܝ ܒܐܡܬ ܐܢܫ ܕܫܡܗ ܐܘܣܒܝܣ
ܘܠܬܠܡܝܕܘܗܝ ܣܒܐ ܘܕܕܘ ܘܐܕܠܦܝܘܣ
ܘܐܪܡܝܣ ܘܫܡܥܘܢ. ܐܬܩܪܝܘ ܕܝܢ
ܐܘܟܝܛܐ ܘܐܢܬܘܣܝܣܛܐ. ܠܚܠܡܐ ܓܝܪ
ܡܥܒܕܢܘܬܐ ܕܕܝܘܐ ܓܠܝܢܐ ܕܪܘܚܐ
ܩܪܝܢ܀

Eo tempore ebullivit haeresis Messalianorum Edessae auctore homine quodam, cui nomen erat Eusebio, discipulisque eius, Sabae, Dadoe, Adelphio, Hermae, Simeoneque. Appellabantur autem Euchitae et Enthusiastae; somnia enim, daemonum operationes, revelationem Spiritus appellabant.

a) Codex ܘܠܬܠܡܝܕܘ. — b) Codex ܘܕܕܘ ܕܠܦܝܘܣ.

[1] Ed. Chabot, Paris 1899 sq., p. 191; translationem gallicam v. *ib.* p. 298. — De illo Eusebio, vide longe plura apud Agapium, ed. Vasiliev, *Patr. Or.*, t. VII, p. 585-6.

XXIII

E Panoplia Dogmatica Euthymii Zigabeni

Titulus XXVI. Adversus Massalianos [1].

1. Κατὰ τοὺς χρόνους Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος ἡ τῶν Μασσαλιανῶν ἐβλάστησεν αἵρεσις. ἡ δὲ κλῆσις αὐτὴ μεταβαλλομένη εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν Εὐχίτας δηλοῖ. καὶ γὰρ πολὺ παρ' αὐτοῖς τὸ τῆς ὄνομα καὶ ταύτην ἄνω καὶ κάτω θρυλλοῦσι καὶ αὕτη τούτοις τὸ σεμνολόγημα. εὐχὴν δὲ λέγουσιν εἴτε τὴν προσευχὴν, ἣν ἕκαστος προσφέρει Θεῷ, εἴτε τὴν τοῦ « Πάτερ ἡμῶν » ἣν ὁ Κύριος τοῖς ἀποστόλοις παρέδωκεν, εἴτε τινὰ ἑτέραν μόνοις ἐξ αὐτῶν ἐγνωσμένην τοῖς εἰς ἀσέβειαν τελεωτέροις, πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους πάντας

Valentiniani et Valentis fere tempore Masalianorum pullulavit haeresis. Ea autem appellatio in linguam graecam translata Euchitas significat. Orationis autem nomen diversam apud eos significationem habet eamque per longum et latum celebrant tesseramque habent. Orationem autem sive obsecrationem dicunt, quam singuli offerunt Deo sive « Pater Noster », quod Dominus tradidit apostolis, sive aliam aliquam solis asseclis cognitam, qui impietate perfectiores sunt, et quam omnibus aliis

[1] Textum graecum v. ap. Migne *P. G.*, t. CXXX, col. 1273-1289. Refutationes errorum capitibus ab auctore additae heic omissae sunt.

prodere non licet ob res portentosas, puto, in ea contentas satanicasque incantationes. Sed habent et aliud cognomen eis ab ipsa re impositum. Enthousiastae nimirum cognominantur quippe qui daemonis cuiusdam influxum subierint, quem Spiritus S. esse habent. Qui autem morbo hoc penitus infecti sunt, manuum quidem laborum tamquam nefarium aversantur, somno vero multo se dantes somniorum visiones afflatum appellant. Porro haereseos huius principes multi et diversi exstitere; praecipue vero Adelphius, quem Flavianus Antiochenus Edessa accersitum callide circumvenit et discipulatum simulans pellexit, ut totum doctrinae venenum occultum evomeret. Facto autem morbo illo manifesto, e Syria quidem expulsi in Pamphyliam secessere. Modo aliqua eorum dogmata pervestigare continuabimus; ex ipsorum enim libro deprompta et aliquando cuique ad despuendum proposita sunt.

Dicunt tres hypostases Patris et Filii et Spiritus Sancti in unam hypostasim resolvi.

Dicunt naturam divinam facile verti ac mutari in quodlibet voluerit, ut commisceatur animabus dignis se.

Dicunt semen et verbum cecidisse in uterum Deiparae.

Dicunt divinum baptisma peccatorum radices exstirpare non posse.

Aiunt unumquemque e pueris nascentibus trahere a primo parente, Adam, quemadmodum naturam, ita etiam daemonis servitutem et cum natura unitum portare daemonem ipsi inhabitantem et potestatem [in eum]

οὖσαν ἀνέκφορον διὰ τὴν ἐν αὐτῇ τερατολογίαν, οἶμαι, καὶ σατανικὴν ἐπῳδήν. ἔχουσι δὲ καὶ ἄλλην προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ πράγματος ἐπιτεθεῖσαν αὐτοῖς. Ἐνθουσιασταὶ γὰρ προσονομάζονται, δαίμονός τινος ἐνέργειαν εἰσδεχόμενοι, καὶ Πνεύματος ἁγίου ταύτην ὑπολαμβάνοντες.

Οἱ δὲ τέλεον τὴν νόσον ταύτην εἰσδεδεγμένοι ἀποστρέφονται μὲν τὴν χειρῶν ἐργασίαν ὡς πονηράν, ὕπνῳ δὲ τὰ πολλὰ σφᾶς αὐτοὺς ἐκδιδόντες ἐνθουσιασμὸν τὰς τῶν ὀνείρων φαντασίας ἀποκαλοῦσι. ταύτης ἐγένοντο τῆς αἱρέσεως ἀρχηγοὶ πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι ἔτι δὲ καὶ Ἀδέλφιος, ὃν Φλαβιανὸς ὁ Ἀντιοχείας μετακαλεσάμενος ἐξ Ἐδέσσης, καὶ τεχνικῶς ὑπελθὼν καὶ μαθητιᾶν ὑποκρινάμενος, παρεσκεύασεν ἐξεμέσαι πάντα τὸν ἐγκεκρυμμένον τῶν δογμάτων ἰόν. δήλης δὲ τῆς νόσου ταύτης γενομένης, τῆς μὲν Συρίας ἐξηλάθησαν, εἰς δὲ τὴν Παμφυλίαν ἐχώρησαν. τίνα δὲ τὰ δόγματα τούτων ἐροῦμεν προβαίνοντες. ἀνελήφθησαν γὰρ ἐκ τῆς αὐτῶν βίβλου καὶ πᾶσι τότε προετίθεσαν εἰς τὸ καταπτύεσθαι.

2. Λέγουσιν, ὅτι αἱ τρεῖς ὑποστάσεις Πατρός, Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος εἰς μίαν ὑπόστασιν ἀναλύονται...

3. Λέγουσιν ὅτι τρέπεται καὶ μεταβάλλεται ῥᾳδίως ἡ θεία φύσις πρὸς ὃ ἂν βούλοιτο, ἵνα συγκραθῇ ταῖς ἀξίαις αὐτῇ ψυχαῖς.

4. Λέγουσιν, ὅτι σπέρμα καὶ Λόγος ἔπεσεν ἐπὶ τὴν σηδὺν τῆς Θεομήτορος.

5. Λέγουσιν, ὅτι τὸ θεῖον βάπτισμα τὰς ῥίζας τῶν ἁμαρτημάτων ἀνασπᾶν οὐ δύναται.

6. Φασὶν ἕκαστον τῶν τικτομένων παίδων ἕλκειν ἐκ τοῦ προπάτορος Ἀδὰμ ὥσπερ τὴν φύσιν, οὕτω δὴ καὶ τὴν πρὸς τοὺς δαίμονας δουλείαν, καὶ συνουσιωμένον φέρειν δαίμονα συνοικοῦντα τούτῳ, καὶ κατεξουσιάζοντα, ἀδυνατεῖν

δὲ καὶ τὸ ἅγιον βάπτισμα, καὶ πᾶσαν ἄλλην θειοτάτην ἐργασίαν πρὸς ἀπέλασιν αὐτοῦ, μόνην δὲ τοῦτον ἐξωθεῖν τὴν ἐπιτεταμένην καὶ σπουδαίαν εὐχὴν διὰ τῆς τοῦ εὐχομένου χρέμψεώς τε καὶ ἀποπτύσεως· τούτου δὲ ἀπελαθέντος ἐπιφοιτᾷν αἰσθητῶς καὶ ὁρατῶς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τὴν οἰκείαν παρουσίαν σημαῖνον, καὶ τὸ σῶμα τῆς τῶν παθῶν κινήσεως ἐλευθεροῦν, καὶ ἀπάθειαν χαριζόμενον, ὡς μηκέτι δεῖσθαι λοιπὸν μήτε νηστείας πιεζούσης τὸ σῶμα μήτε διδασκαλίας χαλινούσης καὶ βαίνειν εὔτακτα παιδευούσης. οὐ τοῦτο δέ μόνον, ἀλλὰ τὸν τῆς τοιαύτης ἀπαθείας τετυχηκότα τά τε μέλλοντα προορᾷν καὶ τὴν θείαν Τριάδα τοῖς ὀφθαλμοῖς θεωρεῖν. μονοῖς γὰρ τοῖς τοιούτοις αἰσθητῶς [a] ταύτην ἐμφανίζεσθαι.

7. Λέγουσιν, ὅτι οὐδ' οἱ ἀπόστολοι τῆς ἐξουσίας τῶν δαιμόνων ἦσαν ἐλεύθεροι.

8. Λέγουσιν ὅτι συνοικοῦσιν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τὸ Πνεῦμά τε τὸ ἅγιον καὶ ὁ δαίμων.

9. Λέγουσιν, ὅτι φύσει τὰ κακά, τουτέστιν αἱ ἁμαρτίαι.

10. Λέγουσιν, ὅτι μετὰ τὴν παρὰ τοῖς τελείοις αὐτῶν ἀπάθειαν τοιαύτης αἰσθάνεται ἡ ψυχὴ τούτων κοινωνίας ἐγγινομένης αὐτῇ παρὰ τοῦ ἐπουρανίου νυμφίου, οἵας αἰσθάνεται γυνὴ συνουσιάζοντος αὐτῇ τοῦ ἀνδρός.

11. Λέγουσιν, ὅτι ψυχὴ τοῦ παρ' αὐτοῖς εἰς ἀπάθειαν ἐφθακότος μεταβάλλεται εἰς τὴν θείαν φύσιν.

12. Λέγουσιν δυνατὸν εἶναι δέξασθαι μετὰ τὴν παρ' αὐτοῖς ἀπάθειαν τὸν ἄνθρωπον αὐτὴν τὴν ὑπόστασιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος αἰσθητῶς, καὶ ἐν πάσῃ πληροφορίᾳ.

13. Λέγουσι δύο ψυχὰς ὀφείλειν ἔχειν τὸν ἄνθρωπον· μίαν μὲν τὴν

exercentem. Sanctum vero baptisma et quamlibet aliam divinam actionem impotes esse ad eum expellendum sed solam orationem intentam et sedulam posse eum cum screatu sputoque precantis eiicere, quo eiecto adventare sensibiliter et visibiliter Spiritum Sanctum propriam praesentiam manifestantem et corpus motibus passionum liberantem impassibilitatem largientem, ut iam amplius nec ieiunio opus sit corpus coercente nec doctrina refrenante ac recte ambulare docente. Sed non hoc tantum; verum eum, qui eiusmodi impassibilitatem consecutus sit ipsa quoque futura praevidere et divinam Trinitatem oculis cernere. Solis enim, qui eiusmodi sunt, sensibiliter eam apparere.

Dicunt ne apostolos quidem fuisse a potestate daemonum liberos.

Dicunt cohabitare in homine Spiritum Sanctum et daemonem.

Dicunt naturâ esse mala, id est, peccata.

Dicunt post acceptam a perfectis impassibilitatem animas ipsorum ita sentire copulam ipsis a caelesti sponso factam, sicut sentiat mulier viro sibi coëunte.

Dicunt animam ad eorum mentem impassibilitatem consecutam in divinam mutari naturam.

Dicunt posse hominem post dictam ab eis impassibilitatem accipere sensibiliter et omni cum plenitudine Spiritus Sancti personam.

Dicunt duas oportere animas hominem habere : aliam quidem homini-

[a] Ita corrigendam puto lectionem apud Migne αἰσθητοῖς.

bus communem, aliam vero caelestem.

Clericorum ordinationem simulant sacerdotum et diaconorum gradus invadentes, ut saltem potestatem sibi aliquam et auctoritatem arrogare possint. Imo etiam monachorum induunt habitum hac ratione latere et plurimos decipere volentes.

Manuum laborem aversantur.

Legem ferunt nil esse dandum mendicantibus aut egenis aliis aut pauperibus, aut quibuscunque casibus adversis afflictis eleemosynae sive doni, sed sibi solis, cum dicant se esse pauperes spiritu, quos Dominus beatos dixit.

Nuptias dissolvunt.

Volentibus permittunt resecare. membra genitalia.

Iurant timoris expertes et peiurant... Quod si coarguantur ut haeretici, tunc etiam fidem Masalianorum abnegant et anathematizant et negationem horrendis iuramentis confirmant putantes se ob instantem necessitatem et cogentium metum nullo modo peccare. Sed et alia multa fabulantur, quae nec mentione digna sunt eo minus refutatione, cum sint refutatu facilia et repugnantia.

κοινὴν ἀνθρώποις, ἑτέραν δὲ τὴν οὐράνιον.

14. Τὴν τῶν κληρικῶν ὑποκρίνονται χειροτονίαν βαθμοῦ ἱερέων καὶ διακόνων ἐπιβαίνοντες, ἵνα μόνον ἐξουσίαν τινὰ καὶ αὐθεντίαν ἑαυτοῖς περιποιήσωνται. Καὶ μὴν καὶ τὸ τῶν μοναχῶν ὑποδύονται σχῆμα λανθάνειν διὰ τούτου βουλόμενοι, καὶ τοὺς πολλοὺς ἀπατᾶν.

15. Τὴν διὰ τῶν χειρῶν ἐργασίαν ἀποστρέφονται.

16. Νομοθετοῦσι μὴ δεῖν μεταδιδόναι τοῖς προσαιτοῦσιν, ἢ τοῖς ἄλλοις πένησι καὶ πτωχοῖς ἢ τοῖς οἱανδήτινα περίστασιν δεομένοις ἐλεημοσύνης καὶ μεταδόσεως, ἀλλ' αὐτοῖς μόνοις, λέγοντες ἑαυτοὺς εἶναι τοὺς πτωχοὺς τῷ πνεύματι, οὓς ἐμακάρισεν ὁ Κύριος.

17. Λύουσι τὸν γάμον.

18. Ἐπιτρέπουσι τοῖς βουλομένοις ἀποκόπτειν τὰ παιδαγόνα μόρια.

19. Ὀμνύουσιν ἀδεῶς καὶ ἐπιόρκουσι... Ὅτε δὲ κρατηθῶσιν, ὡς αἱρετικοί, τότε καὶ τὴν τῶν Μασαλιανῶν πίστιν ἀρνοῦνται καὶ ἀναθεματίζουσι καὶ τὴν ἄρνησιν ὅρκοις βεβαιοῦσι φρικτοῖς, οἰόμενοι μηδόλως ἁμαρτάνειν διὰ τὴν ἐπικειμένην ἀνάγκην καὶ τὸν φόβον τῶν κατασχόντων. Καὶ ἄλλα δέ τινα μυθολογοῦσιν ἀνάξια μνήμης, μὴ ὅτι γε ἀντιῤῥήσεως διὰ τὸ εὐανάτρεπτον αὐτῶν καὶ αὐτελεγκτόν.

XXIV

E « CANDELABRO SANCTORUM » GREGORII BAR-HEBRAEI [1].

Haeresis vigesima sexta. Eusebii Edesseni. Huic erant discipuli senes

ܗܪ̈ܣܝܣ ܕܥܣܪܝܢ ܘܫܬ ܕܐܘܣܒܝܘܣ[a]
ܐܢܫ ܐܘܪܗܝܐ ✥ ܗܢܐ ܗܘܘ ܠܗ ܬܠܡܝ̈ܕܐ

[1] Codex Bibl. Nat. Parisiensis, Syr. 210, fol. 178ᵇ. Cf. Assemani, *Bibl. Orient.* t. II, Romae, 1721, p. 290ᵇ.

a) Codex ܕܐܘܣܒܝܣܘܣ ܕܐܘܣܒ. Primum vocabulum claudit lineam proinde probabiliter initium

ܐ̱ܢܫܝ̈ܢ ܗܟܢܐ: ܗܠܝܢ ܕܠܚܠܡ̈ܐ
ܘܡܥܒܕܢܘ̈ܬܐ ܕܫܐ̈ܕܐ ܓܠܝܢ̈ܐ ܕܪܘܚܐ ܩܪܝܢ
ܗܘܘ ܘܐܡܪܝܢ ܕܐܝܠܝܢ ܕܐܬܝܢ ܠܘܬܗܘܢ
ܡܩܒܠܝܢ ܡܘܗܒܬܐ ܪܘܚܢܝܬܐ: ܕܐܦܠܐ ܟܕ
ܐܢ ܥܡ ܢܫ̈ܐ ܢܕܡܟܘܢ ܡܪܓܫܝܢ.
ܘܕܠܐ ܡܕܡ: ܦܓܪܐ ܕܡܫܬܡܠܝܢ ܡܘܬܪ܀

quidam, qui somnia operationesque daemonum revelationes spiritus appellabant, dicentes eos, qui ad se accederent charisma spirituale accipere, ita ut si cum mulieribus dormituri essent, non sentirent; nec quidquam corpus, quod sumimus, prodesse.

est vocabuli in linea proxima incipientis. Assemani l. c. ܕܐܬܡܣܟܢܘܣ legit, quod ratione habita loci e Chronico Michaelis magni excerpti recipiendum esse putavimus.

XXV

E Chronico Ecclesiastico Gregorii Barhebraei [1].

ܘܒܗ ܒܙܒܢܐ ܗܘܐ ܒܝܢ ܦܛܪܝܪܟܐ
ܠܡܪܝ ܝܘܚܢܢ ܡܦܪܝܢܐ ܪܘܚܩܐ ܒܥܠܠܬ
ܚܣܢܝ̈ܐ ܐܝܟܢܐ ܕܡܫܬܥܝܐ ܒܦܬ̈ܓܡܐ
ܡܕܢܚܝ̈ܐ. ܘܒܡܨܪܝܢ ܬܘܒ ܡܠܦܢܐ ܐܥܘܪ
ܣܡܝܐ ܕܫܡܗ ܡܪܩܘܣ ܒܪ ܩܘܢܒܪ
ܫܪܝ ܕܢܟܪܙ ܡܛܠ ܡܘܕܝܢܘܬܐ ܕܚܛܗ̈ܐ:
ܒܪܡ ܐܝܟ ܪܥܝܢܐ ܕܡܨܠܝܢ̈ܐ ܛܢܦ̈ܐ
ܘܒܬܪܥܝܬܐ ܕܠܡܦܛܝܘܣ ܕܐܝܟ ܒܦܓܪܐ
ܐܝܟ ܠܐ ܦܓܪܢ̈ܐ ܗܘܝܢ: ܘܠܠܐ ܚܫܘܫܘܬܐ
ܡܛܐ ܟܠ ܕܡܘܕܐ ܒܚܛܗ̈ܘܗܝ. ܘܡܛܠ
ܗܕܐ ܫܪܝ ܡܪܩܘܣ ܦܦܐ ܕܐܠܟܣܢܕܪܝܐ
ܡܣܠܐ ܠܡܘܕܝܢܘܬܐ ܓܡܝܪܐܝܬ ܘܗܘܐ
ܣܕܩܐ ܪܒܐ ܒܟܠܗ ܐܝܓܘܦܛܘܣ. ܘܐ̱ܢܫܝܢ
ܡܢ ܠܒܪ ܩܘܢܒܪ ܡܕܪܫܝܢ ܗܘܘ

Eodem tempore [2] dissidium ortum est inter Patriarcham [3] et Mar Ioannem Maphrianum propter Hassanitas [4] sicut ostenditur in *Historiis Orientalibus* [5]. Et in Aegypto pariter doctor caecus, cui nomen Marcus bar Konbar, incepit de confessione peccatorum praedicare, attamen ad mentem Messalianorum immundorum et iuxta sententiam Lampetii, quod scilicet in corpore incorporales fiamus et ad impassibilitatem perveniat quisque peccata sua confessus. Hanc ob causam Marcus, papa Alexandriae, incepit reiicere omnino confessionem et schisma magnum factum est in tota

[1] Textum vide in op. *Chronicon Ecclesiasticum Gregorii Barhebraei* ed. Abbeloos et Lamy, Parisiis, et Lovanii 1877, t. I. coll. 573-576; Assemani, *Bibl. Or.*, t. II, p. 266 sq. *Chronique de Michel le Syrien*, t. III, textus p. 720, trad. p. 379-380. — [2] I. c. circa annum 1178; v. Barhebraei *Chron. Eccl.* t. II, p. 374. — [3] Michaelem Magnum (1167-1200). — [4] Populus regionis Tagritensis. Cf. Le Quien, *Oriens Christ.* II, col. 1583-1586, Assemani, *Bibl. Or.* II, 215, Barhebraei *Chron. o. c.* II, col. 213. — [5] Barh. *Chron. o. c.*, t. II, col. 373-6.

Aegypto. Et quidam Bar Konbarum iustificarunt et Patriarcham condemnarunt, alii viceversa. Et ambae partes litteras dederunt ad Mar Michaelem cum erat Antiochiae. Beatissimus vero volumen prolicum exaravit et haeresim Messalianorum mendacii arguens Bar Konbarum deposuit, donec in sua sententia perseveraret, ipsi Papae scribens : non oportuisse ob errorem Bar Konbari confessionem reiici.

ܘܠܦܛܪܝܪܟܐ[a] ܡܚܝܒܝܢ. ܘܐܚܪ̈ܢܐ ܕܝܢ ܒܗܦܘܟܐ. ܘܬܪܝܗܘܢ ܓܒ̈ܐ ܫܕܪܘ ܐܓܪ̈ܬܐ ܠܘܬ ܡܪܝ ܡܝܟܐܝܠ ܦܛܪܝܪܟܐ[b] ܟܕ ܗܘ̣ ܒܐܢܛܝܘܟ. ܗܘ ܕܝܢ ܛܘܒܢܐ ܟܪܟܐ ܥܒܕ ܒܐܪܝܟܘܬܐ ܘܠܗܪܣܝܣ ܕܡܨܠܝ̈ܢܐ ܐܟܣ ܘܠܒܪܩܘܢܒܪܐ ܕܝܢ ܫܪܐ ܥܕܡܐ ܕܒܗ ܒܬܪܥܝܬܐ ܡܩܘܐ: ܘܟܬܒ ܠܦܦܐ ܗܟܢ: ܕܠܐ ܘܠܐ ܕܡܛܠ ܛܥܝܘܬܗ ܕܒܪ ܩܘܢܒܪܐ ܢܫܬܕܐ ܗܘ ܠܡܘܕܝܢܘܬܐ܀

a) Abb. et Lamy scribunt ܘܠܦܛܪܝܪ. — b) Abb. et Lamy ܦܛܪܝܪ.

XXVI

Ex « Historia Dynastiarum » Gregorii Barhebraei [1].

Et innotuit [2] vulgus (nomine) Messalianorum notus, qui dicebant : Quicunque oraverit et ieiunaverit duodecim annis, ubi monti praeceperit ut e loco suo recedat, recedet, sicut reperitur in Evangelio sancto [3]. Factum est autem, quidam ex eis, qui se cultui huic dedidere, egressus dixit monti : O mons! praecipio tibi, recede a loco tuo! Quod cum non evenisset, desperans de perseverantia in sua disciplina esui et potui et fornicationi operam dare cepit.

وظهر قوم يعرفون بالمصلّين وكانوا يقولون: كل من صلى وصام اثنتى عشرة سنة يامر الجبل ان ينتقل من مكانه فينتقل كما جاء في الانجيل المقدس فكان اذا تعبّد احدهم هذه المدّة خرج فقال للجبل: ايّاك آمر انتقل عن مكانك فاذا لم يكن ذلك يئس من قبول عبادته واخذ في الاكل والشرب والفساد.

[1] Ed. Antonius Ṣalḥâni S. I., Beryti, 1890, p. ١٤١. — [2] Tempore videlicet Valentiniani imperatoris, quando ad mentem Barhebraei Messalianorum res gestae sunt. — [3] Matth., xxi, 21.

Decreta in Synodis Nestorianorum contra asseclas Messalianorum lata.

XXVII-XXVIII

Ex actis synodi anno 486 praeside Mâr Acacio habitae[1].

XXVII. Canon I.

ܐܬܐܡܪ ܩܕܡܝܢ ܕܐܝܬ ܐܢܫܝܢ ܡܣܟܠܝ
ܬܪܥܝܬܐ ܒܐܬܪܐ ܗܢܐ ܕܒܝܬ ܐܪܡܝܐ
ܕܠܒܝܫܝܢ ܐܣܟܡܐ ܕܐܝܚܝܕܝܘܬܐ ܘܟܕ ܡܢ
ܚܝܠܗ ܕܫܘܒܪܗ ܕܐܣܟܡܐ ܗܢܐ ܢܘܟܪܝܝܢ:
ܡܬܟܪܟܝܢ[a] ܒܐܬܪܘܬܐ ܫܓܝܐܬܐ ܘܡܣܟܠܝܢ
ܬܪܥܝܬܐ ܦܫܝܛܬܐ ܘܡܦܣܛܝܢ ܠܐܘܪܚܬܐ
ܬܪܝܨܬܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܕܥܕܬܐ ܩܬܘܠܝܩܝܬܐ
ܘܫܠܝܚܝܬܐ. ܘܟܕ ܗܢܘܢ ܟܪܝܗܝܢ
ܒܝܘܠܦܢܐ ܕܗܪܛܝܩܐ ܘܛܢܦܐ ܕܟܠܗܘܢ
ܗܪܣܝܣ ܒܗܘܢ ܢܫܝܓ: ܠܘܩܒܠ
ܝܘܠܦܢܐ ܕܟܬܒܐ ܩܕܝܫܐ ܡܠܦܝܢ ܘܡܪܛܢܝܢ
ܠܟܪܘܙܐ ܘܠܡܠܦܢܐ ܕܕܚܠܬ ܐܠܗܐ
ܘܒܨܥܪܐ ܕܓܘܕܦܐ ܕܥܠ ܡܕܒܪܢܘܬܗ
ܕܡܪܢ ܘܟܪܘܙܘܬܐ ܕܫܠܝܚܐ ܡܫܬܐܠܝܢ ܠܟܠܗܘܢ
ܫܡܐ ܘܟܘܢܝܐ ܕܗܢܘܢ ܕܠܟܠܗܘܢ[b] ܐܡܪ
ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܒܝܕ ܛܘܒܢܐ ܦܘܠܘܣ:
ܕܒܙܒܢܐ ܐܚܪܝܐ ܢܦܪܩܘܢ ܐܢܫܝܢ ܡܢ
ܗܝܡܢܘܬܐ ܘܢܐܙܠܘܢ ܒܬܪ ܪܘܚܐ ܛܥܝܬܐ
ܘܒܬܪ ܝܘܠܦܢܐ ܕܫܐܕܐ: ܗܢܘܢ ܕܒܐܣܟܡܐ
ܕܟܕܒܐ ܡܛܥܝܢ ܘܡܡܠܠܝܢ ܟܕܒܘܬܐ

Dictum est coram nobis : sunt hac in regione *Bêt Armāyē* [dicta] homines quidam perversi mente, habitu monastico induti, qui a virtute operosa habitus huius alieni in diversis regionibus circumvagantes pervertunt mentes simplices et constuprant rectam fidei professionem Ecclesiae catholicae et apostolicae. Et ipsi cum infirmi sint ob doctrinam haereticorum et omnium haeresium faece perfusi, contra doctrinam Librorum Sacrorum docent et blaterant contra praecones et doctores timoris Dei et ob blasphemias crassas dispensationi Domini et praedicationi Apostolorum illatas contrahunt nomen ac cognomen eorum, de quibus Spiritus S. locutus est per B. Paulum[2] : *Novissimis temporibus homines quidam a fide recedent et sectabuntur spiritus seductores et doctrinas daemonum, hi qui specie mendace seducent et loquuntur mendacium*

a) P ܘܡܕܪܟܝܢ. — b) C ܠܟܠܗܘܢ quod iuxta translationem O. Braun in ܕܠܟܠܗܘܢ correxi.

[1] Textum syriacum vide in op. *Synodicon Orientale, ou Recueil de Synodes Nestoriens publié, traduit et annoté* par J.-B. Chabot, Paris, 1902, p. 54. P = Codex Bibl. Par. N. 332; B = Codex Musei Borgiani K. vi, 4. C = ed. Chabot. Quoad translationem cf. Chabot *o., c.*, p. 301; Braun, *Das Buch der Synhodos*, Stuttgart & Wien, 1900, p. 66 sqq. — [2] I Tim., iv, 1 sq.

et cauteriatas conscientias habent et nubere prohibent et ab escis arcent, quas Deus creavit ad usum et gratiarum actionem his, qui credunt et veritatem noverunt[1].

ܘܟܘܝܢ ܒܬܐܪܬܗܘܢ ܘܟܠܝܢ ܠܡܙܕܘܓܘ
ܘܡܦܪܫܝܢ ܡܢ ܡܐܟܘܠܬܐ ܐܝܠܝܢ ܕܐܠܗܐ
ܒܪܐ ܐܢܝܢ ܠܣܘܦܩܐ ܕܬܘܕܝܬܐ ܠܐܝܠܝܢ
ܕܡܗܝܡܢܝܢ ܘܝܕܥܝܢ ܫܪܪܐ ܀

XXVIII. Canon II.

Quod vero ad impostores attinet, quorum supra mentionem fecimus, qui ad speciem mendacem et in signum seductionis vestibus nigris induti simplices decipiunt et sub specie sanctitatis, nazireatus, continentiae vitaeque religiosae, quam antiqui in deserto agebant, in terra inculta, a voce humana et a sede urbium et pagorum remota domicilium figentes servierunt et Deo placuerunt, sic praecipimus : Si vere discipuli sint ac filii Beatorum illorum eisque formâ et conversatione conformes, sit velut illorum commoratio eorum in locis habitui suo convenientibus. Civitates autem pagosque, ubi sacerdotes et episcopi et presbyteri et diaconi inveniuntur, ingredi ad habitandum ibi ipsis non permittitur, ne sint occasio rixarum neve tumultus excitent inter sacerdotes gregemque ac inter magistros discipulosque ; nec facient ibi

ܩܢܘܢܐ ܕܬܪܝܢ ܀ ܥܠ ܙܐܦܢܐ ܕܝܢ ܗܠܝܢ
ܕܐܡܪܢ ܥܠܝܗܘܢ ܡܢ ܠܥܠ: ܕܠܐܣܟܡܐ
ܕܓܠܐ ܘܠܐܬܐ ܕܡܛܥܝܢܘܬܐ ܠܒܫܝܢ ܐܘܟܡܐ
ܘܡܛܥܝܢ ܠܦܫܝܛܐ: ܘܒܦܪܨܘܦܐ
ܕܩܕܝܫܘܬܐ ܘܕܢܙܝܪܘܬܐ ܘܕܢܟܦܘܬܐ
ܘܕܡܫܬܡܠܝܘܬܐ: ܗܠܝܢ ܕܩܕܡܝܐ[a] ܐܬܕܒܪܘ
ܒܗܘܢ[b]: ܒܡܕܒܪܐ ܐܪܥܐ ܕܠܝܬ ܒܗ ܥܡܪܐ
ܘܡܪܚܩܝܢ ܡܢ ܩܠܐ ܕܐܢܫܐ ܘܡܢ ܡܬܒܐ ܕܡܕܝܢܬܐ
ܘܕܩܘܪܝܐ ܒܥܒܕ ܡܥܡܪܗܘܢ ܫܡܫܘ
ܘܫܦܪܘ ܠܐܠܗܐ: ܗܟܢܐ ܦܩܕܝܢܢ: ܕܐܢ ܒܫܪܪܐ
ܬܠܡܝܕܐ ܐܢܘܢ ܘܒܢܝܐ ܕܗܢܘܢ ܛܘܒܢܐ
ܘܠܗܘܢ ܦܐܡܝܢ ܒܝܕ ܐܣܟܡܐ ܘܒܕܘܒܪܐ:
ܐܝܟ ܕܗܢܘܢ ܢܗܘܐ ܗܘܦܟܗܘܢ ܒܕܘܟܝܬܐ
ܕܦܐܝܢ ܠܐܣܟܡܗܘܢ. ܠܡܕܝܢܬܐ
ܘܠܩܘܪܝܐ ܕܐܝܟܐ ܒܗܘܢ[c] ܟܗܢܐ
ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܩܫܝܫܐ ܘܡܫܡܫܢܐ ܠܐ
ܡܦܣ ܠܗܘܢ ܠܡܥܠ ܐܝܟ ܕܠܡܥܡܪ:
ܘܢܗܘܘܢ ܥܠܬܐ ܠܚܪܝܢܐ ܘܢܙܝܥܘܢ ܫܓܘܫܝܐ
ܒܝܢܬ ܟܗܢܐ ܠܡܪܥܝܬܗܘܢ ܘܪܒܢܐ

a) RC ܩܕܡܝܐ. — b) C ܒܗܘܢ corrigens absque causa iusta lectionem codicum a nobis receptam. — c) C ܒܗܝܢ.

[1] Sequitur professio de duabus Christi naturis impermixtis et anathema minatur his, qui in unitate personae Salvatoris confessionem Deo perfecto hominique perfecto detrectent.

ܠܟܢܘܫܬܗܘܢ: ܘܠܐ ܢܥܒܕܘܢ ܒܗܘܢ [a]
ܩܘܕܫܐ ܘܠܐ ܢܥܡܕܘܢ ܒܗܘܢ [b] ܡܥܡܘܕܝܬܐ:
ܘܠܐ ܢܬܠܘܢ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܘܢܫܚܠܦܘܢ
ܛܟܣܗ ܕܥܕܬܐ: ܐܝܟ ܕܥܒܕܘ ܥܕܡܐ
ܠܗܫܐ. ܐܠܐ ܢܐܙܠܘܢ ܠܕܝܪܐ ܘܠܕܘܟܝܬܐ
ܐܝܠܝܢ ܕܡܒܥܕܢ ܡܢ ܥܡܪܐ:
ܘܬܡܢ ܢܗܘܐ ܡܥܡܪܗܘܢ ܘܗܘܦܟܗܘܢ:
ܟܕ ܡܫܬܥܒܕܝܢ ܘܡܫܬܡܥܝܢ
ܠܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܠܩܫܝܫܐ ܘܠܦܪܝܘܕܘܛܐ
ܕܫܠܝܛܝܢ ܘܠܡܕܒܪܢܝ ܟܠ
ܕܝܪܘܬܗܘܢ ܘܕܘܟܝܬܐ ܕܒܗܘܢ [c] ܥܡܪܝܢ.
ܐܢ ܕܝܢ ܡܢ ܒܬܪ ܗܕܐ ܡܫܘܚܠܦܬܐ ܘܦܘܩܕܢܐ
ܕܐܬܦܩܕ ܒܗ ܡܢ ܕܒܡܕܝܢܬܐ ܘܒܩܘܪܝܬܐ
ܕܡܫܬܟܚܝܢ ܕܐܝܬ ܒܗܘܢ [d] ܟܗܢܐ: ܠܘܬ
ܟܢܘܫܬܐ ܢܥܒܕܘܢ ܐܝܟ ܕܠܡܥܡܪ
ܘܒܢܘ ܩܘܕܫܐ ܢܬܟܢܫܘܢ ܕܟܢܫܝܢ ܠܥܡܐ
ܘܡܥܡܕܝܢ ܒܗܘܢ ܡܥܡܘܕܝܬܐ ܘܟܢܫܝܢ ܥܡܐ
ܠܒܪ ܡܢ ܥܕܬܐ ܘܡܥܡܕܝܢ ܡܥܡܘܕܝܬܐ
ܐܠܐ ܐܢ ܒܗܘ ܕܝܪܐ ܘܕܘܟܝܬܐ ܗܠܝܢ
ܕܡܫܡܗܢ ܡܢ ܠܥܠ: ܐܫܬܪܝ ܘܡܚܪܡܝܢ
ܐܢܘܢ ܡܢ ܬܫܡܫܬܐ ܕܟܘܡܪܘܬܐ ܘܡܢ
ܫܘܬܦܘܬܐ ܕܟܪܝܣܛܝܢܐ. ܘܟܠ ܐܦܝܣܩܘܦܐ
ܐܘ ܩܫܝܫܐ ܐܘ ܡܫܡܫܢܐ ܐܘ ܐܦ ܡܗܝܡܢܐ
ܥܠܡܝܐ ܕܡܩܒܠ ܠܗܘܢ ܘܗܘܐ ܠܗܘܢ
ܐܝܕ ܐܝܕܐ ܡܥܕܪܢܐ ܡܟܝܠ ܘܠܗܠ ܐܝܟ
ܕܢܥܒܕܘܢ ܚܕܐ ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܐܬܟܠܝ
ܒܡܕܝܢܬܗ ܐܘ ܒܩܘܪܝܬܗ ܘܒܒܝܬܗ
ܘܢܥܒܕܘܢ ܫܓܘܫܝܐ ܒܥܕܬܐ: ܐܫܬܪܝ

conventicula, nec missas celebrabunt nec baptismum administrabunt ordinem Ecclesiae pervertentes, sicut hucusque fecerunt, sed secedent in monasteria locosque a cultura humana remotos, ubi erit habitatio domiciliumque ipsorum, subiecti ac obedientes episcopis et presbyteris et periodeutis iurisdictionem habentibus et praefectis monasteriis locisque, ubi habitent. Si vero post hoc indultum ac decretum, vi cuius in civitatibus et pagis, ubi inveniuntur sacerdotes vivere prohibentur, civitates, ut ibi habitent, et in vicis ingressuri sint monasteria erigere, missas celebrare, populum extra ecclesiam congregare, baptismumque administrare praeter monasteria locosque superius recensitos deprehensi fuerint, interdicto et anathemate a ministerio sacerdotali et communitate christianorum suspenduntur et quilibet episcopus, aut presbyter, aut diaconus aut laicus fidelis, qui eos receperit, aut manu danda se eis adiutorem exhibuerit exinde et ulterius, ut aliquid horum perpetrent, quae prohibita sunt, in civitate, aut agro, aut domo sua, et tumultus in ecclesia excitent :

a) C ܒܗܝ̈ܢ. — b) C ܒܗܝ̈ܢ. — c) C ܒܗܝ̈ܢ. — d) C ܒܗܝ̈ܢ.

interdicto et excommunicatione plectitur; si sit sacerdos, a suo ministerio, si laicus ab ecclesia et a sacra communione.

ܘܡܬܚܪܡܢܐ ܐܬܠܘܗܝ: ܐܢ ܟܗܢܐ ܗܘ ܡܢ
ܬܫܡܫܬܗ: ܘܐܢ ܥܠܡܝܐ ܗܘ ܡܢ ܥܕܬܐ
ܘܡܢ ܫܘܬܦܘܬܐ ܕܩܘܕܫܐ܀

XXIX

Ex actis synodus anno 576 praeside Ezechiele catholico habitae [1]

Caput primum. De Messalianis.

Auditum autem est in Synodo, esse homines, qui habitu mendaci monachorum et ascetarum induti mentes fidelium pervertant et mulieres peccatis obrutas captivent audacter asserentes nil peccati esse in actibus inique commissis. Aequitatem isti omnino de medio tollunt, missam, ieiunium, orationem et omnia, quibus Deus peccatoribus reconciliatur, spernunt et sermonibus suis demonstrant nec bonos remunerationem, nec impios tormenta esse haereditaturos et in hac impudentia, cui par non datur, versantur; quandoque viros ab uxoribus mulieres a viris suis aut viduas iuvenili adhuc vigore pollentes aut virgines sive iam, sive non adhuc desponsatas adulando ad se trahunt, earum mentes captivant

ܪܫܐ ܩܕܡܝܐ܀ ܥܠ ܡܨܠܝܢܐ܀
ܐܫܬܡܥܬ ܕܝܢ ܠܣܘܢܗܕܘܣ: ܕܐܝܬ ܐܢܫܝܢ
ܕܠܒܫܝܢ ܐܣܟܡܐ ܕܓܠܐ ܕܐܒܝܠܐ ܘܡܣܟܢܐ
ܘܡܚܒܠܝܢ ܬܪܥܝܬܐ ܕܡܗܝܡܢܐ ܘܫܒܝܢ
ܢܫܐ ܕܛܥܝܢ ܚܛܗܐ: ܘܡܡܪܚܝܢ
ܘܐܡܪܝܢ ܕܠܝܬ ܚܛܝܬܐ ܒܐܝܠܝܢ ܕܠܐ
ܒܟܐܢܘܬ ܡܬܥܒܕܢ. ܘܠܟܐܢܘܬܐ
ܡܥܒܪܝܢ ܠܗ ܠܓܡܪܐ. ܘܡܫܝܛܝܢ
ܒܩܘܕܫܐ ܘܨܘܡܐ ܘܨܠܘܬܐ ܘܟܠܗܝܢ
ܐܝܠܝܢ ܕܒܗܝܢ ܡܬܪܥܐ ܐܠܗܐ ܠܚܛܝܐ.
ܘܒܡܠܝܗܘܢ ܡܚܘܝܢ ܕܠܐ ܦܘܪܥܢܐ
ܠܛܒܐ ܘܠܐ ܫܘܢܩܐ ܠܪܫܝܥܐ ܐܝܬ. ܘܒܗܕܐ
ܡܪܚܘܬܐ ܕܠܝܬ ܠܗ ܦܚܡܐ ܡܬܗܦܟܝܢ.
ܘܐܝܬ ܐܡܬܝ ܕܓܒܪܐ ܡܢ ܢܫܝܗܘܢ ܘܢܫܐ
ܡܢ ܒܥܠܝܗܝܢ ܐܘ ܐܝܠܝܢ ܕܐܪܡܠܢ
ܕܐܝܬ ܒܗܝܢ ܥܘܕ ܕܥܠܝܡܘܬܐ ܐܘ
ܒܬܘܠܬܐ ܡܟܝܪܬܐ ܐܘ ܐܝܠܝܢ ܕܠܐ ܡܟܝܪܢ
ܐܡܠܩ ܡܦܪܓܠܝܢ ܘܫܒܝܢ ܠܪܥܝܢܗܘܢ
ܘܡܦܪܚܝܢ ܠܗܝܢ ܠܡܢܗܘܢ ܐܝܟ

a) C ܒܗܝܢ.

[1] V. Chabot, *o. c.* p. 115 sq. Braun, *o. c.* p. 172.

ܠܣܘܒܥܐ ܕܛܢܦܘܬܗܘܢ. ܘܦܚܙܘܬܗܘܢ
ܣܓܝܐܬܐ. ܘܠܡܚܘܩܢܐ ܕܩܘܡܝܢ ܕܪܘܚܐ
ܕܩܘܕܫܐ ܡܥܕܝܢܘܬܗܘܢ ܕܢܡܘܣܐ ܡܩܘܡܝܢ
ܘܥܡܗ ܡܬܟܬܫܝܢ. ܒܗܝ ܕܡܢ ܗܕܐ
ܣܘܓܐܐ ܕܥܘܠܐ ܘܚܛܗܐ ܪܘܪܒܐ
ܡܫܬܡܠܝܢ܀

ܘܥܠ ܗܠܝܢ ܘܕܐܟܘܬܗܘܢ ܦܣܩܬ
ܘܐܬܚܬܡܬ ܣܘܢܗܕܘܣ: ܕܐܢ ܡܢ ܐܝܠܝܢ
ܕܩܒܠܘ[a] ܕܪܓܐ ܕܟܘܡܪܘܬܐ ܘܒܬܫܡܫܬܐ
ܕܥܕܬܐ ܐܬܩܝܡܘ: ܠܓܡܪܐܝܬ
ܢܬܛܪܕܘܢ ܘܢܬܪܚܩܘܢ ܡܢ ܟܠܗ ܛܟܣܐ ܩܕܝܫܐ
ܕܬܫܡܫܬܐ ܕܥܕܬܐ ܩܕܝܫܬܐ: ܘܡܢ ܟܠܗ
ܣܘܢܬܝܐ ܕܥܡ ܡܗܝܡܢܐ. ܘܢܬܝܗܒ
ܠܗܘܢ ܙܒܢܐ ܠܬܝܒܘܬܗܘܢ ܕܢܬܩܒܠܘܢ
ܠܐܪܙܐ ܩܕܝܫܐ ܘܢܬܚܠܛܘܢ ܥܡ ܡܗܝܡܢܐ
ܝܘܡܬܐ ܕܫܢܬܐ ܚܕܐ. ܕܡܢ ܕܝܢ ܕܗܝ
ܢܬܩܪܒܘܢ ܒܕܪܓܐ ܥܕܬܢܝܐ ܠܐ ܢܬܬܣܝܡܘܢ.
ܘܐܢ ܒܢܝ ܩܝܡܐ ܐܘ ܥܠܡܝܐ ܡܗܝܡܢܐ
ܕܗܢܐ ܛܢܦܘܬܐ ܥܒܕܝܢ: ܢܬܝܗܒ ܠܗܘܢ
ܙܒܢܐ ܠܬܝܒܘܬܗܘܢ ܝܪܚܐ ܫܬܐ: ܘܗܝܕܝܢ
ܢܬܚܠܛܘܢ ܥܡ ܡܗܝܡܢܐ܀

et secum circumducunt ad satiandam immunditiam et lasciviam suam magnam; et legislatori Spiritui sancto aperte resistant et cum ipso confictantur, qua ratione multa facinora et magna delicta committuntur.

De his, hisque similibus statuit ac definivit Synodus : Si ad eos pertinuerint, qui gradum sacerdotalem accepissent et in ministerio Ecclesiae constituti essent : penitus reiiciantur et a toto ordine sacro ministerii Ecclesiae sanctae amoveantur et ab omni consuetudine cum fidelibus; tempus vero eis concedatur ad poenitentiam, ut ad communicandum in mysteriis sacris admitti et cum fidelibus permisceri possint, dies anni unius. Non autem poterunt ad gradus ecclesiasticos denuo promoveri. Si vero religiosi aut laici fideles eiusmodi spurcitias commiserint : sex menses eis ad resipiscendum concedantur, et dein cum fidelibus communicabunt.

XXX-XXXI

Ex actis Synodus anno 585 praeside Iesuiahb I habitae[1].

XXX. Canon octavus.

ܩܢܘܢܐ ܕܬܡܢܝܐ܀ ܥܠ ܐܝܠܝܢ ܕܡܫܝܛܝܢ
ܠܨܠܘܬܐ ܕܥܕܬܐ ܘܡܢ ܢܣܒ ܥܠ ܡܫܒܚܐ

De illis, qui preces Ecclesiae contemnunt, et sumptionem mysteriorum Chri-

a) C ܕܡܠܠ.

[1] Textum syriacum v. apud Chabot, *o. c.* p. 144 sq.; quoad translationem cf. *ib.* p. 406 sq. Braun, *o. c.*, p. 210 sqq.

sti spernunt et in habitu mendaci ascetarum vagationem sibi absque domicilio eligunt et mulieres secum ducentes in uno monasterio indiscriminatim viri et mulieres convivunt.

Dictum itaque est a viris discretis coram synodo dari homines, qui aliquando habitu venerabili naziraeorum et ascetarum et religiosorum fraudulenter vestiti absque domicilio circumvagentur et vicos urbesque furtim invadentes ieiunium, orationem, atque sumptionem mysteriorum sacrorum contemnant; item alios ob errorem suum magis adhuc deficientes mulieres vestitu sanctimonialium indutas circumducere secum, immo vero alios in uno monasterio communiter habitare ausos esse viros et mulieres et eo errore ac morum dissolutione scandalizari fideles, irridere infideles, claudicare munus docendi.

Praecepit itaque synodus ac definivit Dei verbo, ut omnibus, qui habitum induerint monasticum et naziraeorum et ascetarum more vivere velint, distincta habitacula assignentur sive in domo paterna, sive cum clericis in ecclesia, sive cum monachis in monasterio. Quodsi studio discendi moti aliquo proficiscantur ubi amplius studium Scripturarum

ܕܐܪ̈ܙܝܗܘܢ ܕܡܫܝܚܐ: ܘܒܐܣܟܡܐ ܕܓܠܐ
ܕܐܒ̈ܝܠܐ ܓܒܝܢ ܠܗܘܢ ܦܗܝܐ ܕܠܐ ܒܘܡܪܐ
tenebrarum et soluta est potestas eius a luce et factus est incolatus eius in tenebris. Et quod scriptum est : *Deus fecit eum, ut committeret proelium*[1], simile est ei, quod dixit : *Ego constitui Pharaonem in altercatione,* quamquam eum Satanas opposuit Domino, ut sibi filius fieret tamquam proprius. Deus enim non agit impie, ut constituto Pharaone in altercatione, ne obediret, eum conversus occidat; sed habent haec verba suam explicationem, sicut dicit Apostolus : *Conclusit Deus filios Israel, ne obedirent*[2], quamquam Deus ad praesentem usque diem postulat ab eis, ut obediant, nec volunt.

3. Et misit ad Pharaonem nuntios suos, donec defatigati essent legati, nec obedivit[3]. Nec Satanam fecit, ne serviret cum Angelis iustitiae suae; is sua sponte voluit Deus fieri et cecidit; et Pharao sua sponte mortuus est et filii Israel suapte voluntate non obedierunt et occiderunt Filium Christum. Ideo Satanas iuste iudicatur et non iniuste; et Pharao iuste iudicatur et non iniuste; et filii Israel iuste iudicantur, non iniuste. Et si haud propria voluntate iniuste egissent, iniuste iudicarentur et Deus velut iniustus inveniretur.

ܕܚܫܘܟܐ: ܘܐܫܬܪܝ ܫܘܠܛܢܗ ܡܢ ܢܘܗܪܐ: ܘܗܘܐ ܬܘܬܒܘܬܗ ܒܚܫܘܟܐ. ܘܕܟܬܝܒ ܕܥܒܕܗ ܐܠܗܐ ܕܢܬܟܬܫ ܕܡܐ: ܐܝܟ ܗܘ ܕܐܡܪ: ܕܐܢܐ ܐܩܝܡܬܗ ܠܦܪܥܘܢ ܒܚܪܝܢܐ ܟܕ ܗܘ ܣܛܢܐ ܗܘ ܐܩܝܡܗ ܠܩܘܒܠܗ ܕܡܪܝܐ ܕܢܗܘܐ ܒܪܗ ܐܝܟ ܕܝܠܗ. ܠܐ ܓܝܪ ܥܘܠ ܐܠܗܐ ܕܡܐ ܕܐܩܝܡܗ ܒܚܪܝܢܐ ܕܠܐ ܢܫܬܡܥܘܢ: ܗܦܟ ܢܩܛܠܝܘܗܝ. ܐܠܐ ܦܘܫܩܐ ܐܝܬ ܠܗܘܢ ܠܡܠܐ ܗܠܝܢ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܫܠܝܚܐ: ܕܚܒܫ ܐܢܘܢ ܐܠܗܐ ܠܒܢܝ ܐܝܣܪܝܠ ܕܠܐ ܢܫܬܡܥܘܢ: ܟܕ ܐܠܗܐ ܥܕܡܐ ܠܝܘܡܢܐ ܒܥܐ ܡܢܗܘܢ ܕܢܫܬܡܥܘܢ ܘܠܐ ܨܒܝܢ܀

ܘܫܕܪ ܠܘܬ ܦܪܥܘܢ ܐܝܙܓܕܘܗܝ ܥܕܡܐ ܕܠܐܝܘ ܐܝܙܓܕܐ ܘܠܐ ܐܫܬܡܥ. ܘܠܐ ܥܒܕܗ ܠܣܛܢܐ ܕܠܐ ܢܫܡܫ ܥܡ ܡܠܐܟܐ ܕܟܐܢܘܬܗ. ܗܘ ܒܨܒܝܢܗ ܕܢܗܘܐ ܐܠܗܐ ܘܢܦܠ. ܘܦܪܥܘܢ ܒܨܒܝܢܗ ܡܝܬ. ܘܒܢܝ ܐܝܣܪܝܠ ܒܨܒܝܢܗܘܢ ܠܐ ܐܫܬܡܥܘ ܘܩܛܠܘܗܝ ܠܒܪܐ ܡܫܝܚܐ. ܘܡܛܠ ܗܢܐ ܡܬܕܝܢ ܣܛܢܐ ܟܐܢܐܝܬ ܘܠܐ ܥܘܠܐܝܬ: ܘܡܬܕܝܢ ܦܪܥܘܢ ܟܐܢܐܝܬ ܘܠܐ ܥܘܠܐܝܬ: ܘܡܬܕܝܢܝܢ ܒܢܝ ܐܝܣܪܝܠ ܟܐܢܐܝܬ ܘܠܐ ܥܘܠܐܝܬ. ܘܐܢ ܠܐ ܒܨܒܝܢܗܘܢ ܐܥܘܠܘ ܥܘܠܐܝܬ ܡܬܕܝܢܝܢ: ܘܡܫܬܟܚ ܐܠܗܐ:

α] — 16 α ܐܫܬܡܥܘ.

[1] Job. XL, 19 (Pešîṭta). — [2] Ex. IX, 16 (?). — [3] Rom. XI,32.

Absit iustissimo, ut sit iniustus, qui bonus fuit iniustis et mortuus est pro eis. Iniquitas non est apud Iustum[1]! Igitur subauditur Pharaonem fuisse iustum et Dominum pervertisse eum et iustos fuisse filios Israel et Dominum pervertisse eos et Satanam fecisse, quod ei Dominus praecepisset, eumque [ita] permanere, sicut eum creasset, et eum iudicare et in fine delere et eum semper inimicum et rebellem appellare et odio habere et igne inextinguibili iudicare et urere.

4. Si cui diceret Deus, ut malefaciat, non iudicaret eum, quoniam ipse ei praecepit. Si quis autem absque praecepto Dñi alii malum infert, iudicatur iuxta opera sua. Et si ei Deus dixisset, Satanas ut fieret, non iudicaret eum, quod inauditum est his, qui scientiam habent et cum sanctis comprehenderunt, quaenam sit altitudo et profunditas et longitudo et latitudo[2]. Quod vero Scriptura dicit : *Time Malum, quia ad malum creatus est*[3], homo est, quem Deus corde bonorum pleno creavit et obedivit Satanae, qui eum in suam creaturam convertit ope doctrinae suae malae et cor eius omnibus malis replevit et eum alium reddidit. Ideo dixit : *Eripe me, Domine*,

α] — 1 post [illegible] aliquid excidisse videtur, forte [illegible] : iniuste *iudicans* inveniretur. — 26 α [illegible].

[1] Rom. IX, 14. — [2] Eph. III, 18. — [3] Ubi, nescio.

ab homine malo[1]. Et Satanae obediendo factus est Satanas; Satanam tamen eo fecit proelium inire, quod se longanimem exhibuit eumque deiiciens deiecit, cum Deus fieri voluisset in caelo, exemplum malum in mansionibus bonis, dissensio in unanimitate. Et eum eo fecit pugnare, quod novit illum tanta mala commissurum esse in terra, nec eum occidit et Maligno illi spatium paenitentiae tribuit. Et cum stetisset coram Dño in monte, dixit ei in spiritu : *Domino Deo tuo servies*[2] per opera bona, cui non servisti. Sed ne scripto atramento [exarato] conversus est Satanas ad serviendum Domino operibus bonis, pro eo, quod non fecit[3]. Et si dicas ei velut homini dixisse in Lege, ut serviret Domino Deo suo : ergo sicut dicis, ipse Satanas sponte rebellis factus est et male egit velut homo malus, nec servivit Domino in iustitia sicut vir bonus, id est, facultate, quam habuit superne servitii et legis apud angelos supernos, et inventus est iniquus et non verax, sicut angeli sunt veraces, suapte facultate.

5. Et aliud, quod peius omnibus est, est id, quod volens similis fieri Deo detrusus est et decidit, sicut Iscariotes, qui non fuit verax in ministerio suo, quod

ܘܐܬܡܪܕ ܠܣܛܢܐ ܘܗܘܐ ܣܛܢܐ. ܐܠܐ ܠܣܛܢܐ ܒܗܕܐ ܥܒܕܗ ܩܪܒܐ ܕܢܬܟܬܫ ܡܛܠ: ܕܐܓܪ ܪܘܚܗ ܘܚܘܝܗ ܫܕܝܗ ܫܕܝܐ ܟܕ ܨܒܐ ܐܠܗܐ ܕܢܗܘܐ ܒܫܡܝܐ: ܛܘܦܣܐ ܒܝܫܐ ܒܡܘܬܒܐ ܛܒܐ ܘܦܠܓܘܬܐ ܒܫܘܝܘܬܐ. ܘܥܒܕܗ ܩܪܒܐ ܒܗܕܐ ܕܝܕܥܗ: ܕܥܬܝܕ ܗܘܐ ܕܢܣܥܘܪ ܒܝܫܬܐ ܗܠܝܢ ܒܐܪܥܐ ܘܠܐ ܩܛܠܗ: ܘܝܗܒ ܠܗ ܠܗܘ ܒܝܫܐ ܐܬܪܐ ܠܬܝܒܘܬܐ. ܘܟܕ ܩܡ ܩܕܡ ܡܪܢ ܒܛܘܪܐ ܐܡܪ ܠܗ ܒܪܘܚܗ: ܠܡܪܝܐ ܐܠܗܟ ܬܦܠܘܚ ܒܥܒܕܐ ܛܒܐ ܗܢܘܢ ܕܠܐ ܦܠܚܬܝܗܝ. ܐܦ ܠܐ ܒܟܬܒܐ ܕܕܝܘܬܐ ܐܬܦܢܝ ܣܛܢܐ ܠܡܦܠܚ ܠܡܪܝܐ ܒܥܒܕܐ ܛܒܐ: ܚܠܦ ܗܘ ܕܠܐ ܥܒܕ. ܘܐܢ ܐܡܪܬ ܕܐܝܟ ܕܠܒܪܢܫܐ ܐܡܪ ܠܗ ܒܢܡܘܣܐ ܕܠܡܪܝܐ ܐܠܗܗ ܢܦܠܘܚ: ܗܟܝܠ ܐܝܟ ܕܐܡܪܬ ܗܘܝܘ ܣܛܢܐ ܡܢ ܨܒܝܢܗ ܗܘܐ ܡܪܘܕܐ ܘܐܒܐܫ: ܘܥܒܕ ܒܝܫܬܐ ܐܝܟ ܓܒܪܐ ܒܝܫܐ: ܘܠܐ ܦܠܚ ܠܡܪܝܐ ܒܟܐܢܘܬܐ ܐܝܟ ܓܒܪܐ ܛܒܐ: ܗܢܘ ܕܝܢ ܒܡܫܟܚܢܘܬܐ ܕܠܥܠ ܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܒܫܡܫܬܐ ܐܦ ܒܢܡܘܣܐ ܥܡ ܡܠܐܟܐ ܥܠܝܐ: ܘܐܫܬܟܚ ܥܘܠܐ ܘܠܐ ܫܪܝܪܐ ܒܡܫܟܚܢܘܬܗ ܐܝܟ ܡܠܐܟܐ ܕܫܪܝܪܝܢ܀

ܘܐܚܪܢܝܬܐ ܕܒܝܫܐ ܡܢ ܟܠܗܝܢ: ܗܕܐ ܕܨܒܐ ܕܢܗܘܐ ܐܠܗܐ: ܘܐܬܕܚܝ ܘܢܦܠ: ܐܝܟ ܕܡܫܟܪܝܘܛܐ ܕܠܐ ܫܪܝܪ ܗܘܐ ܒܬܫܡܫܬܗ ܗܘ

α] — 19 α ܗ [ܕܝ ܗܘܐ.

[1] Ps. CXL, 2. — [2] Matth. IV, 10. — [3] Sensus est : Satanas ne effato quidem Salvatoris, cum quasi prophetice ad paenitendum hortantis eique implicite spatium paenitentiae concedentis, ad conversionem movetur.

ܕܝܗܒ ܠܗ ܡܪܢ. ܐܠܐ ܓܢܒܐ ܗܘܐ: ܘܒܚܪܬܐ ܡܪܕ ܠܗ ܡܡܪܕ. ܡܐ ܕܡܐ ܠܪܒܗ ܣܛܢܐ ܘܠܐ ܠܝܫܘܥ: ܡܠܦܢܘܬܐ ܓܝܪ ܕܣܛܢܐ ܩܒܠ ܘܠܐ ܕܡܪܢ. ܐܦ ܡܪܢ ܐܡܪ: ܕܐܢܐ ܓܒܝܬܟܘܢ ܘܚܕ ܡܢܟܘܢ ܣܛܢܐ ܗܘ. ܫܦܝܪ ܗܟܝܠ ܐܬܦܚܡ ܣܛܢܐ ܘܣܟܪܝܘܛܐ ܠܚܕܕܐ. ܘܐܝܟܢܐ ܕܡܢ ܒܪܫܝܬ ܐܫܬܟܚ ܣܛܢܐ ܡܢ ܒܝܬ ܝܡܝܢܐ: ܗܟܢܐ ܠܒܪܫܝܬ ܒܪܝܬܐ ܕܐܚܪܝܢ ܕܒܝܫܘܥ: ܐܫܬܟܚ ܣܛܢܐ ܡܢ ܒܝܬ ܝܡܝܢܐ. ܝܕܥ ܗܘܐ ܠܗ ܓܝܪ ܡܪܢ ܠܣܟܪܝܘܛܐ ܕܣܛܢܐ ܗܘ: ܘܓܒܝܗܝ ܕܢܚܘܐ ܠܢ ܐܝܟܢܐ ܡܪܕ ܣܛܢܐ ܡܢ ܓܒܐ ܕܝܡܝܢܐ ܡܢ ܒܪܫܝܬ. ܟܠܡܕܡ ܓܝܪ ܡܚܕܬ ܡܢ ܪܫ ܘܚܘܝ ܝܫܘܥ܀

ܚܢܢܘܬܗ ܗܟܝܠ ܕܡܪܢ ܥܒܕܬܗ ܠܣܛܢܐ ܕܢܗܘܐ ܣܩܘܒܠܐ: ܒܕ ܕܝܗܒ ܠܗ ܐܓܪܐ ܘܠܐ ܩܛܠܗ. ܘܒܣܝܡܘܬܗ ܥܒܕܬܗ ܠܣܟܪܝܘܛܐ ܕܢܫܠܡܝܘܗܝ: ܒܕ ܕܠܐ ܢܦܚ ܒܗ ܘܐܘܒܕܗ. ܘܐܢ ܥܛܠܐ ܠܟ ܕܐܝܟܢܐ ܚܙܐ ܗܘܐ ܠܗ ܐܠܗܐ ܠܣܛܢܐ: ܘܫܒܘܩܐ ܘܢܓܝܪ ܪܘܚܗ ܘܡܣܝܒܪ: ܟܕ ܗܠܝܢ ܡܬܚܫܒ ܗܘܐ ܘܥܒܕ ܒܨܒܝܢܗ: ܐܬܛܦܝܣ ܡܢ ܗܕܐ ܕܝܕܥ ܗܘܐ ܡܢܐ ܡܬܚܫܒ ܗܘܐ ܣܟܪܝܘܛܐ: ܘܡܢܐ ܥܒܕ ܗܘܐ ܘܠܐ ܩܛܠܗ: ܐܠܐ ܩܪܝܗ ܘܩܪܒ ܠܗ: ܘܥܒܕ ܠܗ ܐܝܩܪܐ ܘܐܫܝܓ ܠܗ ܪܓܠܘܗܝ ܘܝܗܒ ܠܗ ܫܠܡܐ ܒܚܘܒܐ܀

α] —

[1] Ioh. vi, 70. — [2] Eph. i, 10. Cf. Serm. XXI, 4.

ei Dñs tribuit, sed fur erat et in fine rebellando rebellavit. Quam similis est magistro suo Satanae et non Jesu! Doctrinam enim Satanae amplexus est, non Dñi. Etiam Dñs dixit: *Ego elegi vos et unus ex vobis Satanas est*[1]. Optime igitur comparantur Satanas et Iscariotes inter se. Et sicut ab initio Satanas inventus est a parte dextera: sic inventus est initio creationis alterius per Iesum [factae] Satanas a parte dextera; novit enim Dñs Iscariotam satanam esse eumque elegit, ut nobis indicaret, quomodo rebellasset Satanas a parte dextera ab initio. Omnia enim ab initio innovavit et ostendit nobis Iesus[2].

6. Clementia itaque Domini fecit Satanam contrarium mora ei concessa et quia non occidit eum; et benignitas eius fecit, ut se Iscariotes traderet, quia non consumpsit eum halitu suo. Et si tibi difficile captu videatur, quomodo viderit Deus Satanam eumque neglexerit et patienter tulerit, dum haec cogitavit et perpetravit suapte voluntate, persuasum habe inde, quod novit, quid machinatus et facturus esset Iscariotes, nec eum occidit, sed vocavit eum et accedens ad eum honorem ei praestitit lavans pedes eius et ex caritate salutans eum.

7. Persuasum habe adhuc inde, quod Adam, consilio Maligni Deum fieri volentem, non occidit Dñs prae caritate et clementia sua, sed adhuc Dñs magnificavit caritatem suam et misertus est eius et se clementem exhibens salvavit eum. Item considera, quomodo rebellaverint rebellentque homines contra benignitatem Dei, qui se longanimem exhibet nec eos consumit, sed apprehensa eorum manu paenitentiam eis tribuit. Et adverte, non solum ingratos fuisse, sed ipsi quoque Deo restitisse homines; neque delevit eos, nec eorum memoriam oblivioni tradidit prae misericordia sua.

8. Et si dicas : quod de Satana dictum est eum voluisse Deum fieri in terra, voluisse talem fieri tempore gentilitatis super creaturas terrestres carnales, non super spirituales illas, quae in caelo sunt : intellige, quid dixerit : *Omnia visibilia imago sunt invisibilium*[1]. Si vero Satanas imaginem suam in terra producere voluit, illa eius imago ea est, quam in caelo producere volebat; quod vero in terra produxit eam, — hoc evenit, quia nos homines obedimus ipsi et is regnat super omnes, qui voluntatem eius faciunt, et Deus appellatus est, sicut scriptum est : *Deus mundi huius*

ܘܐܬܛܦܝܣ ܬܘܒ ܡܢ ܗܪܟܐ: ܕܐܕܡ ܐܝܟ ܒܡܠܟܗ ܕܒܝܫܐ ܕܢܗܘܐ ܐܠܗܐ: ܘܠܐ ܩܛܠܗ ܡܪܢ ܡܛܠ ܚܘܒܐ ܘܒܣܝܡܘܬܗ ܐܠܐ ܐܪܒܝ ܬܘܒ ܚܘܒܗ ܡܪܢ ܘܐܬܪܚܡ ܥܠܘܗܝ: ܘܚܢܗ ܘܐܚܝܗ. ܚܙܝ ܬܘܒ ܐܝܟܢ ܡܪܕܘ ܘܡܬܡܪܕܝܢ ܒܢܝܢܫܐ ܥܠ ܒܣܝܡܘܬܗ ܕܐܠܗܐ: ܘܡܓܪ ܪܘܚܗ ܘܠܐ ܡܣܝܦ ܠܗܘܢ ܐܠܐ ܐܚܕ ܒܐܝܕܝܗܘܢ ܘܝܗܒ ܠܗܘܢ ܬܝܒܘܬܐ. ܚܙܝ ܕܠܘ ܒܠܚܘܕ ܟܦܪܘ: ܐܠܐ ܐܦ ܩܡܘ ܠܘܩܒܠ ܡܪܝܐ ܒܢܝܢܫܐ ܘܠܐ ܒܛܠܢܘܢ ܘܠܐ ܛܥܝܗ ܕܘܟܪܢܗܘܢ ܡܛܠ ܪܚܡܘܗܝ܀

ܘܐܢ ܬܐܡܪ: ܗܘ ܕܐܡܝܪ ܥܠ ܣܛܢܐ: ܕܨܒܐ ܕܢܗܘܐ ܐܠܗܐ ܒܐܪܥܐ: ܗܘ ܨܒܐ ܗܘܐ ܕܢܗܘܐ ܒܙܒܢ ܚܢܦܘܬܐ ܥܠ ܒܪܝܬܐ ܐܪܥܢܝܬܐ ܕܒܣܪ: ܠܘ ܥܠ ܗܠܝܢ ܪܘܚܢܝܬܐ ܕܒܫܡܝܐ. ܐܣܬܟܠ ܕܐܡܪ. ܕܟܠܡܕܡ ܕܡܬܚܙܐ ܨܠܡܐ ܗܘ ܕܗܘ ܡܕܡ ܕܠܐ ܡܬܚܙܐ. ܐܢ ܕܝܢ ܨܒܐ ܗܘܐ ܣܛܢܐ ܕܢܥܒܕ ܒܐܪܥܐ ܨܠܡܗ: ܗܢܘ ܕܗܘ ܕܨܒܐ ܗܘܐ ܕܢܥܒܕ ܒܫܡܝܐ. ܗܕܐ ܕܝܢ ܕܥܒܕ ܒܐܪܥܐ: ܒܗܘ ܕܐܫܬܡܥܢ ܠܗ ܚܢܢ ܒܢܝܢܫܐ: ܘܐܡܠܟ ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܥܒܕܝ ܨܒܝܢܗ: ܘܐܬܩܪܝ ܐܠܗܐ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ: ܕܐܠܗܗ ܕܥܠܡܐ ܗܢܐ ܥܘܪ ܡܬܪܥܝܢܗܘܢ

α] —

[1] Cf. Rom. I, 20.

ܕܪ̈ܫܝܥܐ: ܕܠܐ ܢܫܬܡܥܘܢ ܠܡܪܗ ܕܬܫܒܘܚܬܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪ: ܕܠܡܢ ܕܬܬܠܘܢ ܡܫܡܥܘܬ ܐܕܢܐ ܕܥܒܕܘܗܝ ܐܝܬܝܟܘܢ ܠܚܛܗ̈ܐ: ܐܘ ܠܟܐܢܘܬܐ ܘܐܘ ܠܙܕܝܩܘܬܐ. ܘܐܢ ܬܐܡܪ ܕܡܢ ܟܝܢ ܒܪܝܬܗ ܐܝܬ ܗܘܐ ܒܗ ܒܣܛܢܐ ܥܘܠܐ: ܒܗܘ ܕܡܪܐ ܠܗ ܫܠܝܛܐ ܥܘܠܐ: ܠܐ ܬܐܡܪ ܕܐܝܟ ܗܕܐ: ܕܐܠܘ ܒܪܐ ܒܗ ܐܠܗܐ ܥܘܠܐ ܠܐ ܣܢܐ ܗܘܐ ܠܗ ܒܪܘܓܙܐ: ܘܒܚܡܬܐ ܠܐ ܡܚܣܕ ܗܘܐ ܠܗ: ܘܠܐ ܟܬܒ ܗܘܐ ܢܒܝܐ ܒܪܘܚܐ ܗܟܢܐ: ܕܟܠ ܕܥܒܕ ܐܠܗܐ: ܗܐ ܛܒ ܫܦܝܪ: ܘܡܝܬܪܘܬ ܟܝܢܐ ܕܒܪܝܬܗ ܟܠܚܕ ܒܓܢܣܗ: ܟܠ ܕܐܬܒܪܝ: ܐܠܐ ܐܡܪ ܗܘܐ: ܕܟܠ ܕܒܪܐ ܫܦܝܪ: ܠܒܪ ܡܢ ܣܛܢܐ: ܐܠܘ ܐܠܗܐ ܒܪܐ ܒܗ ܥܘܠܐ ܡܕܡ ܕܠܐ ܫܦܝܪ܀

ܐܦ ܠܦܪܥܘܢ ܒܗܕܐ ܐܡܪ ܗܘܐ ܕܐܩܝܡܬܗ ܒܬܚܪܝܢܐ: ܒܟܢ ܕܡܛܐ ܕܢܦܪܘܥ ܒܠܗܘܢ ܡܪܕܘܬܐ ܐܡܪ ܠܡܘܫܐ: ܨܠܐ ܕܢܥܒܪ ܘܡܬܛܦܝܣ ܐܢܐ: ܘܡܫܪܐ ܐܢܐ ܠܟ ܘܠܥܡܟ ܐܙܠܝܢ ܐܝܬܝܟܘܢ ܒܫܠܡܐ. ܘܒܗܕܐ ܐܩܫܝܗ ܡܪܝܐ: ܟܕ ܕܫܡܥܗ ܟܠ ܕܡܬܚܢܢ ܒܝܕ ܡܘܫܐ: ܘܐܣܝܗ ܠܐܪܥܐ ܡܢ ܡܚܘܬܐ. ܡܫܡܥܢܘܬܗ ܗܟܝܠ ܕܡܪܝܐ ܘܡܓܪܬ ܪܘܚܗ ܐܩܫܝܘ ܠܦܪܥܘܢ. ܡܛܠ ܕܡܬܝܢ ܗܘܐ ܥܠܘܗܝ ܐܘܠܨܢܐ ܐܠܝܡܐ:

scientiam impiorum excaecavit[1], ne obedirent Domino gloriae, quemadmodum dicit : *Cui auditum aurium praebetis, servi eius estis, sive ad peccatum, sive ad iustitiam*[2]. Et si dicas iniquitatem in Satana ex ipsa natura creationis fuisse, nam dominatorem iniquum eum appellat[3], noli talia asserere; nam si Deus creasset iniquitatem in ipso, non odisset eum cum ira, nec ei cum furore improperasset, nec Propheta in spiritu scripsisset sic : *Omnia, quae fecit Deus, ecce bona sunt valde* et natura creationis praestantia, *unumquodque in genere suo*[4], quod creatum est, sed scripsisset : « omnia, quae creavit, bona sunt valde praeter Satanam », si Deus in ipso aliquam iniquitatem creasset, non bonam.

9. Etiam Pharaoni eatenus dixit : *constitui eum in altercatione*[5], quatenus immissa ei castigatione dixit Moysi : « Ora, ut recedat, et obediam et dimittam te et populum tuum, ut abeatis in pace[6]. » Qua ratione Dominus obduravit eum, quia exaudivit eum, quotiescumque per Moysen se invocasset, et terram a plagis sanavit. Exauditio igitur Domini longanimitasque eius obduraverunt Pharaonem. Nam superve-

α] — 6 α in margine add. ܒܗܘ ܕܡܪܐ ܠܗ ܫܠܝܛܐ ܥܘܠܐ quod quidem in textum recepimus, etsi forte nota sit scribae. — 8 α ponit punctum post ܠܗ in hoc tamen casu legendum erit ܘܒܪܘܓܙܐ.

1 II Cor. IV, 4. — 2 Rom. VI, 16. — 3 Eph. VI, 12. — 4 Gen. I, 31. — 5 Cf. supra Serm. XXIII, 2. — 6 Ex. VIII, 8.

niente ei tribulatione humiliatus est et veniente alleviatione obduratus est. In infirmitate humilis, in sanitate obduratus fit, perinde ac si quis dicat : « ego exaltavi caput infirmi istius et sanavi eum et nudum vestivi et pauperem ditavi; et ecce, hodie adversatur mihi! » Simili ratione obduravit Dominus Pharaonem ob beneficia, quae praestitit ei misertus eius et spatio paenitentiae, quod ei tribuit. Hanc ob rem scriptum est : *Dominus obduravit cor Pharaonis* [1], ne obediret; hoc est, misericordia et sanatione obduratus est Pharao.

10. Filios Israel conclusit Deus humilitate et vili forma sua. Nam Isaias dixit : *Despectus et humillimus est hominum; non erat ei facies neque decor et vidimus eum despectum esse humilemque et abnegavimus eum* [2]. Abiectio proinde Iesu humilitasque eius concluserunt eos; id est, quia contempserunt eum nec obedierunt ei. Et dixit : *Conclusit eos Deus, ne obedirent* [3]; et si lector intelligat, sive mansuetudine, sive duritia sua conclusit eos; et res talem speciem prae se fert, ac si iniquitas detur apud Deum, cum Deus irreprehensibilis sit in omnibus operibus suis. Igitur mansuetudo eius neminem concludit, sed implorando ob-

ܡܛܠ ܕܐܬܐ ܢܝܚܐ ܐܬܩܫܝ. ܒܟܘܪܗܢܐ
ܡܬܡܟܟ: ܘܒܚܘܠܡܢܐ ܡܬܩܫܐ. ܐܝܟ
ܐܢܫ ܕܐܡܪ: ܐܢܐ ܐܪܝܡܬ ܠܗ ܒܪܫܗ: ܠܗܢܐ
ܟܪܝܗܐ ܗܘܝܬ ܘܐܣܝܬܗ: ܘܥܪܛܠܝܐ ܗܘܝܬ
ܘܐܠܒܫܬܗ: ܘܡܣܟܢܐ ܗܘܝܬ ܘܐܥܬܪܬܗ:
ܘܗܐ ܝܘܡܢܐ ܗܘ ܩܐܡ ܠܘܩܒܠܝ. ܗܟܢܐ ܗܘ
ܩܫܝܗ ܡܪܝܐ ܠܦܪܥܘܢ: ܒܛܝܒܘܬܐ ܕܥܒܕ
ܠܗ ܘܐܬܪܚܡ ܥܠܘܗܝ: ܘܒܙܒܢܐ ܕܬܝܒܘܬܐ
ܕܝܗܒ ܠܗ. ܘܡܛܠ ܗܢܐ ܐܬܟܬܒ
ܕܡܪܝܐ ܩܫܝ ܠܒܗ ܕܦܪܥܘܢ ܕܠܐ ܢܫܬܡܥ:
ܗܢܘ ܕܝܢ ܒܪܚܡܐ ܘܒܚܘܠܡܢܐ
ܐܬܩܫܝ ܦܪܥܘܢ܀

ܠܒܢܝ ܐܝܣܪܝܠ ܒܗܘܪܐ ܣܓܪ ܐܠܗܐ
ܠܗܘܢ: ܒܡܟܝܟܘܬܗ ܘܒܐܣܟܡܗ ܫܝܛܘܬܗ.
ܐܡܪ ܓܝܪ ܐܫܥܝܐ: ܕܗܘ ܫܝܛܐ ܘܡܟܝܟܐ
ܕܐܢܫܐ. ܠܝܬ ܗܘܐ ܠܗ ܐܦܐ ܘܠܐ ܫܘܦܪܐ.
ܘܚܙܝܢܝܗܝ ܕܫܝܛ ܗܘܐ ܘܡܟܝܟ
ܘܟܦܪܢܝܗܝ. ܫܝܛܘܬܗ ܗܘ ܕܝܫܘܥ
ܘܡܟܝܟܘܬܗ ܣܓܪܬ ܐܢܘܢ. ܗܢܘ ܕܝܢ ܡܛܠ
ܕܒܣܪܘ ܒܗ ܘܠܐ ܐܫܬܡܥܘ ܠܗ. ܘܐܡܪ
ܕܣܓܪ ܐܢܘܢ ܐܠܗܐ: ܕܠܐ ܢܫܬܡܥܘܢ. ܘܐܢ
ܡܣܬܟܠ ܩܪܝܐ: ܐܘ ܒܡܟܝܟܘܬܗ ܗܘ
ܣܓܪ ܐܢܘܢ ܐܘ ܒܩܫܝܘܬܗ. ܘܕܡܝܐ ܗܝ
ܨܒܘܬܐ: ܐܝܟ ܗܘܐ ܠܗ ܥܘܠܐ ܠܘܬ ܐܠܗܐ: ܟܕ
ܐܠܗܐ ܕܠܐ ܥܕܠܐ ܗܘ ܠܘܬ ܟܠܗܘܢ
ܥܒܕܘܗܝ. ܡܟܝܟܘܬܗ ܗܟܝܠ ܠܐ ܣܓܪܐ

α] — 11 α ܗ [ܕܝܢ ܗܢܘ· — 15 ܘܗ incertum; scriptura in codice evanuit. — 16 α ܕܐܢܫܐ· — 19 α ܗ [ܕܝܢ ܗܢܘ

[1] Ex. x, 2; xi, 10 — [2] Is. liii, 2 seq. — [3] Rom. xi, 32; cf. supra § 2.

secrat; duritia vero eius vi trahit. Et quotiescumque Dñs eorum gratia miracula antiqua patravit et eis dixit: *Si non facio opera Domini, nolite credere in me* [1], hi dixerunt: *Hic filius est Ioseph* [2] *et homo sicut nos; ne credamus ei. Dixit eis Dñs: saltem ipsis operibus credite Dominum misisse me* [3]. Vides, an forte Deus concluserit eos? Sed illi se ipsos concluserunt, eo quod contempserunt eum, quia se ipsum minuit et humiliatus est. Venit enim Dñs, ut ostenderet humilitatem hominibus et viam et portam paradisi spiritualis, unde Adam egressus est, ad quem raptus est Paulus supra tertium caelum. Totum ergo, quod venit: ut humilitatem ostenderet; et vidit eos concludi ob humilitatem suam, nec sponte obedire. Et cum iniquitate sua eum molestassent et miraculis ab illo patratis non credidissent dicentes: *Signum de caelo* da nobis: vocavit eos *generationem malam et adulteram* [4]. Ut ostenderet se iudicem esse, hoc et simili sermone usus est, non ut exemplum daret asseclis suis, sed ut ostenderet se cuique retributurum esse iuxta opera eius, ne homines dicerent ipsum non esse vindictam sumpturum de malo die iudicii, et contemnerent nec timerent iudicium eius, nec observarent mandata viverentque.

α] — 8 α [illegible]. — 14 α [illegible].

[1] Ioh. x, 37. — [2] Ioh. vi, 42. — [3] Ioh. x, 38. — [4] Matth. xii, 38 sq.

11. Scriptum est : *Ignominia eos eodem loco afficite et eos coram me occidite*[1]. Et dixit : *Vos estis filii Maligni*[2]. Et dixit : *Ite maledicti in ignem*[3], quamquam nobis praecepit, ne uteremur duritia aut verbis turpibus[4]. Et dixit eis : Haec omnia signa feci et vos signum petitis a me? Igitur sicut vos primis persuasi non estis, neque novissimis persuadebimini; sed dabo vobis signum vile et minutum, quo scandalizabimini, quia magnis persuasi non estis. Eo quod sum humilis, scandalizati estis, quoniam non vultis humiliari et me imitari et mihi discipuli fieri : adhuc per vos moriar humilians me ipsum et ero *tribus diebus in corde terrae*[5], ut illi, qui credunt in me, humilient se usque ad mortem et, qui scandalizantur in me, humilitate mea concludantur et cum duro corde dicant : « Deus adeo humiliatus non est, nec mortuus est per manus creaturae suae inermis ». Sciunt enim nihil esse, quod vincentem omnia devincat, et non intelligunt eum ob Adae filiorumque eius iniquitatem et superbiam humiliatum esse, ut eos doceret ad pristinam formam reverti, ex qua exciderunt.

Desinit sermo vigesimus tertius de Satana et Pharaone et filiis Israel.

ܟܬܝܒ: ܕܒܨܪܘ ܐܢܘܢ ܒܕܘܟܬܐ ܗܿܝ ܘܩܛܘܠܘ ܐܢܘܢ ܩܕܡܝ. ܘܐܡܪ: ܕܒܢܘܗܝ ܐܢܬܘܢ ܕܒܝܫܐ. ܘܐܡܪ: ܕܐܙܠܘ ܠܟܘܢ ܠܝܛܐ ܠܢܘܪܐ: ܟܕ ܠܢ ܦܩܕ ܠܢ: ܕܠܐ ܢܬܚܫܚ ܒܩܫܝܘܬܐ ܘܠܐ ܒܡܠܬܐ ܣܢܝܬܐ. ܘܐܡܪ ܠܗܘܢ: ܕܗܠܝܢ ܟܠܗܝܢ ܐܬܘܬܐ ܥܒܕܬ ܘܐܬܐ ܫܐܠܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܟܘܢ. ܡܟܝܠ ܐܝܟ ܕܠܐ ܠܩܕܡܝܬܐ ܐܬܛܦܝܣܬܘܢ: ܘܠܐ ܠܐܚܪܝܬܐ ܡܬܛܦܝܣܝܢ ܐܢܬܘܢ. ܐܠܐ ܝܗܒ ܐܢܐ ܠܟܘܢ ܐܬܐ ܫܝܛܬܐ ܘܙܥܘܪܬܐ ܕܒܗ ܬܬܟܫܠܘܢ: ܡܛܠ ܕܠܐ ܐܬܛܦܝܣܬܘܢ ܠܪܘܪܒܬܐ. ܒܗܝ ܕܡܟܝܟ ܐܢܐ ܐܬܟܫܠܬܘܢ: ܡܛܠ ܕܨܒܝܢ ܐܢܬܘܢ ܕܬܬܡܟܟܘܢ: ܘܬܬܕܡܘܢ ܒܝ ܘܬܗܘܘܢ ܠܝ ܬܠܡܝܕܐ: ܬܘܒ ܡܐܬ ܐܢܐ ܒܐܝܕܝܟܘܢ ܟܕ ܡܡܟܟ ܐܢܐ ܢܦܫܝ: ܘܗܘܐ ܐܢܐ ܬܠܬܐ ܝܘܡܝܢ ܒܠܒܗ ܕܐܪܥܐ: ܕܐܝܠܝܢ ܕܡܗܝܡܢܝܢ ܒܝ: ܢܬܡܟܟܘܢ ܥܕܡܐ ܠܡܘܬܐ: ܘܐܝܠܝܢ ܕܡܬܟܫܠܝܢ ܒܝ ܢܬܚܒܫܘܢ ܒܡܟܝܟܘܬܝ: ܘܐܡܪܝܢ ܒܠܒܐ ܩܫܝܐ: ܕܠܐ ܡܬܡܟܟ ܗܘܐ ܐܠܗܐ ܗܟܢܐ: ܘܠܐ ܡܐܬ ܗܘܐ ܒܐܝܕܝ ܒܪܝܬܗ. ܟܕ ܚܠܫ. ܝܕܥܝܢ ܓܝܪ ܕܠܝܬ ܡܕܡ ܕܙܟܐ ܠܗ ܠܙܟܝ: ܘܠܐ ܡܣܬܟܠܝܢ ܕܡܛܠ ܥܘܠܗ ܘܪܘܪܒܢܗܘܢ ܕܐܕܡ ܘܕܒܢܘܗܝ ܐܬܡܟܟ ܕܢܠܦ ܐܢܘܢ: ܐܝܟ ܕܢܗܦܟܘܢ ܠܕܡܘܬܗܘܢ ܗܿܝ ܩܕܡܝܬܐ ܕܢܦܠܘ ܡܢܗ ܀

ܫܠܡ ܡܐܡܪܐ ܕܥܣܪܝܢ ܘܬܠܬܐ: ܕܥܠ ܣܛܢܐ ܘܦܪܥܘܢ: ܘܥܠ ܒܢܝ ܐܝܣܪܝܠ ܀

α] 15 α ܠܐܠܗܐ. — 25 α ܠܕܡܘܬܗܘܢ. — 26 α ܕܥܣܪܝܢ.

[1] Luc. XIX, 27. — [2] Ioh. VIII, 44. — [3] Matth. XXV, 41. — [4] Col. III, 8. — [5] Matth. XII, 40.

ܡܐܡܪܐ ܕܥܣܪܝܢ ܘܐܪܒܥܐ ܕܥܠ ܬܝܒܘܬܐ

SERMO VIGESIMUS QUARTUS

DE PAENITENTIA

ܡܛܠ ܕܐܝܬ ܐܢܫܐ ܕܐܡܪܝܢ ܕܐܢ ܐܢܫ ܚܛܐ ܡܢ ܒܬܪ ܕܐܥܡܕ ܠܝܬ ܠܗ ܐܬܪܐ ܠܬܝܒܘܬܐ: ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܐܡܪܝܢ ܫܠܝܚܐ: ܕܐܢ ܐܢܫ ܢܦܠ ܘܢܚܛܐ ܡܢ ܒܬܪ ܕܢܩܒܠ ܝܕܥܬܐ ܕܫܪܪܐ: ܘܛܥܡ ܒܣܝܡܘܬܐ ܕܥܠܡܐ ܕܥܬܝܕ: ܠܝܬ ܠܗ ܕܒܚܬܐ ܐܚܪܬܐ ܕܬܬܩܪܒ ܚܠܦ ܚܛܗܘܗܝ: ܐܠܐ ܥܬܝܕ ܗܘ ܠܡܐܟܠ ܛܢܢܐ ܕܢܘܪܐ ܠܐܢܫܐ ܕܗܘܘ ܒܥܠܕܒܒܐ ܠܢܦܫܗܘܢ ܘܠܐ ܬܒܘ. ܘܝܕܥܝܢܢ ܕܠܘ ܟܠ ܡܢ ܕܥܡܕ ܡܢ ܗܘ ܡܩܒܠ ܝܕܥܬܐ ܕܫܪܪܐ: ܐܠܐ ܚܕ ܡܢ ܣܓܝܐܐ ܐܝܟ ܐܝܠܝܢ ܕܡܩܒܠܝܢ ܝܕܥܬܐ ܕܫܪܪܐ. ܠܗ ܠܗܢܐ ܕܠܝܬ ܠܗܘܢ ܠܬܝܒܘܬܐ ܐܡܪ ܫܠܝܚܐ: ܐܠܐ ܕܒܚܬܐ ܐܚܪܬܐ ܠܝܬ ܠܗܘܢ. ܐܝܟ ܐܢ ܢܐܡܪ: ܕܠܐ ܐܠܗܐ ܐܚܪܢܐ ܐܝܬ ܠܒܪ ܡܢ ܗܘ ܕܒܗ ܗܝܡܢܢ ܘܠܐ ܕܒܚܬܐ ܐܚܪܬܐ:

1. Etenim sunt homines, qui dicant: « si quis, postquam baptizatus erat, peccavit, nullus ei datur paenitentiae locus, sicut Apostolus, inquiunt, dixit: *Si quis lapsus peccavit, postquam scientiam veritatis receperat*[1] *et gustaverat suavitatem saeculi futuri*[2], *nulla alia hostia datur, quae pro peccatis eius offeratur*, *sed invidia ignis futurum ut devoret homines, qui sibi adversarii facti sunt, nec egerunt paenitentiam*. Et scimus non omnes, ubi baptizati sint, accipere cognitionem veritatis, sed singulos esse ex multis, qui accipiant cognitionem veritatis. Igitur Apostolus non dicit eos paenitentiam non habere, sed nullam ait eis aliam hostiam dari; quasi dicas nullum alium Deum esse praeter illum, in quem

αβ] In titulo: α sicut in textu praeter quod scribit ܕܥܣܪܝܢ ܘܐܪܒܥܐ; β *XXIV. Porro eiusdem de paenitentia* ܬܘܒ ܕܝܠܗ ܕܥܠ ܬܝܒܘܬܐ . ܡ. — 1 α ܐܢܫܐ. — 8 α ܐܢܫܐ. — 12 β om. ܚܕ ... ܕܫܪܪܐ in textu, notat in margine.

[1] Hebr. x, 26. — [2] Hebr. vi, 5. Quoad usum horum verborum apud Montanistas cf. Tertulliani opus *De pudicitia* c. 20, apud Novatianos Epiphanii *Haer.* lix, 2; vide etiam Koch, *Die Sündenvergebung bei Irenäus* in *Zeitschr. für neutestam. Wissenschaft* IX, (1908) pp. 35-46.

peccaverunt, nec aliam cognitionem, praeter illam veritatem, quam cognoverunt et in qua non perseverarunt, nec eos habere locum aut spatium huic Deo alienum, ut abeuntes sacrificent ei aliam hostiam, nisi convertantur ad Deum illum, in quem olim crediderunt et cui obtulerunt scientiam confessionemque illam, quam antea sacrificabant. Non dicit eos non salvari, sed nullum eis dari cultum alium praeter illam veritatem, quam noverant et a qua defecerant; et nisi convertantur et sacrificent, ut olim sacrificabant, fore ut eos ignis devoret, qui ipsi sibi adversarii facti sunt dicentes : « abhinc, quod peccavimus, non recipit nos Deus. Unum quippe et centum par est, » quod eos malitia docet ita loqui, ne convertantur et salventur, sicut docuit Iscariotem, qui se suspendit. Si enim Iscariotes conversus esset, Dñs recepisset eum, *quia non vult mortem hominis, sed ut convertatur et vivat*[1]. Et sunt homines, qui dicant : si vestis scindatur et locus suppleatur, manet notus; et, si murus perforetur et locus reaedificetur, notus erit. Et frangunt cor paenitentium, quamquam nos omnes paenitentes sumus et peccata habemus omnes. Nos autem cum omnibus discrete loquamur;

ܠܒܪ ܡܢ ܗܘ ܫܪܪܐ ܕܝܕܥܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܘܠܐ ܩܡܘ ܒܗ: ܘܠܝܬ ܠܗܘܢ ܕܘܟܬܐ ܐܘ ܐܬܪܐ ܕܢܦܩܘܢ ܡܢ ܗܢܐ ܐܠܗܐ: ܕܢܐܙܠܘܢ ܢܕܒܚܘܢ ܠܗ ܕܒܚܬܐ ܐܚܪܬܐ: ܐܠܐ ܐܢ ܗܦܟܘ ܠܘܬ ܗܢܐ ܐܠܗܐ ܕܗܝܡܢܘ ܒܗ ܡܢ ܩܕܡܬܐ ܘܩܪܒܘ ܠܗ ܗܝ ܝܕܥܬܐ ܘܬܘܕܝܬܐ ܕܕܒܚܝܢ ܗܘܘ ܡܢ ܩܕܡ. ܠܘ ܕܠܐ ܚܝܝܢ ܐܡܪ: ܐܠܐ ܕܠܝܬ ܠܗܘܢ ܦܘܠܚܢܐ ܐܚܪܢܐ ܐܠܐ ܐܢ ܗܘ ܫܪܪܐ ܕܝܕܥܘ ܘܦܠܛܘ ܡܢܗ. ܘܐܠܐ ܗܦܟܝܢ ܘܡܕܒܚܝܢ ܐܝܟ ܕܡܕܒܚܝܢ ܗܘܘ ܒܩܕܡܝܬܐ: ܒܥܠܕܒܒܐ ܗܘ ܠܗܘܢ ܢܘܪܐ ܕܐܬܥܒܕܘ ܐܢܘܢ ܕܗܘܘ ܠܗ ܣܩܘܒܠܐ ܠܢܦܫܗܘܢ: ܘܐܡܪܘ: ܕܡܟܝܠ ܠܡ ܕܚܛܝܢ ܠܢ: ܠܐ ܡܩܒܠ ܠܢ ܐܠܗܐ. ܚܕܐ ܓܝܪ ܘܡܐܐ ܫܘܝܐ ܗܝ. ܘܗܕܐ ܒܒܝܫܬܐ ܡܠܦܐ ܠܗܘܢ ܕܢܐܡܪܘܢ ܗܟܢܐ: ܕܠܐ ܢܬܘܒܘܢ ܘܢܚܘܢ ܐܝܟ ܕܐܠܦܗ ܠܐܣܟܪܝܘܛܐ ܘܚܢܩ ܢܦܫܗ. ܐܠܘ ܓܝܪ ܗܦܟ ܐܣܟܪܝܘܛܐ: ܡܩܒܠ ܗܘܐ ܠܗ ܡܪܢ ܡܛܠ ܕܠܐ ܨܒܐ ܒܡܘܬܐ ܕܐܢܫ: ܐܠܐ ܕܢܬܘܒ ܘܢܚܐ. ܘܐܝܬ ܐܢܫܐ ܕܐܡܪܝܢ: ܕܐܢ ܡܬܨܪܝܐ ܢܚܬܐ ܘܡܬܡܠܝܐ ܕܘܟܬܗ: ܝܕܝܥܐ ܗܝ. ܘܐܢ ܡܬܚܪܒܐ ܐܣܬܐ ܘܡܬܒܢܝܐ: ܕܘܟܬܗ ܗܘܝܐ ܝܕܝܥܐ. ܘܬܒܪܝܢ ܠܒܐ ܕܬܝܒܐ: ܟܕ ܟܠܢ ܬܝܒܐ ܚܢܢ. ܘܠܟܠܢ ܚܛܗܐ ܐܝܬ. ܒܦܘܪܫܢܐ ܕܝܢ ܢܡܠܠ ܥܡ ܟܠܢܫ: ܐܝܟܢܐ ܕܟܠܗܘܢ ܢܪܕܘܢ ܘܠܐ ܢܦܠ: ܘܐܝܟܢܐ

3 αβ add. ܠܗ [ܕܢܒܚܘܢ. — 4 β om. ܠܘܬ in textu, notat in margine. — 7 α ܡܕܒܚܝܢ. — 13 α ܡܩܒܠ et om. ܠܡ. — 15 α ܘܡܐܐ. — 16 α ܘܢܚܘܢ. — 20 α ܘܢܚܐ. — *Ib.* α ܐܢܫܐ. — 21 α ܐܘ. — 24 α ܒܗܘܢ.

[1] Ez. xxxiii, 11.

ܕܢܦܠ ܠܗ: ܢܚܘܐ ܠܗ ܬܝܒܘܬܐ ܘܢܩܝܡܝܗܝ. ܐܢ ܚܛܗܐ ܠܡ ܢܛܪ ܐܢܬ ܡܪܝܐ: ܡܢܘ ܡܫܟܚ ܠܡܩܡ܀

ܚܙܝܬ ܐܝܟ ܐܡܪܬ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ: ܕܐܢ ܚܛܗܐ ܩܕܡܝܐ ܢܛܪ ܡܪܝܐ ܠܐ ܡܫܟܚܝܢ ܒܢܝܢܫܐ ܠܡܩܡ ܩܕܡܘܗܝ. ܡܛܠ ܕܟܠܗܘܢ ܚܛܝܢ: ܘܒܬܝܒܘܬܐ ܗܘ ܡܬܩܒܠܝܢ. ܡܢܘ ܓܝܪ ܗܘܐ ܕܙܟܝܗ ܠܚܛܝܬܐ ܡܢ ܟܪܣܐ ܕܐܡܗ܀ ܐܠܐ ܚܛܝܢ ܒܢܝܢܫܐ ܘܬܝܒܝܢ ܘܗܝܕܝܢ ܙܟܝܢ ܠܗ ܠܚܛܝܬܐ: ܐܝܠܝܢ ܕܐܡܝܢܐܝܬ ܡܬܟܬܫܝܢ ܥܡܗ ܟܠ ܝܘܡ ܒܚܦܝܛܐܝܬ ܘܥܫܝܢܐܝܬ. ܠܐ ܕܝܢ ܡܬܕܡܐ ܒܪܢܫܐ ܬܝܒܐ ܠܢܚܬܐ ܐܘ ܠܫܘܪܐ: ܐܠܐ ܡܬܕܡܐ ܐܝܟ ܠܡܕܡ ܕܢܦܠ ܒܢܘܪܐ. ܡܛܠ ܕܒܢܝܢܫܐ ܒܪܘܚܐ ܗܘ ܡܥܡܕܝܢ ܕܐܝܬܘܗܝ ܚܘܒܐ ܘܫܪܪܐ. ܐܢ ܗܟܝܠ ܡܬܬܩܠܝܢ ܘܚܛܝܢ ܡܢ ܒܬܪ ܕܥܡܕܘ: ܟܡܐ ܕܬܝܒܝܢ: ܡܬܝܗܒ ܠܗܘܢ ܚܘܒܐ ܕܒܗ ܢܥܡܕܘܢ ܘܢܬܕܟܘܢ. ܘܐܝܟܢܐ ܕܡܐܢܐ ܕܕܗܒܐ ܐܘ ܕܣܐܡܐ: ܐܘ ܕܢܚܫܐ ܐܘ ܕܙܓܘܓܝܬܐ ܐܘ ܕܦܪܙܠܐ: ܐܡܬܝ ܕܡܬܬܒܪ ܘܡܦܠ ܠܗ ܐܘܡܢܐ ܢܦܠܐ ܒܢܘܪܐ ܢܦܠܬܐ ܡܚܕܬ ܠܗ ܘܡܬܬܩܢ ܐܣܟܡܗ: ܘܡܬܩܪܐ ܚܕܬܐ ܡܢ ܒܬܪ ܕܒܠܝܘ: ܟܡܐ ܡܟܝܠ ܐܠܗܐ ܕܐܘܡܢܗ ܗܘ ܕܐܘܡܢܐ: ܕܢܚܕܬ ܐܢܘܢ

is, qui stat, caveat sibi, ne cadat[1]; et ei, qui cecidit, paenitentiam ostendamus eumque erigamus. *Si peccata,* inquit, *observaveris Domine, quis poterit stare*[2]?

2. Vides, quomodo dixerit Spiritus sanctus : si peccata antiqua observaverit Dominus, non poterunt stare homines coram ipso. Nam omnes peccant et per paenitentiam recipiuntur. Quis enim est, qui peccatum devicerit ex utero matris suae[3]? Attamen homines peccant et paenitentiam agunt et tunc devincunt peccatum : illi, qui cum eo quotidie assidue et strenue et fortiter luctantur. Sed homo paenitens non est comparandus cum veste aut cum muro, sed comparari debet cum re aliqua, quae in ignem mittitur; quia homines in Spiritu baptizantur, qui est caritas et veritas. Si igitur labuntur et peccant, postquam baptizati sunt, quotiescumque paenitentiam egerint, dabitur eis caritas, qua baptizentur et purificentur. Et quemadmodum vas aureum aut argenteum aut aereum aut vitreum aut ferreum, si frangatur, artifex caducus in ignem caducum immittens renovat et refecta eius forma novum appellatur, postquam usu detritum erat : quanto magis Deus, qui est artifex artificis, renovabit eos igne, qui

αβ] — 7 α ܘܫܒܩܝܢ et om. ܩܕܡܘܗܝ. — 10 α ܐܢܫܐ ܒܢܝ. — 12 α ܒܥܡܗ. — 16 β dilectio *veritatis* ܕܫܪܪܐ. — 20 β ܕܣܐܡܐ.

[1] I Cor. x, 12. — [2] Ps. cxxx, 3. — [3] Iob xiv, 4.

est caritas, et Spiritu suo, qui est veritas, et aqua sua, quae fides est? Si autem baptizamur et haec in nobis desunt, ad iudicium et condemnationem baptizamur. Attamen decet nos baptizari et acquirere caritatem et veritatem et fidem. Si autem, postquam baptizati sumus, labimur et paenitentiam agimus, caritas Iesu, quae est ignis vivus, detergit maculam et lepram nostram et nos concipit et regenerat et nos intingit ut antiquitus. Sed ne sigillum quidem, quod nobis sacerdotes contulerunt, praeterit usque ad obitum nostrum. Die autem obitus, sicut quis inventus erit, assumetur; et si usque ad obitum in peccato ambulavit, etiam signum, quod ei sacerdotes contulerunt, delet dominus ovium ab ipso, et manet nudus. *Qui habet,* ait, *dabitur ei et adiicietur ei; et, qui non habet* — opera scilicet iustitiae, sed sigillum solum — *et id, quod habet,* inquit, *auferetur ab ipso*[1], ad instar eius, qui accepit pecuniam, qua negotiaretur, et abiens constrinxit eam reposuitque nec auxit eam. Et vocavit eum Dñs « servum malum » *qui nosti me exacturum esse a te* praecepta[2], quae tradidi tibi; foedus meum ore tuo suscepisti et proie-

ܒܚܘܒܐ ܕܝܫܘܥ ܗܝ: ܘܒܪܘܚܗ ܫܪܪܐ ܘܒܡܝܘܗܝ ܗܝܡܢܘܬܐ. ܐܢܕܝܢ ܡܥܡܕܝܢܢ ܡܥܡܘܕܝܬܐ: ܘܗܠܝܢ ܠܐ ܗܘܝܢ ܒܢ: ܠܕܝܢܐ ܗܘ ܘܠܚܝܒܘܬܐ ܡܥܡܕܝܢ ܝܬܢ. ܐܠܐ ܘܠܐ ܕܢܥܡܕ ܘܢܩܢܐ ܚܘܒܐ ܘܫܪܪܐ ܘܗܝܡܢܘܬܐ. ܐܢܕܝܢ ܐܬܥܡܕܢ ܡܢ ܒܬܪ ܕܢܦܠܝܢ ܘܬܝܒܝܢ: ܐܝܟ ܗܘ ܚܘܒܗ ܕܝܫܘܥ ܕܐܝܬܘܗܝ ܢܘܪܐ ܚܝܬܐ ܘܡܪܩ ܙܠܢ ܘܓܪܒܢ: ܘܡܒܛܢ ܘܝܠܕ ܠܢ ܡܢ ܕܪܝܫ: ܘܨܒܥ ܠܢ ܐܝܟ ܕܡܢ ܩܕܝܡ. ܐܦܠܐ ܚܬܡܐ ܕܝܗܒܘ ܠܢ ܟܗܢܐ: ܥܒܪ ܡܢܢ ܥܕܡܐ ܠܡܘܬܢ. ܒܝܘܡܐ ܕܝܢ ܡܘܬܢܐ: ܐܝܟ ܕܡܫܬܟܚ ܐܢܫ ܡܬܕܒܪ. ܘܐܢ ܗܠܟ ܠܗ ܒܚܛܝܬܐ ܥܕܡܐ ܠܡܘܬܢܐ: ܐܦ ܪܘܫܡܐ ܕܝܗܒܘ ܠܗ ܟܗܢܐ: ܡܥܒܪ ܠܗ ܡܪܐ ܥܢܐ ܡܢܗ ܘܦܐܫ ܥܪܛܠ. ܡܢ ܕܐܝܬ ܠܗ ܐܡܪ ܢܬܝܗܒ ܠܗ ܘܢܬܬܘܣܦ ܠܗ: ܘܡܢ ܕܠܝܬ ܠܗ ܐܡܪ ܥܒܕܐ ܕܟܐܢܘܬܐ: ܐܠܐ ܗܘ ܚܬܡܐ ܒܠܚܘܕܘܗܝ. ܐܦ ܗܘ ܐܡܪ ܕܐܝܬ ܠܗ ܢܫܬܩܠ ܡܢܗ: ܐܝܟ ܗܘ ܕܢܣܒ ܟܣܦܐ ܕܢܬܬܓܪ ܒܗ: ܘܐܙܠ ܨܪܗ ܘܣܡܗ ܘܠܐ ܐܘܣܦ ܥܠܘܗܝ. ܘܩܪܝܗ ܡܪܢ ܥܒܕܐ ܒܝܫܐ. ܕܝܕܥ ܗܘܝܬ ܠܝ ܕܐܬܒܥ ܐܢܐ ܒܦܘܩܕܢܐ ܕܐܫܠܡܬ ܠܟ: ܩܝܡܝ ܩܒܠܬ ܒܦܘܡܟ: ܘܫܕܝܬ

αβ] — 2 α ܡܥ ܕܡܥܡܕܝܢ ܕܝ ܠܐ. — 3 α ܗܘܝܢ. — 4 α ܡܥܡܕܝܢ. — 6 α ܕܝ ܠܐ. — 8 α ܘܬܝܒܝܢ. —10 α ܘܨܒܥܬܢ. — 16 β ܠܗ. — 22 α ܨܪܗ.

[1] Matth. xxv, 29. — [2] Luc. xix, 23.

ܢܡܘܣܝ ܠܒܣܬܪܟ: ܘܐܬܚܬܡܬ ܒܝ ܒܫܡܝ: ܘܥܒܪܬ ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܦܘܩܕܢܝ. ܘܒܥܝܬ ܡܢܟ ܐܢܐ ܘܫܠܝܚܝ ܟܠܝܘܡ: ܘܠܐ ܬܒܬ. ܚܠܦ ܐܠܗܐ ܐܡܪ ܒܥܝܢܢ ܡܢܟܘܢ ܐܬܪܥܘ ܠܐܠܗܐ. ܫܩܘܠܘ ܐܡܪ ܡܢܗ ܗܘ ܟܣܦܐ: ܗܢܘ ܕܝܢ ܗܘ ܛܒܥܐ: ܘܗܒܘ ܠܗܘ ܕܢܛܪ ܡܠܝ: ܘܠܥܒܕܐ ܐܡܪ ܒܝܫܐ ܫܕܐܘܗܝ ܠܚܫܘܟܐ ܘܠܚܘܪܩ ܫܢܐ. ܚܙܝܬ ܕܩܐܡ ܗܘ ܛܒܥܐ ܕܡܥܡܘܕܝܬܐ ܐܦ ܥܠ ܥܘܠܐ ܥܕܡܐ ܠܡܘܬܐ. ܡܛܠ ܕܝܫܘܥ ܗܘܐ ܡܣܟܐ ܠܚܛܝܐ ܕܢܬܦܢܘܢ ܘܢܩܒܠ ܐܢܘܢ ܐܝܟ ܕܐܡܪ: ܕܚܕܘܬܐ ܬܗܘܐ ܒܫܡܝܐ ܥܠ ܚܕ ܚܛܝܐ ܕܬܐܒ ܝܬܝܪ ܡܢ ܬܫܥܝܢ ܘܬܫܥܐ ܙܕܝܩܝܢ ܕܠܐ ܣܢܝܩܝܢ ܥܠ ܬܝܒܘܬܐ܀

ܗܟܝܠ ܗܘܟܠ ܡܬܪܐܝܢ ܦܪܘܫܐܝܬ ܠܚܠܝܡܐ ܕܠܐ ܢܬܪܦܘܢ ܘܠܟܪܝܗܐ ܐܝܟ ܕܢܬܚܠܡܘܢ ܘܢܬܐܣܘܢ ܘܢܩܘܡܘܢ ܘܠܐ ܢܦܠܘܢ.

ܗܟܢܐ ܬܘܒ ܡܬܦܩܕ ܠܙܘܘܓܐ: ܕܐܢ ܟܦܢ ܒܥܠܕܒܒܟ ܐܘܟܠܝܗܝ: ܘܐܢ ܨܗܐ ܐܫܩܝܗܝ. ܘܟܕ ܗܟܢܐ ܬܥܒܕ: ܐܝܬ ܗܘ ܡܘܬܪ ܐܝܬ ܩܕܡ ܡܪܢ: ܘܗܘ ܐܠܐ ܬܐܒ ܡܩܫܐ ܠܗ. ܓܡܝܪܐ ܕܝܢ ܠܝܬ ܠܗܘܢ ܒܥܠܕܒܒܐ: ܐܠܐ ܐܢ ܣܛܢܐ ܒܠܚܘܕ: ܐܦܠܐ ܡܕܡ ܩܢܝܢ. ܠܐ ܗܐ ܓܠܝܐ ܗܠܝܢ ܕܠܙܘܘܓܐ ܗܘ ܐܡܝܪܢ.

cisti post te legem meam et in nomine meo signatus es et transgressus es omnia mandata mea. Et obsecravi te ego et apostoli mei quotidie, nec conversus es. (*Pro Deo,* inquit *obsecramus vos : reconciliamini Deo*[1].) *Auferte,* ait, *ab ipso pecuniam,* hoc est, sigillum, *et date ei*[2], qui custodit verba mea. *Et servum,* inquit, *malum proiicite in tenebras et in stridorem dentium*[3]. Vides sigillum baptismale etiam in iniquis permanere usque ad obitum, quia Iesus expectabat peccatores, ut converterentur eosque reciperet, sicut dixit : *Gaudium erit in caelo de uno peccatore paenitentiam agente magis, quam de nonaginta novem iustis, qui non indigent paenitentia*[4].

3. Igitur cum discretione hortemur sanos, ne deficiant, et infirmos, ut convalescant et sanentur et surgant nec decidant[5].

4. Item matrimonio sic praescribitur : *Si esurit inimicus tuus, ciba eum; et si sitit, pota eum*[6]. Et si sic feceris, proficies coram Dño; et is, nisi conversus erit, obdurabitur. Perfecti autem inimicos nullos habent, nisi Satanam solum, nec quidquam possident. Nonne liquet haec matrimonio dicta

αβ] — 1 α *verba mea* ܡܠܝ [ܢܡܘܣܝ. — 2 β ܐܬܪܥܘ. — 4 α ܠܐܠܗܐ ܚܠܦ. — 6 α ܗ [ܕܝܢ ܗܘ. — *Ib.* β ܘܗܒܘ. — 14 α ܘܬܫܥܐ ܘܬܫܥܝܢ. — 20 β om. ܬܘܒ. — 26 α om. ܗܘ.

[1] II Cor. v, 20. — [2] Luc. xix, 24. — [3] Matth. xxv, 30. — [4] Luc. xv, 7. — [5] I Cor. x, 12. — [6] Rom. xii, 20.

esse, qui bonorum suorum gratia praevaricantur et habent cibum superfluum, quo cibent inimicos suos?

5. Item, *si asinus,* inquit, *adversarii tui succumbit sub onere suo, eleva cum eo; et si bos eius aberrat et, si quam rem perditam conspexeris de substantia eius, collige eam*[1]. Et haec facientes eritis mihi viri iusti et sancti. Sic enim benefacit iustitia cuique sibi malum inferenti, sicut ipsa sibi ab omnibus benefieri vult, etiam ab his, quibus praevaricatione commissa ipsa malefecit. Nam et ipsa avertitur a malo et benefacit malefacienti. Hac in re alius alio maior est: is, qui miseretur inimici sui et rem eius errantem colligit et ei reconciliatur, et is, qui nec substantiam eius colligit nec ei nocet nocendo; qui autem neque benefacit neque malefacit, melior est illo, qui damna mala infert. Et is, qui damna mala infert, leviora tormenta subibit, quam is, qui occidendo occidit eum. Ex his autem omnibus iustus is est, qui ei benefacit eique reconciliatur. Omnes quoque isti retributionem accipiunt iuxta opera sua, sive bonum, sive malum[2].

6. Item, si quis irascendo irascitur, levius est delictum eius, quam

ܕܗܢܘܢ ܐܝܟ ܕܡܣܟܠܐ ܕܛܝܒܘܬܗܘܢ ܡܬܥܒܪܝܢ: ܘܐܝܬ ܠܗܘܢ ܗܘ ܐܝܬ ܣܒܥܐ ܕܡܣܬܪܩܐ ܕܢܬܠܘܢ ܠܒܥܠܕܒܒܝܗܘܢ܀ ܬܘܒ ܐܡܪ ܐܢ ܕܝܢ ܚܡܪܗ ܕܒܥܠܕܒܒܟ ܐܬܢܐ ܛܥܢܗ ܐܩܝܡ ܥܡܗ. ܘܐܢ ܬܘܪܗ ܛܥܐ ܘܐܢ ܚܙܝܬ ܡܕܡ ܕܐܒܝܕ ܡܢ ܩܢܝܢܗ ܟܢܫܝܗܝ. ܘܟܕ ܗܠܝܢ ܥܒܕܝܬܘܢ ܐܢܫܐ ܟܐܢܐ ܘܩܕܝܫܐ ܬܗܘܘܢ ܠܝ. ܗܟܢܐ ܓܝܪ ܡܛܝܒܐ ܟܐܢܘܬܐ ܠܟܠ ܕܡܒܐܫ ܠܗ. ܐܝܟ ܕܗܝ ܨܒܝܐ ܕܢܛܝܒܘܢ ܠܗ ܐܦ ܠܐܝܠܝܢ ܕܐܬܥܘܠܬ ܘܐܒܐܫܬ ܠܗܘܢ. ܐܦ ܗܝ ܐܬܦܢܝܬ ܡܢ ܒܝܫܬܐ ܘܡܛܝܒܐ ܠܡܢ ܕܡܒܐܫ. ܘܒܗܠܝܢ ܐܝܬ ܕܪܒ ܚܒܪܐ ܡܢ ܚܒܪܐ. ܗܘ ܕܡܪܚܡ ܥܠ ܒܥܠܕܒܒܗ ܘܡܟܢܫ ܩܢܝܢܗ ܡܐ ܕܛܥܐ ܘܡܬܪܥܐ ܠܗ: ܘܗܘ ܕܠܐ ܩܢܝܢܗ ܡܟܢܫ ܘܠܐ ܡܒܐܫ ܡܒܐܫ ܠܗ: ܗܢܘ ܕܝܢ ܕܠܐ ܡܛܐܒ ܠܗ ܘܠܐ ܡܒܐܫ ܠܗ. ܡܝܬܪ ܗܘ ܡܢ ܗܘ ܕܢܙܩܐ ܒܠܗܘܢ ܚܣܝܪܘܬܐ ܒܝܫܬܐ. ܘܗܘ ܕܢܙܩܐ ܒܠܗܘܢ ܚܣܝܪܘܬܐ ܒܝܫܬܐ: ܩܠܝܠ ܗܘ ܬܫܢܝܩܗ ܡܢ ܗܘ ܕܩܛܠ ܠܗ ܡܩܛܠ. ܡܢ ܟܠܗܘܢ ܕܝܢ ܗܢܘ ܕܡܛܐܒ ܠܗ ܘܡܬܪܥܐ ܠܗ ܗܘܐ ܟܐܢܐ. ܐܦ ܗܠܝܢ: ܟܠܗܘܢ ܐܝܟ ܥܒܕܝܗܘܢ ܡܬܦܪܥܝܢ: ܐܢ ܛܒܐ ܘܐܢ ܒܝܫܐ܀

ܬܘܒ ܐܢܫ ܕܪܓܙ ܡܪܓܙ ܩܠܝܠܐ ܗܝ ܣܟܠܘܬܗ ܡܢ ܕܗܘ ܕܡܚܒܠ ܡܚܒܠܐ ܠܐܢܫ.

αβ] — 3 α ܕܡܣܪܩܐ. — 25 β ܬܘܒ. — *Ib.* β om. ܗܝ.

[1] Ex. XXIII, 4 sqq. Deut. XXII, 1 sqq. — [2] II Cor. V, 10.

ܘܗܘ ܕܡܚܐ ܡܡܚܐ ܠܚܒܪܐ ܥܫܝܢ ܗܢܘܢ ܬܫܢܝܩܘܗܝ ܡܢ ܗܘ ܕܩܛܠ ܠܗ ܡܩܛܠ. ܘܗܘ ܕܪܓܙ ܥܠ ܡܢ ܕܐܣܟܠ ܒܗ ܘܡܬܪܥܐ ܠܗ ܡܥܪܒܝ ܫܡܫܐ: ܠܐ ܚܛܐ ܐܝܟ ܗܘ ܕܪܓܙ ܥܠ ܡܢ ܕܚܛܐ ܒܗ ܘܠܐ ܡܬܪܥܐ ܠܗ ܡܥܪܒܝ ܫܡܫܐ. ܐܢ ܪܓܙܝܢ ܐܢܬܘܢ ܟܕ ܠܐ ܬܚܛܘܢ. ܗܢܘ ܕܝܢ ܠܐ ܫܠܝܛ ܠܟܐܢܐ ܠܡܪܓܙ: ܐܠܐ ܕܢܟܒܘܫ ܚܡܬܗ ܘܢܣܝܒܪ ܠܡܢ ܕܡܒܐܫ ܠܗ ܘܐܠܨ ܠܗ ܩܠܝܠ: ܘܒܪܚܡܘܬܐ ܢܦܪܘܩ ܡܢ ܠܘܬܗ. ܘܗܘ ܕܠܐ ܡܬܪܥܐ ܡܢ ܪܡܫܐ: ܘܠܐ ܡܒܐܫ ܠܒܥܠܕܒܒܗ: ܫܦܝܪ ܗܘ ܡܢ ܗܘ ܕܠܐ ܡܬܪܥܐ ܠܗ ܘܡܒܐܫ ܠܗ. ܘܗܘ ܕܡܒܐܫ ܠܗ ܘܠܐ ܡܬܪܥܐ ܠܗ: ܥܫܝܢ ܗܘ ܡܘܬܗ ܡܢ ܗܘ ܕܠܐ ܡܬܪܥܐ ܠܗ ܘܩܛܠ ܠܗ. ܟܠܗܘܢ ܕܝܢ ܡܢ ܟܐܢܘܬܐ ܦܪܝܩܝܢ. ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܬܪܝܢ ܚܝܒܝ ܡܘܬܐ: ܗܘ ܕܡܒܐܫ ܠܗ ܐܘ ܡܚܐ ܠܗ ܐܘ ܠܛܐ ܠܗ ܘܗܘ ܕܩܛܠ ܠܗ. ܬܫܢܝܩܘܗܝ ܕܝܢ ܕܩܛܘܠܐ ܒܝܫ ܗܘ. ܐܢ ܬܘܒܘ ܕܝܢ ܟܠܗܘܢ ܚܝܝܢ. ܘܐܢ ܪܕܝܢ ܒܬܪ ܦܘܩܕܢܐ ܪܘܪܒܐ: ܐܦ ܡܬܝܪܝܢ ܪܕܝܢ ܘܡܫܬܡܠܝܢ܀

ܘܐܝܢܐ ܕܦܫܝܛܐܝܬ ܠܟܠ ܡܢ ܕܣܢܝܩ ܘܠܐ ܡܥܩܒ ܡܢ ܫܘܐ ܘܡܢ ܠܐ ܫܘܐ:

illius, qui alium percutiendo percutit. Et si quis alium percutiendo percusserit, leviora tormenta subibit, quam is, qui eum occidendo occidit. Et si quis irascitur delinquenti in se eique ante solis occasum reconciliatur, non tam peccat, quam is, qui irascitur peccanti in se, nec ei solis occasu reconciliatur. *Si irascamini,* inquit, *nolite peccare*[1]; id est, iusto non licet irasci, sed iram suam comprimere debet et sustinere eum, qui sibi malefecit, et sibi paululum vim inferre et ab eo cum amicitia discedere. Et is, qui inde a vespera non reconciliatur, nec malum infert adversario suo, melior est, quam is, qui ei non reconciliatur eique malum infert. Et is, qui ei malefecerit, nec ipsi reconciliatus fuerit, leviorem mortem subibit, quam is, qui non reconciliatur ei eumque occidit. Omnes tamen labuntur a iustitia. Duo quidem isti mortis rei sunt : qui ei malefacit aut eum percutit aut ei maledicit, et is, qui eum occidit; cruciatus autem homicidae pessimus est. Si autem paenitentiam egerint, omnes vivent; et si mandata magna sectati fuerint, etiam proficiendo proficient et perficientur.

7. Et is, qui simpliciter dat cuique indigenti, nec quaerit, quis sit dignus

αβ] — 21 α *durior* ܒܝܫ [ܩܫܐ. — 26 α om. ܫܘܐ 2°.

[1] Eph. IV, 26.

et quis indignus, maior est caritas eius, quam illius, qui eligit et singulis quibusdam dat. Is enim, qui dat indigentibus, bonis et malis, Dño similis est; sicut [is] solem suum oriri facit et pluviam suam demittit super iustos et iniustos et super bonos et malos[1] : is similiter oriri facit caritatem suam super bonos et malos et super iustos et iniustos; sicut porro misit Dñs servos suos praecepitque eis : *Convocate omnes homines, bonos et malos et induant vestes nuptiales et repleatur eis domus mea*[2]. Is autem, qui super singulos quosdam oriri facit caritatem suam, melior est, quam is, qui nullius miseretur. Et qui nullius miseretur et nemini malefacit, melior est illo, qui malefacit et diripit et iniuriam infert. Et is, qui malefacit et expilat et iniuriam infert, leviorem mortem subibit, quam is, qui homicidium committit. Is autem, qui nemini malefacit et cuique benefacit, iustus est, perfectis posterior; et si se exinanierit et sanctificaverit, cito perficietur. Qui autem omnium miseretur, bonorum et malorum : hic « benedictus » est, multo maior illo benedicto[3], qui bonorum tantum miseretur. Et is, qui se humiliat coram bonis et malis, eosque meliores se aestimat[4], hic

ܪܒ ܗܘ ܚܘܒܗ ܡܢ ܕܗܘ ܕܡܓܒܐ ܘܝܗܒ ܠܚܕ ܐܢܫ. ܗܘ ܓܝܪ ܕܝܗܒ ܠܡܣܟܢܐ ܛܒܐ ܘܒܝܫܐ ܠܡܪܢ ܕܡܐ. ܐܝܟ ܕܡܕܢܚ ܫܡܫܗ ܘܡܚܬ ܡܛܪܗ ܥܠ ܟܐܢܐ ܘܥܠ ܥܘܠܐ ܘܥܠ ܛܒܐ ܘܥܠ ܒܝܫܐ: ܗܟܢܐ ܡܕܢܚ ܗܘ ܚܘܒܗ ܥܠ ܛܒܐ ܘܥܠ ܒܝܫܐ ܘܥܠ ܟܐܢܐ ܘܥܠ ܥܘܠܐ. ܐܝܟ ܕܫܕܪ ܠܗܘܢ ܠܥܒܕܘܗܝ ܡܪܢ ܘܦܩܕ ܐܢܘܢ: ܕܩܪܘ ܠܟܠܗܘܢ ܠܛܒܐ ܘܠܒܝܫܐ: ܘܢܠܒܫܘܢ ܢܚܬܐ ܕܡܫܬܘܬܐ ܘܢܬܡܠܐ ܒܗܘܢ ܒܝܬܝ. ܗܘ ܕܝܢ ܕܥܠ ܐܢܫ ܐܢܫ ܡܕܢܚ ܚܘܒܗ: ܡܝܬܪ ܗܘ ܡܢ ܗܘ ܕܐܦܠܐ ܥܠ ܐܢܫ ܡܪܚܡ. ܘܗܘ ܕܠܐ ܡܬܪܚܡ ܥܠ ܐܢܫ ܘܠܐ ܡܒܐܫ ܠܐܢܫ: ܡܝܬܪ ܗܘ ܡܢ ܗܘ ܕܡܒܐܫ ܘܒܐܙ ܘܛܠܡ. ܘܗܘ ܕܡܒܐܫ ܘܒܐܙ ܘܛܠܡ: ܩܠܝܠ ܗܘ ܡܘܬܗ ܡܢ ܗܘ ܕܩܛܠ. ܗܘ ܕܝܢ ܕܠܐ ܡܒܐܫ ܠܐܢܫ: ܘܡܛܐܒ ܠܟܠܢܫ: ܗܘܐ ܟܐܢܐ ܕܒܬܪ ܓܡܝܪܐ. ܘܐܢ ܡܣܬܪܩ ܘܡܬܩܕܫ ܥܓܠ ܡܬܓܡܪ. ܡܢ ܕܝܢ ܕܡܬܪܚܡ ܥܠ ܟܠܢܫ: ܥܠ ܛܒܐ ܘܥܠ ܒܝܫܐ: ܗܢܘ ܒܪܝܟܐ: ܕܝܬܝܪ ܪܒ ܡܢ ܗܘ ܒܪܝܟܐ ܕܥܠ ܛܒܐ ܗܘ ܒܠܚܘܕ ܡܬܪܚܡ. ܘܗܘ ܕܡܬܡܟܟ ܩܕܡ ܛܒܐ ܘܒܝܫܐ: ܘܚܫܒ ܠܗܘܢ ܐܝܟ ܕܡܝܬܪܝܢ ܡܢܗ: ܗܢܘ

αβ] — 1 β ܗܘ [ܕܗܘ. — 13 α ܠܐ ܕܐܦ. — 22 α ܐܢܫ ܥܠ. — 23 β ܘܗܢܘ.

[1] Matth. v, 45. — [2] Luc. xiv, 23. Apodosis enuntiati deest. — [3] Matth. xxv, 34. — [4] Phil. ii, 3.

ܓܒܪܐ ܕܪܒ ܒܪܘܚܐ ܦܪܩܠܛܐ: ܝܬܝܪ ܡܢ ܗܘ ܕܡܬܡܟܟ ܩܕܡ ܛܒܐ ܘܒܝܫܐ ܘܠܐ ܚܫܒ ܠܗܘܢ ܐܝܟ ܕܡܝܬܪܝܢ ܡܢܗ܀

ܛܘܒܝܗܘܢ ܕܝܢ ܠܡܪܚܡܢܐ ܕܡܬܪܚܡܝܢ ܘܫܒܩܝܢ ܠܟܠܢܫ ܕܡܣܟܠ ܒܗܘܢ ܕܠܗܘܢ ܗܘܝܢ ܪ̈ܚܡܐ ܡܢ ܠܘܬ ܐܠܗܐ. ܡܛܠ ܕܚܛܝܐ ܚܢܢ: ܘܐܢ ܫܒܩܝܢܢ ܠܡܢ ܕܐܣܟܠ ܠܢ: ܫܒܩ ܠܢ ܡܪܢ ܕܐܣܟܠܢ ܒܗ. ܐܦ ܛܥܡܝܢ ܡܘܬܐ ܚܢܢ ܚܛܝܐ ܡܛܠ ܣܟܠܘܬܐ ܘܒܨܝܪܘܬܐ ܕܐܝܬ ܠܢ: ܐܠܐ ܡܬܢܚܡܝܢ ܒܝܘܡܗ ܕܡܪܢ. ܡܘܬܐ ܓܝܪ ܚܛܗ̈ܐ ܐܢܘܢ ܣܟܠܘܬܐ ܘܒܨܝܪܘܬܐ. ܗܘ ܓܝܪ ܕܢܫܠܚ ܐܢܫ ܦܓܪܐ ܐܚܪܢܐ ܗܘ ܘܕܢܛܥܡ ܡܘܬܐ ܐܚܪܢܐ ܗܘ. ܒܝܘܡܐ ܕܬܥܒܪ ܥܠ ܡܠܬܝ ܡܘܬܐ ܬܛܥܡ: ܐܡܪ ܠܗ ܠܐܕܡ ܒܪܘܝܗ: ܗܢܘ ܕܝܢ ܒܝܘܡܐ ܕܡܣܟܠ ܐܢܬ ܗܘܝܐ ܠܟ ܡܚܫܒܬܐ ܒܝܫܬܐ: ܘܒܝܘܡܐ ܕܥܒܪ ܐܢܬ ܥܠ ܡܠܬܝ ܡܣܓܝܐ ܣܓܝܐ ܘܡܐܬ ܐܢܬ. ܦܓܪܐ ܓܝܪ ܫܠܚ ܐܕܡ ܒܗ ܡܠܬܐ ܕܥܠܘ ܕܛܥܡ ܡܘܬܐ. ܐܡܪ ܠܗ ܓܝܪ ܐܠܗܐ: ܡܛܠ ܕܡܪܡܪ ܡܠܬܐ ܦܘܡܗ: ܕܡܗܦܟܘ ܐܗܦܟܝܟ ܠܐܪܥܐ ܕܐܬܢܣܒܬ ܡܢܗ: ܒܗ ܘܐܡܪ ܠܗ: ܕܡܢ ܥܦܪܐ ܐܢܬ ܘܠܥܦܪܐ ܬܗܦܘܟ. ܘܐܢ ܬܬܘܒ ܬܚܐ ܘܬܬܢܚܡ ܒܡܠܬܝ ܐܝܟ ܡܪܢ. ܘܠܐ

vir magnus est per Spiritum Paraclitum, maior illo, qui se coram bonis malisque humiliat, nec eos meliores se reputat.

8. *Beati* vero *misericordes*, qui misericordia moti dimittunt omnibus delinquentibus in se, *quia misericordiam consequuntur*[1] a Deo. Nam nos peccatores sumus et, si dimiserimus peccantibus in nos, Dñs dimittet nobis, in quem peccavimus. Etiamsi nos, peccatores, ob delicta defectusque, quae in nobis sunt, mortem gustaverimus, Dñi die resuscitabimur. Mors enim sunt peccata et delicta et defectus. Aliud enim est exuere corpus et aliud est gustare mortem. *Die*, inquit, *quo verbum meum transgressus fueris, mortem gustabis*[2], dixit Adae Creator eius; id est, die, quo deliqueris, malam cogitationem contrahes et, quotiescunque transgressus eris verbum meum, multiplicatione multiplicabitur, et tu morieris. Adam enim exuit corpus ob verbum hoc morte gustata. Dixit enim ei Deus, quia exacerbavit verbum oris sui : *Revertendo reverti faciam te in terram, de qua sumptus es;* nam dixit ei : *De pulvere es et in pulverem reverteris*[3] et, si paenitentiam egeris, vives et verbo meo, velut Domini resuscitaberis. Non ut delicta nostra,

αβ] — 4 α ܛܘܒܝܗܘܢ. — 16 β ܐܡܪ. — 22 α ܡܠܬܐ. — 26 α ܬܬܚܐ.

[1] Matth. v, 7. — [2] Gen. ii, 17. — [3] Gen. iii, 19.

misericordia eius; nam si esset sicut delicta nostra, velut fumum perdidisset nos; verumtamen misertus nostri proposuit nobis praecepta illa minora, citeriora perfectione, die quo Adam verbum eius transgressus excidit a perfectione, ut ope illorum iusti essemus, usque ad diem, quo venit is, qui nobis in persona sua perfectionem ostendit. Dixit enim his, qui non possunt ferre virtutem : si vos non affligatis nec ad hanc perfectionem perveniatis : observate praecepta iustorum antiquorum et vivetis vitam aeternam. Qui enim virtute valet, sufferat et ingrediatur per portam angustam et perveniet ad hanc portionem optimam et praestantissimam; et si non relinquat omnia, quae habet, maneat in rebus suis et faciat, ut supra iustis praescribitur; et quisque iuxta opera sua retributionem accipiet; si iustus sit, manens cum filiis suis in haereditate sua, irreprehensibilis est die Dñi. Ceterum quisque iuxta opera sua retributionem accipiet.

Desinit sermo vigesimus quartus de paenitentia et remissione et de spe nullius tollenda et de misericordia et de modo, quo quis ope misericordiae et caritatis suae alio maior fit[1].

ܐܝܟ ܣܟܠܘܬܢ ܗܘܐ ܪ̈ܚܡܘܗܝ. ܐܠܘ ܓܝܪ ܐܝܟ ܣܟܠܘܬܢ ܕܝܠܢ: ܐܝܟ ܬܢܢܐ ܡܘܒܕ ܗܘܐ ܠܢ. ܐܠܐ ܐܬܪܚܡ ܥܠܝܢ: ܘܣܡ ܠܢ ܗܠܝܢ ܦܘܩܕ̈ܢܐ ܙܥܘܪ̈ܐ ܕܩܕܡ ܡܢ ܓܡܝܪܘܬܐ: ܒܝܘܡܐ ܕܥܒܪ ܐܕܡ ܥܠ ܡܠܬܗ ܘܢܦܠ ܡܢ ܓܡܝܪܘܬܐ: ܕܢܗܘܐ ܒܗܘܢ ܟܐܢܐ: ܥܕܡܐ ܠܝܘܡܐ ܕܐܬܐ ܗܘ ܕܚܘܝ ܠܢ ܓܡܝܪܘܬܐ ܒܩܢܘܡܗ. ܐܡܪ ܓܝܪ ܠܐܝܠܝܢ ܕܠܐ ܡܫܟܚܝܢ ܚܝܠܐ: ܕܐܠܐ ܬܬܟܪܝܘܢ ܐܢܬܘܢ ܬܬܥܢܘܢ ܘܠܐ ܬܡܛܘܢ ܠܗܕܐ ܓܡܝܪܘܬܐ: ܛܪܘ ܗܠܝܢ ܦܘܩܕ̈ܢܐ ܕܟܐܢ̈ܐ ܩܕܡܝ̈ܐ: ܘܬܚܘܢ ܐܢܬܘܢ ܚܝ̈ܐ ܕܠܥܠܡ. ܡܢ ܟܝܬ ܕܡܨܐ ܒܚܝܠܐ ܢܣܝܒܪ ܘܢܥܘܠ ܒܬܪܥܐ ܐܠܝܨܐ ܘܢܐܬܐ ܠܗܕܐ ܡܢܬܐ ܛܒܬܐ ܘܡܝܬܪܬܐ. ܘܐܢ ܠܐ ܫܒܩ ܟܠܡܕܡ ܕܐܝܬ ܠܗ ܢܩܘܐ ܒܩܢܝܢܘܗܝ ܕܝܠܗ ܗܘ: ܢܥܒܕ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ ܠܟܐܢ̈ܐ ܡܢ ܠܥܠ. ܘܟܠܢܫ ܐܝܟ ܥܒܕܘܗܝ ܡܬܦܪܥ. ܐܢ ܕܝܢ ܗܘܐ ܟܐܢܐ ܟܕ ܩܐܡ ܥܡ ܒܢܘܗܝ ܒܝܪܘܬܗ: ܕܠܐ ܪܫܝܢ ܗܘ ܒܝܘܡܗ ܕܡܪܢ: ܒܪܡ ܕܝܢ ܡܬܦܪܥ ܟܠܢܫ ܐܝܟ ܥܒܕܘܗܝ܀

ܫܠܡ ܡܐܡܪܐ ܕܥܣܪܝܢ ܘܕ ܕܥܠ ܬܝܒܘܬܐ ܘܥܠ ܫܘܒܩܢܐ ܘܥܠ ܗܘ ܕܠܐ ܢܦܣܘܩ ܣܒܪܐ ܕܐܢܫ ܘܥܠ ܡܪܚܡܢܘܬܐ ܘܐܝܟܢܐ ܡܬܪܒ ܚܒܪܐ ܡܢ ܚܒܪܐ ܒܡܪܚܡܢܘܬܗ ܘܒܚܘܒܗ܀

αβ] — 13 α ܕܡܨܐ ܠܟܝܬ. — 15 α ܟܠ ܡܕܡ. — 18 β ܐܢܫ. — 21 α ܐܢܫ ܟܠ. — 22 β desinit [ܫܠܡ.

[1] De notis, quas scriba codicis α fol. 260 in margine codicis adiecit, cfr. descriptionem eiusdem codicis in Introductione.

ܡܐܡܪܐ ܕܥܣܪܝܢ ܘܚܡܫܐ ܕܥܠ ܒܪܐ
ܩܠܐ ܕܐܠܗܐ ܘܕܣܛܢܐ

SERMO VIGESIMUS QUINTUS

DE VOCE DEI ET SATANAE

ܐܦ ܝܘܡܢ ܗܟܢ ܥܒܕ ܒܝܫܐ: ܠܡܢ ܕܦܫܝܛ ܘܨܒܐ ܕܢܣܬܪܩ ܘܢܬܩܕܫ ܡܢ ܐܪܥܐ: ܡܬܦܪܣ ܡܠܟ ܠܗ ܐܘ ܒܛܘܫܝܐ ܐܘ ܒܓܠܝܐ. ܘܡܛܠ ܕܦܫܝܛ ܗܘ ܡܢ ܚܪܝܦܘܬܐ ܘܡܢ ܝܕܥܬܐ ܕܗܘ ܥܠܡܐ ܥܠܝܐ: ܠܐ ܝܕܥ ܕܢܦܪܘܫ ܒܝܢ ܩܠܐ ܕܐܠܗܐ ܡܢ ܕܣܛܢܐ. ܘܡܛܥܐ ܠܗ ܒܝܫܐ ܒܡܠܟܐ ܣܓܝܐܐ ܘܒܢܟܝܠܘܬܐ ܡܠܟ ܠܗ: ܘܟܠ ܝܘܡܐ ܕܐܬܐ ܡܫܚܠܦ ܠܗ ܦܚܐ. ܘܐܢ ܝܕܥ ܠܗܘ ܢܦܠ ܠܐܚܪܢܐ. ܘܡܛܠ ܕܠܐ ܐܕܪܟ ܫܪܪܐ: ܒܚܕ ܡܢ ܐܣܟܡܝܢ: ܡܛܥܐ ܠܗ ܘܐܣܪ ܠܗ ܒܝܫܐ ܒܐܪܥܐ: ܘܣܒܪ ܠܗ ܗܘ ܐܝܟ ܕܗܘܐ ܒܫܡܝܐ ܐܣܝܪ. ܡܥܕܐ ܗܝ ܓܝܪ ܒܝܫܘܬܐ ܡܢ ܩܕܝܡ ܐܦ ܝܘܡܢ: ܕܒܦܪܨܘܦ ܫܦܝܪܘܬܐ ܕܡܬܚܙܝܐ ܠܐܕܡ ܘܠܒܢܘܗܝ ܠܬܚܬ ܡܢ ܪܘܡܐ ܠܗ ܢܚܬܘܢ܀ ܡܢ ܩܕܝܡ ܓܝܪ ܐܚܬܗ ܠܬܚܬ: ܘܙܥܘܪ

1. Hodie quoque sic facit Malignus ei, qui simplex est et se exinanire et sanctificare vult : machinatur et consilia ei dat sive clam sive palam et, quia simplex est saeculi sublimioris prudentia et scientia, nescit distinguere vocem Dei et Satanae. Et Malignus seducit eum consiliis multis et astute ei suadet et quotidie permutat eis laqueos et, si alium cognoverit, incidit in alios et, quia veritatem nulla ratione assecutus est, seducit eum et terrae adstringit et ille se caelo adstrictum esse opinatur. Solet enim malitia — olim et hodie quoque — sub specie apparenter honesta Adamum filiosque eius de excelso proiicere.

2. Olim enim deposuit Adam, et pauci

α]

quidam ascenderunt in locum, unde descendit, donec eos Dñs gratia sua vocavit et obedientes sibi persuasionibus plurimis convertit. Omnes enim modos tentavit Deus hominum gratia, ut salvi fierent; et omnibus mysteriis locutus est Deus veritatem et eam per prophetas omnibus parabolis olim praefiguravit [1], usque ad diem, quo reconciliari voluit hominibus. Et misit Filium suum, qui reconciliavit caelestes et terrestres et ostendit perfectionem et sanctitatem creaturae Adam pristinae manifeste in sua persona, sicut dixit: *Omnia ab initio renovata sunt per Jesum* [2]. Vides, neminem ostendisse manifeste, quomodo creatus fuerit Adam, nisi Jesum conversatione sua. Qui igitur ad paradisum ascendere vult, iuxta vias Dñi humiles, exinanitas, suaves, contemptasque ambulet, qui se omnibus benignum exhibuit et omnes humiliter monuit et adiuvit. Si quis enim cultum caelestem non exercet, non potest vacare a cultu terrae. Cum igitur vidisset [Deus] Adam talia diligere, permisit ei matrimonium inire et in hoc mundo, quem dilexit, iustum fieri et vivere nec omnino perire; et propter misericordiam suam fecit Dñs, ut, quamquam res has peccaminose concupivimus, in illis

ܢܬܢܝܚܘܢ ܗܠܝܢ ܠܕܘܟܬܐ ܕܢܦܠ ܡܢܗ: ܥܕܡܐ ܕܡܪܢ ܩܪܐ ܐܢܘܢ ܒܛܝܒܘܬܗ: ܘܒܦܝܣܐ ܣܓܝܐܐ ܐܦܝܣ ܐܢܘܢ ܠܡܫܡܥ ܕܢܫܬܡܥܘܢ ܠܗ. ܒܟܠ ܦܘܪܣܝܢ ܓܝܪ ܐܢܣܝ ܐܠܗܐ ܠܒܢܝܢܫܐ ܡܛܠ ܕܢܚܘܢ: ܘܒܟܠ ܐܪ̈ܙܝܢ ܡܠܠܗ ܐܠܗܐ ܠܫܪܪܐ: ܘܒܟܠ ܦܠܐܬ ܪܫܡܗ ܒܢܒܝܐ ܕܒܟܠܗܘܢ ܡܢ ܩܕܝܡ: ܥܕܡܐ ܠܝܘܡܐ ܕܨܒܐ ܐܠܗܐ ܕܢܬܪܥܐ ܠܗ ܠܒܢܝܢܫܐ: ܘܫܕܪ ܠܒܪܗ ܘܐܬܐ ܥܒܕ ܬܪܥܘܬܐ ܕܫܡܝܢܐ ܥܡ ܐܪܥܢܝܐ: ܘܚܘܝܗ ܠܓܡܝܪܘܬܐ ܘܠܩܕܝܫܘܬܐ ܕܒܪܝܬܗ ܕܐܕܡ ܩܕܡܝܐ ܒܓܠܝܐ ܒܦܪܨܘܦܗ: ܐܝܟܢܐ ܕܐܡܪ: ܕܟܠܡܕܡ ܡܢ ܪܫ ܐܬܚܕܬ ܒܝܫܘܥ. ܚܙܝ ܕܠܐ ܐܢܫ ܚܘܝ ܓܠܝܐܝܬ ܕܐܝܟ ܒܪܐ ܗܘܐ ܐܕܡ: ܐܠܐ ܐܢ ܝܫܘܥ ܒܕܘܒܪܘܗܝ. ܡܢ ܕܨܒܐ ܗܟܝܠ ܕܢܣܩ ܠܦܪܕܝܣܐ: ܢܗܠܟ ܐܝܟ ܗܠܟܬܗ ܕܡܪܢ ܡܟܝܟܬܐ ܘܡܣܬܪܩܬܐ ܘܒܣܝܡܬܐ ܘܫܝܛܬܐ: ܕܗܘܐ ܠܟܠ ܛܒܐ: ܘܡܟܝܟܐܝܬ ܐܪܬܝ ܠܟܠܢܫ ܘܥܕܪ ܐܢܘܢ. ܐܢ ܐܢܫ ܓܝܪ ܠܝܬ ܠܗ ܦܘܠܚܢܐ ܫܡܝܢܐ: ܠܐ ܡܫܟܚ ܕܢܬܒܛܠ ܡܢ ܦܘܠܚܢܐ ܕܐܪܥܐ. ܡܢ ܕܚܙܐ ܗܟܝܠ ܕܗܠܝܢ ܪܚܡ ܐܕܡ: ܐܦܣ ܠܗ ܕܢܙܘܓ ܘܢܗܘܐ ܒܗܝܢ ܒܗܢܐ ܥܠܡܐ ܕܪܚܡ ܘܢܚܐ ܘܠܐ ܢܐܒܕ ܟܠܗ ܟܠ ܟܠܗ. ܘܡܛܠ ܪܚܡܘܗܝ ܥܒܕ ܠܢ ܡܪܢ: ܕܐܦܢ ܗܠܝܢ ܡܕܡ ܕܒܚܛܝܬܐ ܪܓܝܢܢ:

α] —

[1] Hebr. I, 1. — [2] Eph. I, 10.

ܢܗܘܐ ܒܗ ܕܠܐ ܚܛܗܐ: ܐܢ ܢܗܘܐ ܟܐܢܐ܀
ܐܢ ܗܟܝܠ ܠܐ ܗܟܢ ܗܝ ܨܒܘܬܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪܬ ܗܘ ܕܡܢ ܩܕܝܡ: ܠܡܢܐ ܡܪܢ ܐܡܪ ܟܕ ܡܠܦ ܠܢ ܡܟܝܟܘܬܐ ܘܓܡܝܪܘܬܐ ܐܡܪ: ܕܐܢ ܐܢܫ ܠܐ ܡܬܦܪܫ ܡܢ ܟܠ ܕܐܝܬ ܒܐܪܥܐ: ܠܐ ܡܫܟܚ ܗܘܐ ܠܝ ܬܠܡܝܕܐ ܕܩܕܝܫܘܬܐ: ܐܠܐ ܡܢ ܕܦܠܚ ܐܪܥܐ ܒܟܐܢܘܬܐ: ܗܘܐ ܟܐܢܐ ܘܚܝܐ ܕܠܥܠܡ ܝܪܬ. ܐܠܐ ܠܐ ܗܘܐ ܓܡܝܪܐ܃ ܘܠܡܢܐ ܫܠܝܚܐ ܘܟܠܗܘܢ ܓܡܝܪܐ ܠܐ ܪܓܒܘ ܠܐܪܥܐ: ܘܠܐ ܪܗܛܘ ܒܥܠܡܐ ܘܠܐ ܐܙܕܘܓܘ܃ ܐܠܐ ܦܩܕ ܐܢܘܢ ܡܪܢ: ܕܝܕܥ ܗܘ ܐܒܘܟܘܢ ܕܡܬܒܥܝܐ ܠܟܘܢ ܣܝܒܪܬܐ ܘܟܣܘܝܐ. ܠܐ ܕܝܢ ܬܐܨܦܘܢ: ܡܛܠ ܕܐܢܐ ܐܡܪ ܐܢܐ ܠܟܐܢܐ ܕܦܠܚܝܢ ܒܐܪܥܐ ܡܬܪܣܝܢ ܠܟܘܢ ܘܡܠܒܫܝܢ ܠܟܘܢ: ܘܚܝܝܢ ܚܝܐ ܕܥܠܡܐ ܚܕܬܐ ܡܛܠܬܟܘܢ: ܘܝܗܒܝܢ ܠܟܘܢ ܗܢܘܢ ܡܢ ܥܡܠܗܘܢ ܟܕ ܠܐ ܡܥܠܝܒܝܢ ܠܐܢܫ. ܘܐܠܘ ܠܐ ܡܛܠܬܟܘܢ ܕܢܚܘܢ ܒܟܘܢ: ܐܢܐ ܡܡܛܪ ܗܘܝܬ ܠܟܘܢ ܡܢ ܫܡܝܐ ܣܝܒܪܬܐ ܘܟܣܘܝܐ. ܘܐܠܘ ܐܪܥܐ ܗܘܬ ܟܠܗ ܐܪܥܐ ܟܠܗ̇ ܓܡܝܪܘܬܐ ܘܩܕܝܫܘܬܐ: ܘܠܐ ܦܠܚܐ ܗܘܬ ܘܠܐ ܩܢܝܐ ܗܘܬ: ܙܠܝ ܗܘܝܬ ܠܟܠܗ ܕܠܐ ܥܡܠܐ ܐܝܟ ܕܡܢ ܩܕܝܡ. ܗܟܢܐ ܨܒܐ ܗܘܝܬ ܕܢܗܘܘܢ ܟܠܗܘܢ ܒܢܝ ܐܢܫܐ: ܘܐܕܡ ܐܒܘܟܘܢ ܐܝܬܝܟܘܢ ܠܗܢܐ ܥܡܠܐ. ܐܢܘ ܨܒܝܢ ܕܢܬܩܕܫܘܢ ܟܠܗܘܢ ܒܢܝܢܫܐ:

sine peccato versemur, si iusti simus.

3. Si ergo res non ita sit, ut eam olim fuisse dixi, cur dixit Dñs docens humilitatem et perfectionem : *Nisi quis separaverit se ab omnibus, quae in terra sunt*[1], non potest mihi discipulus sanctitatis fieri, sed is, qui terram iustitia colit, fit iustus et vitam aeternam haereditabit, attamen perfectus non erit ? Et curnam Apostoli et omnes perfecti non concupierunt terram nec in mundo currebant nec matrimonium inibant, sed Dñs praecepit eis : *Novit Pater vester vos opus habere* victu et vestitu[2] ? « Nolite autem solliciti esse, quia ego iustis praecepero, qui in terra operantur, et nutrient vos et vestient et vitam vivent saeculi novi vestri causa et ipsi vobis [eleemosynas] facient de labore suo, nemini malefacientes. Et nisi vestri gratia, ut per vos salvi fierent, ego vobis pluere fecissem de caelo victum vestitumque ; et si tota terra perfectionem sectata esset sanctitatemque, nec operaretur nec possideret, ego eam totam conservassem sine labore ut pridem. Sic volui, ut essent omnes homines ; et Adam, pater vester, perduxit vos ad hunc laborem. Si vero homines sanctificari voluissent, ego eis filios fecissem, sicut feci Adae

α] — 8 α ܘܝܪܬ. — 15 legendum puto ܘܡܬܪܣܝܢ. — 17 α om. videtur *eleemosynas* ܙܕܩܬܐ post ܗܢܘܢ.

[1] Luc. XIV, 33. — [2] Matth. VI, 32.

filiam ex ipso[1] sine matrimonio et concupiscentia, dummodo nemo obstaculum reprehensionemque apud me haberet. Si autem iusti sint et laborent in terra, nemini malum inferant et ita faciant egenis, sicut praecepi eis, et regnum haereditabunt, quamquam ad perfectionem non perveniunt ».

4. Etiam hodie seducit malignitas sub praetextu bono illos, qui sanctitatem et perfectionem quaerunt eosque ad fastum detinet, nec ad perfectionem perveniunt, quam Dñs ostendit eis. Dicente enim Dño : *humiliamini et separamini et sanctificamini a saeculo et coniugio et diligite omnes homines et sequimini me; nolite esse ex mundo, sicut nec ego fui ex eo nec laboravi in eo*[2], *sed sequimini me et estote perfecti*[3], venit Malignus et facit eos aspicere terrestria, ne caelestia respiciant et, quae sursum sunt, cogitent et vincant. Nisi enim eis terrestria ostenderet, non posset eos de perfectione deponere ; sed eos sub praetextu laboris iusti retinet, ut ipsis in labore iusto stantibus beneplacitum suum in eos perficiat, quamquam nequit omnia, sed aliquid tantum. Nam postquam renunciaverant et sanctificati sunt et caelestia contemplabantur,

ܐܢܐ ܠܟܝ ܗܘܝܬ ܠܗܘܢ ܒܢܝ̈ܐ ܐܝܟ ܕܠܒܪܬܐ ܕܐܦܩܬ ܡܢܗ: ܕܠܐ ܙܘܘܓܐ ܘܪܓܬܐ. ܟܕ ܠܐܢܫ ܥܠܬܐ ܘܡܟܣܢܘܬܐ ܠܘܬܝ ܠܐ ܢܗܘܐ ܠܘܬܝ. ܐܢ ܕܝܢ ܟܐܢܐ ܗܢܘܢ ܘܦܠܚܝܢ ܒܐܪܥܐ: ܠܐ ܢܒܐܫܘܢ ܠܐܢܫ: ܘܗܟܢܐ ܢܥܒܕܘܢ ܠܡܣ̈ܟܢܐ ܐܝܟ ܕܦܩܕܬ ܐܢܘܢ: ܘܡܠܟܘܬܐ ܢܐܪܬܘܢ: ܐܦܢ ܠܡܫܡܠܝܘܬܐ ܠܐ ܡܛܝܢ܀

ܐܦ ܝܘܡܢܐ ܒܥܠܬܐ ܫܦܝܪܬܐ ܡܛܥܝܐ ܒܝܫܘܬܐ ܠܗܠܝܢ ܐܠܝܢ ܕܒܥܝܢ ܩܕܝܫܘܬܐ ܘܡܫܡܠܝܘܬܐ. ܘܡܥܟܒܐ ܠܗܘܢ ܠܘܬ ܪܡܘܬܐ: ܘܠܐ ܡܛܝܢ ܠܡܫܡܠܝܘܬܐ: ܕܡܚܘܐ ܠܗܘܢ ܡܪܢ. ܟܕ ܐܡܪ ܡܪܢ: ܕܐܬܡܟܟܘ ܘܐܬܦܪܫܘ ܘܐܬܩܕܫܘ ܡܢ ܥܠܡܐ ܘܡܢ ܙܘܘܓܐ: ܘܐܚܒܘ ܠܟܠܗܘܢ ܒܢܝ̈ܢܫܐ ܘܬܘ ܒܬܪܝ: ܠܐ ܬܗܘܘܢ ܡܢ ܥܠܡܐ ܐܝܟ ܕܐܦ ܠܐ ܗܘܝܬ ܐܢܐ ܡܢܗ ܘܠܐ ܠܐܝܬ ܒܗ: ܐܠܐ ܬܘ ܒܬܪܝ ܘܗܘܘ ܓܡܝܪܝܢ: ܐܬܐ ܒܝܫܐ ܘܡܚܘܐ ܠܗܘܢ ܒܐܪ̈ܥܢܝܬܐ: ܕܠܐ ܢܚܘܪܘܢ ܒܫܡܝ̈ܢܝܬܐ: ܘܒܕܠܥܠ ܢܬܪܥܘܢ ܘܢܙܟܘܢ. ܐܠܘ ܠܐ ܚܘܝ ܐܢܘܢ ܒܐܪ̈ܥܢܝܬܐ: ܠܐ ܡܫܟܚܐ ܗܘܬ ܠܗܘܢ ܡܢ ܡܫܡܠܝܘܬܐ. ܐܠܐ ܒܥܠܬܐ ܠܗܘܢ ܒܥܠܬܐ ܕܥܡܠܐ ܕܟܐܢܘܬܐ: ܕܒܗ ܕܩܝܡܝܢ ܒܥܡܠܐ ܕܟܐܢܘܬܐ: ܢܥܒܕ ܒܗܘܢ ܨܒܝܢܗ: ܐܦܢ ܟܠ ܟܠܗ ܠܐ ܡܫܟܚ: ܒܪܡ ܒܨܝܪ ܡܢ ܒܬܪ. ܟܠ ܕܐܫܬܒܩܘ ܘܐܬܩܕܫܘ. ܘܚܪܘ ܒܫܡܝ̈ܢܝܬܐ: ܠܐ ܡܫܟܚܐ ܡܛܥܝܐ

α] —

[1] Agitur de Eva, quae e corpore Adae producta ad mentem auctoris filia eiusdem appellari potest. — [2] Ioh. xv, 19. — [3] Matth. xix, 21.

ܥܡܗܘܢ: ܡܛܠ ܕܥܒܪܝܢ ܠܗ ܠܥܠ: ܘܩܐܡ ܠܗ ܗܘ ܠܬܚܬ ܡܢܗܘܢ. ܡܛܠ ܕܠܐ ܫܠܝܛ ܗܘ ܕܢܥܒܪ ܪܩܝܥܐ: ܐܦܠܐ ܕܢܥܘܠ ܠܗܘ ܥܠܡܐ ܕܠܘܬ ܐܠܗܐ: ܐܝܟ ܕܥܒܪ ܪܥܝܢܗܘܢ ܕܝܠܗܘܢ ܘܣܠܩ ܥܕܡܐ ܠܐܘܪܫܠܡ ܕܠܥܠ ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ: ܕܗܘ ܢܕܒܪܢ ܠܥܠ ܡܢ ܡܘܬܐ. ܘܐܢܬܘܢ ܐܡܪ ܡܛܝܬܘܢ ܠܨܗܝܘܢ ܛܘܪܐ ܘܠܡܕܝܢܬܗ ܕܐܠܗܐ ܕܫܡܝܐ: ܠܘܬ ܡܫܪܝܬܐ ܕܡܠܐܟܐ: ܘܠܘܬ ܪܘܚܐ ܐܡܪ ܕܟܐܢܐ ܩܕܡܝܐ: ܕܒܟܐܢܘܬܐ ܫܟܒܘ: ܘܒܝܫܘܥ ܐܫܬܡܠܝܘ: ܘܥܠܘ ܠܦܪܕܝܣܐ ܪܘܚܢܝܐ܀

ܡܚܘܬܗ ܓܝܪ ܕܐܕܡ ܘܕܒܢܘܗܝ ܒܗܝܕܝܢ ܡܬܐܣܝܢ: ܐܡܬܝ ܕܠܗܘ ܦܪܕܝܣܐ ܕܢܦܩ ܡܢܗ ܐܒܘܗܘܢ ܥܐܠܝܢ ܒܪܘܚ. ܐܦ ܗܟܝܠ ܝܘܡܢ ܕܐܬܦܬܚܬ ܐܘܪܚܐ ܠܫܡܝܐ ܒܝܕ ܡܫܝܚܐ ܕܐܡܪ: ܫܒܘܩܘ ܟܠ ܡܕܡ ܕܡܬܚܙܐ ܘܕܠܥܠ ܐܬܪܥܘ ܘܠܐ ܕܥܠ ܐܪܥܐ: ܘܠܐ ܝܪܬܘܬܐ ܒܐܪܥܐ ܐܠܐ ܒܫܡܝܐ: ܘܗܐ ܙܟܝܬܘܢ: ܐܬܐ ܒܝܫܐ ܒܡܠܟܐ ܒܦܪܨܘܦ ܛܒܬܐ: ܗܠܝܢ ܕܠܟܐܢܐ ܗܘ ܒܠܚܘܕ ܦܩܕ ܡܪܢ ܘܡܛܥܐ ܠܗ ܠܓܡܝܪܐ ܘܐܡܪ ܗܟܢܐ: ܫܦܝܪ ܗܘ ܠܟ ܕܬܩܢܐ ܩܠܝܠ ܒܟܐܢܘܬܐ ܡܛܠ ܢܝܚܟ ܘܢܝܚ ܗܘܢ ܕܐܬܐ ܠܘܬܟ. ܘܒܝܬܐ ܠܟ ܒܡܕܝܢܬܐ ܕܡܬܪܘܚ ܩܠܝܠ: ܘܐܝܟ ܐܒܝܫܘܬܐ ܘܡܬܐܠܨܝܢ ܠܗ. ܘܙܕܩ ܠܟ ܩܠܝܠ

α] — 14 α ܐܣܘܪܝ. — 18 α ܘܠܐ [ܘܠܐ.

[1] Ioh. v, 24. — [2] Hebr. XII, 22 sq. — [3] Col. III, 2.

nequit certare cum eis, quia ei sursum transcendunt ipse vero infra eos manet; quoniam ipsi non licet firmamentum pervadere, nec in saeculum illud, quod apud Deum est, ingredi, sicut mens ipsorum pervadit et ascendit usque ad Jerusalem supernam, sicut scriptum est eum nos de morte assumere [1] : *Et vos*, inquit, *pervenistis ad Sion montem et ad civitatem Dei caelestem, ad castra angelorum et ad spiritus,* inquit, *iustorum antiquorum, qui in iustitia obdormierunt et in Jesu perfecti sunt et in paradisum spiritualem ingressi sunt*[2].

5. Plagae enim Adae filiorumque eius tunc sanantur, quando spiritu in illum intrant paradisum, unde pater eorum egressus est. Igitur etiam hodie, propalata ad caelum via per Christum, qui dixit : Relinquite omnia visibilia et, *quae sursum sunt*, *cogitate*, *non quae super terram*[3] nec haereditetis in terra, sed in caelo, et ecce vincetis : venit Malignus et consilia proponit sub specie bonorum [operum], quae solis iustis praecepit Dñs, et perfecto illudens sic ait : « Bonum est, inquit, possidere te paululum cum iustitia pro tua eiusque commoditate, qui ad te venerit. Habitaculum tibi paulo abundantius con-

strue, ut venientes ad te peregrini subleventur, et planta tibi parvam plantationem et tibi hortum olitorium fac, pro sanis et infirmis. » Et sub praetextu commoditatis afflictorum machinatur et deponit eum de praecepto sublimi perfectis dicente : *Ne animae quidem tuae curam habeas*[1], et de illo mandato : *Quae sursum sunt, cogitate et non, quae sunt in terra*[2]. Et quoniam non discernit vocem a voce, nec intelligit haec iustis terrenis praecepta esse, non ei, qui caelestia quaerit, perfectionemque : Malignus eum ad iustitiam flectit, perfectione inferiorem, nec is percipit; et dum putat se perfectionem sectari, infra eam invenitur. Ideo dixit Apostolus : Nisi noverim et distinxerim virtutem vocis, quae me in caelum vocat evehitque, a voce, quae in terra deponit me : ero aerem verberans, velut vir, qui nescit, quare currat. *Ego*, inquit, *ita curro, sicut vir, qui scit distinguere vocem a voce*[3]. Igitur adulando ita eum decipit Malignus facitque reverti in terram, sicut Adam. Quamquam enim haec honesta sunt, ea tamen gentes terra iustae quaerunt[4]; caelestibus enim contraria sunt haec. Omnia enim ista, eleemosynam et sublevationem afflictorum, ius-

ܢܨܒܬܐ ܘܓܢܬܐ ܕܝܪܩܐ ܥܒܕ ܠܟ: ܕܚܘܠܡܢܐ ܠܟܪܝܗܐ ܘܡܟܪܝܗܘܬܐ. ܘܒܥܠܬܐ ܕܢܝܚܐ ܕܡܬܐܠܨܐ ܡܬܦܪܣ ܘܡܚܬ ܠܗ ܠܬܚܬ ܡܢ ܗܘ ܦܘܩܕܢܐ ܪܡܐ ܕܐܡܪ ܠܓܡܝܪܐ ܕܐܦܠܐ ܠܢܦܫܟ ܬܐܨܦ: ܘܡܢ ܗܘ ܦܘܩܕܢܐ: ܕܕܠܥܠ ܐܬܪܥܘ ܘܠܐ ܕܒܐܪܥܐ. ܘܒܕܠ ܕܠܐ ܦܪܫ ܩܠܐ ܡܢ ܩܠܐ: ܘܠܐ ܡܣܬܟܠ ܕܟܐܢܐ ܗܢܝܢ ܐܪܥܢܝܐ ܦܘܩܕܢܝܢ ܗܠܝܢ: ܘܠܐ ܠܗܘ ܕܒܥܐ ܫܡܝܢܝܬܐ ܘܓܡܝܪܘܬܐ: ܐܘܦܝܗ ܒܝܫܐ ܠܘܬ ܟܐܢܘܬܐ ܕܒܨܝܪ ܡܢ ܓܡܝܪܘܬܐ ܟܕ ܠܐ ܪܓܫ: ܘܗܘ ܣܒܪ ܕܒܬܪ ܓܡܝܪܘܬܐ ܪܗܛ: ܘܐܫܬܟܚ ܠܬܚܬ ܡܢܗ. ܡܛܠܗܕܐ ܐܡܪ ܫܠܝܚܐ: ܕܐܠܐ ܡܦܪܫ ܐܢܐ ܘܝܕܥ ܐܢܐ ܚܝܠܗ ܕܩܠܐ ܕܩܪܐ ܘܡܣܩ ܠܝ ܠܫܡܝܐ ܡܢ ܩܠܐ ܕܡܚܬ ܠܝ ܠܐܪܥܐ. ܠܐܐܪ ܗܘ ܡܚܐ ܐܢܐ ܐܝܟ ܓܒܪܐ ܕܠܐ ܝܕܥ ܠܡܢܐ ܪܗܛ. ܐܢܐ ܠܡ ܗܟܢܐ ܪܗܛ ܐܢܐ: ܐܝܟ ܓܒܪܐ ܕܝܕܥ ܕܢܦܪܘܫ ܩܠܐ ܡܢ ܩܠܐ. ܗܟܢܐ ܗܘܟܝܠ ܡܫܦܠ ܡܗܦܟ ܠܗ ܒܝܫܐ ܠܐܪܥܐ ܒܫܒܝܠܬܗ ܐܝܟ ܕܐܕܡ. ܐܦ ܓܝܪ ܫܦܝܪܢ ܗܠܝܢ: ܐܠܐ ܠܥܡܡܐ ܕܐܪܥܐ ܟܐܢܬܐ ܒܥܝܢ ܠܗܝܢ. ܠܫܡܝܢܝܐ ܓܝܪ ܣܩܘܒܠܐ ܐܢܝܢ. ܟܠܗܝܢ ܓܝܪ ܗܠܝܢ ܙܕܩܬܐ ܘܢܝܚܐ ܕܡܬܐܠܨܐ: ܒܟܐܢܘܬܐ ܕܦܠܚܝܢ ܒܐܪܥܐ ܦܩܕ ܡܪܢ ܕܢܥܒܕܘܢ ܐܢܝܢ: ܘܢܝܚܘܢ ܠܡܬܐܠܨܐ

α] — 19 α in textu ܫܦܝܠ in margine add. ϰ.

[1] Matth. VI, 25. — [2] Col. III, 2. — [3] I Cor. IX, 26. — [4] Matth. VI, 32.

ܘܢܐܣܘܢ ܒܗܘܢ. ܐܝܠܝܢ ܓܝܪ ܕܨܒܝܢ ܕܢܗܘܘܢ ܫܡܝܢܝܐ: ܢܚܘܪܘܢ ܠܫܡܝܐ: ܗܢܘ ܕܝܢ ܒܡܪܢ ܘܒܫܠܝܚܘܗܝ ܘܒܟܐܢܐ ܓܡܝܪܐ: ܘܢܚܘܪܘܢ ܠܫܡܝܐ ܘܠܐ ܒܐܪܥܐ: ܘܠܐ ܢܬܐܚܕܘܢ ܘܠܐ ܒܚܕܐ ܨܒܘܬܐ ܡܢ ܐܪܥܢܝܬܐ܀

ܠܝܬ ܓܝܪ ܦܘܪܣܐ ܕܡܫܡܫ ܐܢܫ ܕܢܦܠܘܚ ܠܐܠܗܐ ܒܪܘܚ: ܟܕ ܡܬܕܘܕ ܒܨܒܘܬܐ ܕܥܠܡܐ: ܐܠܐ ܕܠܗܘ ܡܢ ܕܓܒܝܗܝ ܢܫܬܘܦ ܕܢܫܦܪ. ܘܒܡܠܬܗܘܢ ܘܒܡܠܦܢܘܬܗܘܢ ܛܒܬܐ ܢܬܩܪܒܘܢ ܠܘܬ ܟܠܢܫ: ܛܒܐ ܘܒܝܫܐ ܘܢܛܝܒܘܢ ܠܟܠܢܫ ܕܐܠܝܨ. ܗܐ ܓܝܪ ܠܫܡܝܢܝܐ ܦܩܕ ܕܒܫܡܝܢܝܬܐ ܢܛܝܒܘܢ ܠܟܠ ܐܢܫ. ܡܢ ܐܝܟܐ ܓܝܪ ܝܕܥ ܐܢܬ ܐܘ ܐܡܪ ܐܢܬ ܕܠܐ ܐܢܫ ܢܡܠܠ ܥܡ ܣܪܝܩܐ ܘܛܥܝܐ: ܕܗܘܐ ܗܘܐ ܟܐܢܐ ܐܘ ܓܡܝܪܐ܃ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܡܪܢ ܠܚܢܢܝܐ: ܕܙܠ ܡܠܠ ܥܡ ܦܘܠܘܣ. ܘܐܡܪ ܚܢܢܝܐ ܠܡܪܢ: ܡܪܝ: ܓܒܪܐ ܗܘ ܒܝܫܐ ܘܫܡܥܬ ܕܐܘܠܨܢܐ ܐܘܫܛ ܠܩܕܝܫܐ ܕܒܐܘܪܫܠܡ. ܘܐܡܪ ܠܗ ܡܪܢ: ܕܙܠ ܡܠܠ ܥܡܗ: ܡܛܠ ܕܡܐܢܐ ܗܘ ܓܒܝܐ: ܘܐܢܬ ܠܐ ܝܕܥ ܐܢܬ. ܗܟܢܐ ܗܟܝܠ ܐܦ ܐܢܬ: ܕܐܝܬ ܠܟ ܡܡܠܠܐ ܥܡ ܟܠܢܫ: ܡܠܠ: ܘܠܐ ܚܛܐ ܐܢܬ. ܕܘܩܐ ܓܝܪ ܥܒܕܬܟ ܕܬܚܙܐ ܕܝܢܐ ܕܥܬܝܕ: ܘܬܙܗܪ ܠܚܛܝܐ ܠܘܩܕܡ ܘܒܬܪ ܠܙܕܝܩܐ. ܡܐ

α] — 10 α ܢܫܬܦܐ.

[1] II Tim. II, 4. — [2] Act. IX, 11-15. — [3] Ez. III, 17.

tis, qui terram colunt, praecepit Dñs, ut ea facerent et afflictos sublevarent et per eos salvi fierent. Qui enim caelestes fieri velint, ad caelum respiciant, id est, ad Dñum et Apostŏlos eius et iustos perfectos et caelum intueantur, non terram, nec detineantur ulla re terrena.

6. Non datur quippe modus, ut quis Deo spiritu possit servire, dum rebus mundanis perturbatur, nisi se adaptaverit, *ut placeat ei, qui elegit se*[1]. Et hi oratione et doctrina sua bona omnes adeant, bonos et malos, et cuique afflicto benefaciant. Ecce enim caelestes rebus caelestibus iubet benefacere cuique. Nam unde nosti, qui dicis neminem loqui debere cum homine vano et errabundo, hunc non fore iustum aut perfectum? sicut dixit Dñs Ananiae : *Vade, loquere cum Paulo. Et dixit Anania Dño : Domine mi, vir hic nequam est. Et audivi eum tribulationem inflixisse sanctis, qui sunt in Jerusalem. Et dixit ei Dñs : Vade, loquere cum ipso, quia is mihi vas electum est et tu nescis*[2]. Simili igitur ratione tu quoque, qui cum omnibus sermonem habes, loquere, nec peccabis. *Speculatorem,* inquit, *feci te*[3], ut videas iudicium futurum et peccatores primum, dein iustos horteris. Postquam igitur Malignus aliquem a rebus caelestibus

avertit eumque in labore iustitiae posuit et is hortos et paradisos[1] terrestres et opes et aedes acquisivit, tunc incipit eum Malignus etiam de iustitia detrudere. Nam illo abeunte alios excitat, ut ei malum inferant; ipse iusto, qui a perfectione inscius restitit, supervenit, ut eum perturbet et malum reddat, et incipit dicere : « domum tuam, quam multo labore construxisti, diripuere! » Vadit, altercatur, rixatur. Ecce lucrum primum, quod collegit! Porro dicit ei : « plantationem et hortum olitorium suppilavere praedones insatiabiles! » Et abiens dimicat. Ecce aliud lucrum, quod ei Malignus faciendum suasit! Item dicit ei : « pecora tua percusserunt et trucidaverunt et abduxerunt, cum pascerentur in monte tuo. » Et complodens manus perturbatur. Ecce aliud lucrum, quod suasit Malignus caelestibus, ut possiderent et aedificarent.

7. Vides, bona illa, quae suadet Malignus, quomodo fiant mala. Et nisi fortiter toleret, sicut Iob, etiam de iustitia detrudidur, quoniam iusti nemini malum inferunt. Nam licet iustus nemini malum inferat, Malignus suffocat eum labore et sollicitudine, nec sinit eum veritatem consequi; et nisi seipsum recreaverit, sibi stationes faciendo,

α] —

[1] I. e. hortos amoenos muro cinctos, vulgo *parcs*.

ܘܢܨܠܐ ܒܗܘܢ: ܘܢܥܒܕ ܒܗܘܢ ܙܕܩܬܐ ܘܢܨܘܡ ܒܗܘܢ ܐܝܟ ܡܐ ܕܝܐܐ ܠܟܐܢܐ: ܠܐ ܡܫܟܚ ܕܢܕܪܟܝܗ ܠܟܐܢܘܬܐ ܫܪܝܪܐܝܬ. ܠܓܡܝܪܘܬܐ ܕܝܢ ܠܐ ܡܫܟܚ ܡܛܐ: ܐܠܐ ܐܢ ܫܒܩܗ ܠܐܪܥܐ ܐܝܟ ܡܐ ܕܦܩܕܗ ܡܪܢ: ܘܫܩܠ ܨܠܝܒܐ ܘܐܣܪܩܗ ܘܐܬܡܟܟ ܘܐܬܩܕܫ: ܘܗܘܐ ܐܝܟ ܥܒܕܐ ܒܡܫܬܡܥܢܘܬܗ: ܘܠܐ ܐܝܟ ܡܪܐ ܒܦܘܩܕܢܗ: ܘܢܪܚܡ ܠܚܛܝܐ ܘܠܙܕܝܩܐ: ܘܢܚܒ ܕܢܬܠ ܢܦܫܗ ܚܠܦ ܒܝܫܐ: ܐܝܟ ܡܪܢ ܘܐܝܟ ܫܠܝܚܘܗܝ. ܘܗܝܕܝܢ ܗܘ ܡܕܪܟ ܪܘܡܐ ܘܥܘܡܩܐ ܘܐܘܪܟܐ ܘܦܬܝܐ ܥܡ ܩܕܝܫܐ: ܗܠܝܢ ܕܐܕܪܟܘܗܝ ܠܩܕܝܫܐ ܒܟܠܡܕܡ ܕܡܚܘܐ ܠܗܘܢ: ܒܪܚܡܬܐ ܘܚܘܒܐ ܘܫܝܢܐ ܕܠܘܬ ܟܠܗܘܢ ܒܢܝܢܫܐ: ܛܒܐ ܘܒܝܫܐ܀

ܗܠܝܢ ܐܢܘܢ ܢܟܠܐ ܕܡܟܡܢ ܒܝܫܐ ܠܗܠܝܢ ܕܗܘܝܢ ܐܝܚܝܕܝܐ: ܘܟܠܗܝܢ ܕܫܒܩܘܢ ܠܡܬܪܝܡ ܘܢܬܥܠܘܢ ܠܪܘܡܐ ܒܥܩܒܬܐ ܕܗܘ ܕܐܬܥܠܝ ܩܕܡܝܗܘܢ. ܐܝܠܝܢ ܓܝܪ ܕܓܒܘ ܠܗܘܢ ܠܕܘܒܪܐ ܕܟܐܢܘܬܐ ܘܕܙܘܘܓܐ: ܗܢܘܢ ܢܥܒܕܘܢ ܡܢ ܗܠܝܢ ܐܪܥܢܝܬܐ ܙܕܩܬܐ ܘܥܒܕܬܐ ܡܢ ܡܕܡ ܕܩܢܝܢ: ܘܗܘܘܢ ܟܐܢܝܢ ܒܕܘܒܪܗܘܢ. ܘܐܢ ܨܒܝܢ ܕܢܫܒܩܘܢܗ ܠܐܪܥܐ: ܐܝܟ ܕܦܩܕ ܡܪܢ: ܘܢܪܕܘܢ ܒܥܩܒܬܐ ܕܡܟܝܟܘܬܗ: ܒܥܓܠ ܣܠܩܝܢ ܠܓܡܝܪܘܬܐ: ܡܛܠ ܕܠܐ ܣܓܝ

quibus oret et eleemosynas faciat et ieiunet, sicut decet iustos, non potest solide assequi iustitiam. Ad perfectionem autem pervenire non potest, nisi relinquat terram, sicut eum iussit Dñs, et nisi tollat crucem et se exinaniat et humiliet et sanctificet et fiat quasi servus obedientia sua, non velut dominus iussione sua, et diligat peccatores et iustos et animam suam pro malis libenter tradat, sicut Dñs et sicut Apostoli eius; et tunc comprehendet altitudinem et profunditatem, longitudinem et latitudinem cum sanctis illis[1], qui Sanctum in omnibus comprehenderunt, quae ostendit eis: in amore, caritate, pace erga omnes, bonos et malos.

8. Hi sunt doli, quibus insidiatur Malignus his, qui anachoretae fiunt et relictis omnibus ad celsitudinem elevari volunt in vestigiis illius, qui ante ipsos exaltatus est. Qui enim vitam iustitiae et matrimonii elegerunt, ex rebus terrenis, quas possident, faciant eleemosynas et opera bona ex his, quae possident; eruntque iusti in conversatione sua. Et si terram relinquere velint, uti praecepit Dñs, et procedere in vestigiis humilitatis eius, cito ascendunt ad perfectionem, quia non multum

α] —

[1] Eph. III, 18.

distant ab ea. Perfecti enim velut angeli sunt, sicut dixit Dñs : *Qui hac resurrectione digni fuerint, non poterunt mori, sed velut angeli erunt*[1]. Igitur cum sint velut angeli, decet angelis similem fieri eum, qui perfici velit. Videamus, quid sit ministerium angelorum? Angeli terram non colunt, nudos non vestiunt, esurientes non saturant, nec mens eorum in terra manet, sed iussu Dñi omnes hortantur, prout capaces sunt, ita ut assidue in conspectu eius sint maiestati eius servientes, nec solliciti sint victus, quia Dñs curam eorum et cuiusque habet. Decet eos, qui angelis similes sunt, angelos imitari et verbum Dñi annuntiare, sicut praecepit eis : *Nolite curam habere victus et vestitus*[2], nec animae, nec fratrum suorum, quia Dñs curam ipsorum omniumque habet et ipse sollicitus est creaturae suae, ut eam dirigat. Et per iustos conservat egentes, qui angelorum instar assidui sint coram maiestate eius. Et si omnes homines terram relinquere et ad perfectionem tendere voluissent, Dñs eos victus vestitusque causa non retinuisset, sed eis Manna demisisset, uti misit filiis Israel in deserto vasto

ܪ̈ܚܝܩܝܢ ܡܢܗ. ܓܡܝܪ̈ܐ ܓܝܪ ܐܝܟ ܡܠܐܟ̈ܐ ܐܢܘܢ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܡܪܢ: ܕܐܝܠܝܢ ܕܫܘܝܢ ܠܩܝܡܬܐ ܗܝ: ܠܡܡܬ ܠܐ ܡܫܟܚܝܢ ܐܠܐ ܐܝܟ ܡܠܐܟ̈ܐ ܗܘܝܢ. ܡܛܠ ܕܐܝܟ ܡܠܐܟ̈ܐ ܗܘܝܢ: ܒܗܘܢ ܒܡܠܐܟ̈ܐ ܙܕܩ ܕܢܬܕܡܐ ܡܢ ܕܨܒܐ ܕܢܬܓܡܪ. ܢܚܙܐ ܡܢܐ ܗܝ ܦܠܚܢܐ ܕܡܠܐܟ̈ܐ. ܡܠܐܟ̈ܐ ܠܐ ܦܠܚܝܢ ܒܐܪܥܐ. ܠܐ ܡܠܒܫܝܢ ܥܪ̈ܛܠܝܐ. ܠܐ ܡܣܒܥܝܢ ܟܦܢ̈ܐ: ܘܠܐ ܡܟܬܪܐ ܪܥܝܢܗܘܢ ܒܐܪܥܐ: ܐܠܐ ܒܡܠܬܗ ܗܝ ܕܡܪܢ ܡܙܪܙܝܢ ܠܟܠܢܫ ܐܝܟ ܕܣܦܩ: ܐܡܝܢܐ ܕܩܕܡܘܗܝ ܐܡܝܢܝܢ ܠܪܒܘܬܗ ܡܫܡܫܝܢ: ܘܠܐ ܝܨܦܝܢ ܕܣܝܒܪܬܗܘܢ: ܕܡܪܢ ܝܨܝܦ ܕܟܠܗܘܢ ܘܕܟܠܢܫ. ܙܕܩ ܠܗܘܢ ܠܐܝܠܝܢ ܕܐܝܟ ܡܠܐܟ̈ܐ ܗܘܝܢ: ܕܠܗܘܢ ܠܡܠܐܟ̈ܐ ܢܬܕܡܘܢ: ܘܡܠܬܗ ܕܡܪܢ ܢܟܪܙܘܢ: ܐܝܟ ܕܦܩܕ ܐܢܘܢ: ܕܠܐ ܬܐܨܦܘܢ ܕܣܝܒܪܬܐ ܘܕܠܒܘܫܐ: ܠܐ ܕܢܦܫܗܘܢ ܘܠܐ ܕܐܚ̈ܝܗܘܢ: ܕܡܪܢ ܝܨܝܦ ܕܠܗܘܢ ܘܕܟܠܢܫ: ܘܗܘ ܒܨܝܦ ܥܠ ܒܪܝܬܗ ܕܢܕܒܪܝܗ. ܘܒܟܐܢ̈ܐ ܢܛܪ ܠܡܣܟܢ̈ܐ: ܘܗܢܘܢ ܐܝܟ ܡܠܐܟ̈ܐ ܗܘܘ ܐܡܝܢܝܢ ܩܕܡ ܪܒܘܬܗ. ܘܐܠܘ ܙܒܢܐ ܗܘܐ ܟܠܢܫ ܕܢܫܒܘܩ ܠܐܪܥܐ ܘܢܐܬܘܢ ܠܓܡܝܪܘܬܐ: ܡܪܢ ܠܐ ܟܠܐ ܗܘܐ ܡܛܠ ܣܝܒܪܬܐ ܘܠܒܘܫܐ: ܐܠܐ ܗܘ ܡܚܬ ܗܘܐ ܡܢܢܐ: ܐܝܟ ܕܐܚܬ ܠܒܢܝ̈ ܐܝܣܪܐܝܠ

α] —

[1] Luc. XX, 35 sqq. — [2] Matth. VI, 25.

ܒܡܕܒܪܐ ܡܪܒܥܐ ܕܠܐ ܙܪܥܐ ܘܠܐ ܚܨܕܐ ܐܦܠ ܗܘܐ ܠܗܘ. ܘܗܘ ܥܒܕ ܗܘܐ ܒܟܬܝܢܝܬܐ ܐܝܟ ܕܥܒܕ ܠܐܕܡ ܘܠܚܘܐ ܒܗܘ ܝܘܡܐ ܕܚܛܘ ܚܛܗܐ. ܟܡܐ ܒܝܬܪ ܥܒܕ ܗܘܐ ܠܢ ܒܝܘܡܐ ܕܐܬܪܥܝܢ ܗܘܝܢ ܕܢܪܕܐ ܒܬܪܗ ܒܓܡܝܪܘܬܐ: ܘܢܐܙܠ ܒܬܪܗ ܘܢܥܒܕ ܨܒܝܢܗ ܪܒܐ: ܗܘ ܕܨܒܐ ܕܢܗܘܘܢ ܠܗܘܐ ܒܪܝܬܗ ܟܠܗ ܐܝܟ ܡܠܐܟܐ ܕܒܫܡܝܐ.

ܓܡܝܪܘܬܐ ܓܝܪ ܠܥܠ ܡܢ ܫܡܝܐ ܗܝ. ܘܟܐܢܘܬܐ ܐܬܝܗ ܠܬܚܬ ܒܐܪܥܐ: ܕܩܝܡܐ ܥܠ ܬܚܘܡܐ ܕܒܝܫܬܐ: ܘܡܢܗ ܟܐܢܐ ܡܬܢܓܕܝܢ ܐܡܬܝ: ܡܛܠ ܕܬܚܘ̈ܡܝ ܬܚܘܡܘܗܝ ܐܢܘܢ ܘܩܪ̈ܝܒܝܗܘܢ ܠܝܛ̈ܐ. ܠܝܛܐ ܠܟ ܐܪܥܐ ܡܛܠܬܟ. ܐܡܪ ܓܝܪ ܐܠܗܐ ܠܐܕܡ: ܕܡܛܠ ܕܪܚܡܬ ܡܕܡ ܕܒܐܪܥܐ ܗܘ: ܘܣܢܝܬ ܡܕܡ ܕܒܫܡܝܐ ܗܘ: ܗܐ ܡܬܝܗܒ ܠܟ. ܒܠܚܘܕ ܠܐ ܬܬܬܪܝܠ ܠܬܚܬ ܠܟ ܠܬܚܬ ܡܢ ܐܪܥܐ: ܘܬܚܘܬ ܠܫܝܘܠ ܐܝܟ ܕܢܚܬܬ ܡܢ ܫܡܝܐ ܠܐܪܥܐ. ܟܕ ܓܝܪ ܢܦܠܬ ܡܢ ܫܡܝܐ ܩܒܠܬܟ ܐܪܥܐ ܕܒܓܘܗ ܚܝܐ ܐܝܬ ܠܟ: ܐܦܢ ܠܓܡܝܪܘܬܐ ܠܐ ܡܛܝܬ ܐܢܬ: ܒܗܕܐ ܕܢܦܠܬ ܐܢܬ ܒܗܢܐ ܫܘܪܒܐ ܩܕܡܝܐ. ܬܬܥܡܠܝܢ ܠܥܡܠܐ ܡܛܥܡܬ: ܗܫܐ ܐܢ ܢܦܠܬ ܐܢܬ ܡܢ ܐܪܥܐ: ܡܬܬܚܬܬ ܠܫܝܘܠ. ܘܢܦܠܬ ܐܢܬ ܡܢ ܟܐܢܘܬܐ. ܘܡܢܐ

semine et messe carente, et eis tunicas fecisset, sicut fecit Adae et Evae[1] die, qua peccantes peccaverunt. Quanto magis fecisset nobis die illa, qua consilium cepimus, perfectione sectanda ipsum sequi et voluntatem eius magnam facere, qua voluit omnes creaturas suas velut angelos in caelo fieri?

9· Perfectio enim caelo superius est et iustitia deorsum est in terra, quae stat in limite mali, a quo iusti semper vapulant, quia confines eius sunt et vicini eorum maledicti sunt. *Maledicta,* inquit, *terra tui causa*[2]; dixit enim Deus Adae « Ideo, quia dilexisti ea, quae in terra sunt, et odisti caelestia, ecce dantur tibi, dummodo ne delabaris subtus terram et descendas in Hadem, uti de caelo ad terram descendisti. Nam cum de caelo decidisses, terra suscepit te, in qua vivere poteris, etsi ad perfectionem non pervenias, dum in hoc lapsu primo operam des labori. Gustando gustasti mortem : modo, si de terra decideris, in Hadem detruderis et ex iustitia excides et cruciatus haereditabis, sicut arbore bona

α] —

[1] Gen. III, 21. — [2] Gen. III, 17.

vitae privatus es, quia gustasti cogitationem malam et cognito malo de caelo ad terram cecidisti. Si vero perpetrando perpetraveris malum, de terra in Hadem cades.

Desinit sermo vigesimus quintus.

α] —

ܐܝܟ ܐܬܢܟܝܬ: ܐܟܠܬ ܕܐܠܗܘܬܐ ܡܢ ܐܝܠܢܐ
ܗܟܠ ܕܚܝܐ. ܡܛܠ ܕܛܥܡܬ ܡܚܫܒܬܐ
ܒܝܫܬܐ: ܘܝܕܥܬ ܒܝܫܬܐ: ܘܢܦܠܬ ܡܢ
ܫܡܝܐ ܠܐܪܥܐ. ܐܢ ܕܝܢ ܥܒܕ ܐܝܟ ܡܥܒܕ
ܒܝܫܬܐ: ܡܢ ܐܪܥܐ ܠܫܝܘܠ ܢܦܠ ܐܢܬ܀

ܫܠܡ ܡܐܡܪܐ ܕܟܗ܀

ܡܐܡܪܐ ܕܥܣܪܝܢ ܘܫܬܐ ܥܠ ܢܡܘܣܐ ܕܬܪܝܢ ܕܣܡ ܡܪܝܐ ܠܐܕܡ

SERMO VIGESIMUS SEXTUS

DE LEGE SECUNDA, QUAM DOMINUS POSUIT ADAE

ܥܠ ܢܡܘܣܐ ܕܣܡ ܡܪܝܐ ܠܐܕܡ ܡܢ ܒܬܪ ܕܐܟܠ ܡܢ ܐܝܠܢܐ. ܡܟܝܠ ܗܐ ܣܐܡ ܐܢܐ ܠܟ ܢܡܘܣܐ ܒܗܘ ܗܘ ܡܕܡ ܕܪܚܡܬ ܕܗܢܐ ܢܡܘܣܐ ܕܣܐܡ ܐܢܐ ܠܟ: ܐܠܐ ܬܥܒܪܝܘܗܝ ܢܟܠܝܟ ܡܢ ܫܝܘܠ ܘܢܬܠ ܠܟ ܚܝܐ ܕܠܥܠܡ ܘܝܪܬܘܬܐ ܘܢܘܚܡܬܐ. ܘܐܢ ܬܡܪܚ ܒܗ̇ ܐܝܟ ܕܒ ܩܕܡܝܬܐ ܬܚܙܝܘܗܝ ܠܫܝܘܠ ܘܬܬܫܢܩ. ܐܢ ܐܝܢ ܬܛܪܝܘܗܝ ܠܗܢܐ ܢܡܘܣܐ ܕܟܐܢܘܬܐ: ܘܬܪܕܘܦ ܒܬܪ ܚܘܒܐ ܘܒܬܪ ܓܡܝܪܘܬܐ: ܒܚܪܬܐ ܕܫܢܝܐ ܕܗܢܐ ܥܠܡܐ ܡܬܓܠܐ ܐܢܐ ܘܡܓܡܪ ܐܢܐ ܠܟ ܘܠܟܠܗܘܢ ܕܪܕܦܝܢ ܒܬܪ ܚܘܒܐ ܘܒܬܪ ܓܡܝܪܘܬܐ. ܘܥܐܠܝܢ ܐܢܬܘܢ

1. De lege, quam Dominus posuit Adae, postquam de arbore comederat. — *Igitur ecce legem pono tibi de illa ipsa re, quam dilexisti, quae lex, quam tibi posuero — nisi eam transgressus eris — te ab Hade retinebit et tibi dabit vitam aeternam et haereditatem et resurrectionem. Et si adversus eam audacter egeris, sicut adversus primam, Hadem videbis et cruciaberis. Si igitur custodieris legem hanc iustitiae et caritatem sectatus fueris perfectionemque, in fine annorum mundi huius ego apparebo et perficiam te omnesque, qui caritatem et perfectionem sectati fuerint*[1], *et intrabitis in paradisum spiritualem, unde*

αβ] — *In titulo* β XXVII. *Item eiusdem sermo* etc. ܬܘܒ ܕܝܠܗ ܡܐܡܪܐ ܥܠ ܢܡܘܣܐ ܕܬܪܝܢ . ܘܓܘ. — 7 α *profectum et resurrectionem* ܝܘܬܪܢܐ ܘܢܘܚܡܬܐ. — 8 α ܬܚܙܐ.

[1] Cf. supra Serm. XV, 12. *Adae flenti ... promisit : Ego veniam et perficiam eos, qui caritatem et perfectionem sectaturi sunt.*

egressus es, et omnibus, qui in adventu meo et post adventum meum vivent, ostendam, quomodo creatus sis ad instar angelorum et quomodo perveniant ad creaturam sanctam illam, in qua creatus es. Et ego induam similitudinem tuam et ostendam eis omnia. Etenim postquam ex hoc saeculo obieris, progenies tua obliviscetur creaturam tuam, qualis fuerit et quaenam sit arbor, de qua comedisti, et creaturam tuam omnibus rebus assimilabunt, quaenam fuerit, et arborem, de qua comedisti; nec scient, nisi singuli quidam, donec veniam et ostendam eis manifeste, qualis fuerit voluntas mea ab initio. Nati enim tui errabunt et excident etiam ex iustitia, quam tibi hodie praecipio.

2. Et dixit Deus Adae, quando ei legem ultimam imposuit, die, qua primam transgressus est : *Ecce opes, quas dilexisti et non intellexisti honorem tuum*[1]. *Posside quidquid volueris, dummodo iuste ambules. Et ecce terra, quam amasti, datur tibi, dummodo rem proximi tui non auferas. Ecce labor, quem quaesivisti, datur tibi, dummodo laborem proximi tui avare non appetas. Ecce matrimonium, quod quaesivisti consilio maligni, datur tibi, dummodo uxorem proximi tui non concupiscas, nec duas uxores ducas, nec fornicentur filii*

ܠܦܪܕܝܣܐ ܘܗܫܐ ܕܢܦܩܬ ܡܢܗ. ܘܡܚܘܐ ܐܢܐ ܠܟܠ ܐܝܟܢ ܕܚܐܝܢ ܒܡܐܬܝܬܝ ܘܒܬܪ ܡܐܬܝܬܝ: ܐܝܟܢ ܒܪܐ ܗܘܝܬ ܐܝܟ ܡܠܐܟܐ: ܘܐܝܟܢ ܢܐܬܘܢ ܠܗܝ ܒܪܝܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܕܒܪܐ ܗܘܝܬ. ܘܐܢܐ ܐܠܒܫ ܕܡܘܬܟ ܘܐܚܘܐ ܐܢܘܢ ܟܠ ܡܕܡ. ܡܢ ܒܬܪ ܓܝܪ ܕܢܦܩ ܐܢܬ ܡܢ ܗܢܐ ܥܠܡܐ: ܛܥܝܢ ܠܗ ܫܪܒܬܟ ܠܒܪܝܬܟ ܐܝܟܢܐ ܗܘܬ ܘܡܢܘ ܐܝܠܢܐ ܕܐܟܠܬ ܡܢܗ: ܘܠܟܠ ܨܒܘ ܢܕܡܘܢܗ ܠܒܪܝܬܟ ܐܝܟܢܐ ܗܘܐ ܘܠܐܝܠܢܐ ܕܐܟܠܬ ܡܢܗ: ܘܠܐ ܢܕܥܘܢ ܐܠܐ ܝܚܝܕܝܐ: ܥܕܡܐ ܕܐܬܐ ܘܐܚܘܐ ܠܗܘܢ ܒܓܠܝܐ ܐܝܟܢ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܨܒܝܢܝ ܡܢ ܒܪܫܝܬ. ܢܛܥܘܢ ܒܢܝܟ ܓܝܪ ܢܫܬܓܫܘܢ ܘܢܦܠܘܢ ܐܦ ܡܢ ܟܐܢܘܬܐ ܕܡܦܩܕ ܐܢܐ ܠܟ ܝܘܡܢܐ܀

ܘܐܡܪ ܠܗ ܐܠܗܐ ܠܐܕܡ: ܟܕ ܣܡ ܠܗ ܢܡܘܣܐ ܐܚܪܝܐ: ܒܗܘ ܝܘܡܐ ܕܥܒܪ ܥܠ ܦܘܩܕܢܐ. ܗܐ ܩܢܝܢܐ ܕܪܚܡܬ ܘܠܐ ܐܣܬܟܠܬ ܒܐܝܩܪܟ. ܩܢܝ ܟܡܐ ܕܨܒܝܬ: ܟܕ ܒܟܐܢܘܬܐ ܗܠܟ. ܘܗܐ ܐܪܥܐ ܕܪܚܡܬ ܡܬܝܗܒܐ ܠܟ: ܒܠܚܘܕ ܠܐ ܬܥܫܘܩ ܕܚܒܪܟ. ܗܐ ܥܡܠܐ ܕܒܥܝܬ ܡܬܝܗܒ ܠܟ ܒܠܚܘܕ ܥܠ ܥܡܠܐ ܕܚܒܪܟ ܠܐ ܬܬܥܢܐ. ܗܐ ܙܘܘܓܐ ܕܒܥܝܬ ܒܡܠܟܗ ܕܒܝܫܐ ܡܬܝܗܒ ܠܟ: ܒܠܚܘܕ ܠܐܢܬܬܐ ܕܚܒܪܟ ܠܐ ܬܪܓ ܘܠܐ ܬܣܒ ܬܪܬܝܢ ܢܫܝܢ: ܘܠܐ ܢܙܢܘܢ ܒܢܝܟ ܘܠܐ ܒܢܬܟ ܢܗܘܝܢ

αβ] — 2 α ܕܚܝܝܢ. — 3 β *quam creavi* ܗܘܝܬ ܕܒܪܝܬ. — *Ib.* β ܕܡܐܬܝܬܝ. — 6 α ܒܡܦܩܟ. — 10 α om. ܐܝܟܢܐ ܗܘܐ. — 19 ܕܒܟܐܢܘ.

[1] Ps. XLIX, 12.

ܙܢܝ̈ܬܐ. ܘܦܩܘܕ ܠܒܢ̈ܝܟ ܡܢ ܒܬܪܟ: ܘܒܢ̈ܝܟ ܢܦܩܕܘܢ ܠܒܢ̈ܝܗܘܢ ܥܕ ܐܬܐ ܐܢܐ ܘܗܘܐ ܐܢܐ ܠܟܘܢ ܢܘܗܪܐ ܕܓܡܝܪܘܬܐ܀ ܘܐܡܪ ܠܗܘܢ ܡܐ ܕܩܢܝܬܘܢ ܐܝܟ ܠܥܠܡ: ܠܐ ܐܝܟ ܕܠܥܠܡ ܬܩܢܘܢ ܘܛܥܝܬܘܢܢܝ. ܘܡܐ ܕܒܢܝܬܘܢ ܐܝܟ ܐܢܫܐ ܕܝܕܥܝܢ ܐܢܬܘܢ ܕܠܐ ܠܥܠܡ ܗܪܟܐ ܐܢܬܘܢ. ܐܠܐ ܗܘܘ ܝܕܥܝܢ ܕܡܥܒܪ ܐܢܐ ܠܗ ܠܐܪܥܐ ܘܠܟܠ ܕܐܝܬ ܒܗ ܘܕܝܢܐ ܗܘܐ ܘܢܝܚܐ ܗܘܐ. ܘܟܠܢܫ ܐܝܟ ܥܒܕܘܗܝ ܡܬܦܪܥ. ܣܦܩ ܠܟܘܢ ܐܕܡ ܘܚܘܐ ܕܢܦܠܬܘܢ ܡܢ ܒܬܘܠܘܬܐ ܘܡܢ ܓܡܝܪܘܬܐ. ܠܐ ܬܘܒ ܬܦܠܘܢ ܠܟܘܢ ܡܢ ܬܪܝܨܘܬܐ ܘܡܢ ܟܐܢܘܬܐ. ܐܝܟܢܐ ܓܝܪ ܕܟܠܗ ܫܘܦܪܐ ܠܓܡܝܪܘܬܐ: ܣܩܘܒܠܐ ܕܐܪܥܐ ܕܡܬܚܙܝܢܐ ܠܥܝ̈ܢܐ ܕܒܣܪܐ: ܗܟܢܐ ܐܦ ܟܐܢܘܬܐ ܠܒܝܫܬܐ: ܟܠ ܡܕܡ ܕܡܚܒܠ ܘܡܥܝܩ ܠܒܢܝ̈ܢܫܐ ܐܘ ܡܟܐܒ ܠܟܠ ܕܐܝܬ ܒܗ ܢܦܫܐ܀

ܡܢ ܒܬܪ ܗܟܝܠ ܦܘܩܕܢܐ ܩܕܡܝܐ ܐܕܡ ܘܟܠܗܘܢ ܟܐܢ̈ܐ ܩܕܡܝ̈ܐ ܐܬܩܝܡܘ ܒܟܐܢܘܬܐ ܗܝ ܕܦܩܕ ܐܠܗܐ ܠܐܕܡ: ܡܢ ܒܬܪ ܕܥܒܪ ܥܠ ܡܠܬܐ ܩܕܡܝܬܐ ܘܗܘܐ ܐܪܥܢܐ. ܫܪܟܐ ܕܝܢ ܕܒܢܝ̈ܢܫܐ: ܐܠܘ ܩܘܝܘ ܒܗܝ ܟܐܢܘܬܐ ܕܡܟܬܒܐ ܕܒܗ ܐܕܡ ܘܟܐܢ̈ܐ ܪܕܘ ܒܗ: ܠܐ ܡܬܝܗܒ ܗܘܐ ܢܡܘܣܐ ܐܚܪܢܐ: ܥܕܡܐ ܕܐܬܐ ܗܘܐ ܡܪܢ ܘܝܗܒ ܗܘܐ ܗܢܐ

tui, nec fiant meretrices filiae tuae. Et praecipe filiis tuis post te et filii tui praeceptum ponent filiis suis, donec venero, meque vobis exemplar perfectionis exhibebo.

3. Et dixit eis : *Quando possederitis, non quasi in aeternum possideatis, obliti mei. Et quando aedificaveritis, tamquam homines, scientes vos non in aeternum hic mansuros. Sed scitote me terram transire facturum esse et omnia in ea*[1]. *Et erit iudicium et erit requies et quisque iuxta opera sua retributionem accipiet. Sufficit vobis, Adam et Eva, excidisse e virginitate et perfectione : nolite adhuc excidere e rectitudine et iustitia.* Quemadmodum enim tota pulchritudo terrae oculis carnis visibilis perfectioni adversatur : sic opponitur iustitiae malum quodlibet homini nocivum aut contristans omne id, quod animam habet.

4. Igitur post mandatum primum Adam et iusti antiqui omnes in iustitia steterunt, quam Deus Adae praecepit, postquam transgresso verbo primo terrenus factus erat. Ceteris vero hominibus, si in illa iustitia praescripta, in qua Adam et iusti incedebant, perseverassent, nulla alia lex data esset, donec venisset Dominus dans Evangelium illud,

αβ] — 10 α ܐܝܟ ܥܒܕܘ. — 14 β ܠܓܡܝܪܘܬܐ. — 17 α ܡܥܝܩܢ. — 21 β ܦܩܕܗ. — 22 α om. ܥܠ. — 23 α ܕܒܢܝ ܐܢܫܐ. — 26 α om. ܗܢܐ.

[1] Cf. Serm. X, 5.

quod modo dedit. Dixit enim Apostolus: *Lex propter transgressionem addita est*[1], per Moysem lata. Igitur Adam et iusti omnes et prophetae et recti pacem per Dñum [factam] exspectantes, ea spe freti dormierunt, quod Dñs venturus esset et pacem facturus in terra. Et cum tempus appropinquasset, quo Deus apparere et reconciliationem et pacem facere voluit in terra, Spiritus pro omnibus hominibus, bonis et malis implorans sic ait: *Memor esto verbi tui servo tuo, quod spem dedit* Adae et omnibus iustis et *quo consolati sunt in humilitate* sua, *quia sermo tuus vivificavit* eos[2]. Et venit is, cuius promissum verax est et stipulatio fidelis, et perfecit eos, qui relictis omnibus voluntatem eius fecerunt et caritatem et perfectionem sectantes ante adventum eius obdormierunt eosque introduxit in paradisum spiritualem, sicut promiserat et novissimis manifeste ostendit, qualis fuisset olim Adam. Et paradiso promisso assumptus est ab eis, ut ipsi terra relicta sequerentur se.

5. Evangelium autem, quod dedit Jesus, illud est, quod Adam transgressus est ceciditque; et iustitia, quam Moyses dedit et Prophetae, illa est, quae Adae imposita est, postquam man-

ܡܫܪܬܐ ܕܝܗܒ ܗܫܐ. ܐܡܪ ܓܝܪ ܫܠܝܚܐ: ܕܢܡܘܣܐ ܡܛܠ ܡܣܟܠܢܘܬܐ ܐܬܬܘܣܦ: ܗܘܐ ܕܒܝܕ ܡܘܫܐ ܐܬܝܗܒ. ܫܡܠܘ ܠܗ ܗܟܝܠ ܠܗܘܐ ܫܝܢܐ ܕܒܝܕ ܡܪܢ: ܐܕܡ ܘܟܠܗܘܢ ܟܐܢܐ ܘܢܒܝܐ ܘܬܪܝܨܐ: ܘܫܟܒܘ ܥܠ ܗܘܐ ܣܒܪܐ: ܕܐܬܐ ܡܪܢ ܘܥܒܕ ܫܝܢܐ ܒܐܪܥܐ. ܘܟܕ ܡܛܐ ܙܒܢܐ ܗܘ ܕܒܗ ܐܠܗܐ ܕܢܬܓܠܐ ܘܢܥܒܕ ܬܪܥܘܬܐ ܘܫܝܢܐ ܒܐܪܥܐ: ܒܥܐ ܪܘܚܐ ܚܠܦ ܟܠܗܘܢ ܒܢܝ̈ ܐܢܫܐ ܛܒܐ ܘܒܝܫܐ ܘܐܡܪ ܗܟܢܐ: ܕܟܘܪ ܡܠܬܟ ܠܥܒܕܟ ܗܝ ܕܐܣܒܪܬ ܠܐܕܡ ܘܠܟܠܗܘܢ ܟܐܢܐ: ܘܒܗ ܐܬܒܝܐܘ ܒܡܘܟܟܗܘܢ: ܡܛܠ ܕܡܠܬܟ ܐܚܝܬ ܐܢܘܢ. ܘܐܬܐ ܗܘ ܕܫܪܝܪ ܫܘܘܕܝܗ ܘܡܘܠܟܢܘܗܝ ܡܗܝܡܢܝܢ ܘܓܡܪ ܐܢܘܢ ܠܐܝܠܝܢ ܕܫܒܩܘ ܟܠܡܕܡ ܘܥܒܕܘ ܨܒܝܢܗ ܘܪܕܦܘ ܒܬܪ ܚܘܒܐ ܘܒܬܪ ܓܡܝܪܘܬܐ. ܘܫܟܒܘ ܩܕܡ ܡܐܬܝܬܗ: ܘܐܥܠ ܐܢܘܢ ܠܦܪܕܝܣܐ ܪܘܚܢܝܐ ܐܝܟ ܕܐܫܬܘܕܝ: ܘܚܘܝ ܠܐܚܪܝܐ ܓܠܝܐܝܬ: ܐܝܟ ܗܘܐ ܐܕܡ ܡܢ ܩܕܝܡ. ܘܡܠܟ ܠܗܘܢ ܦܪܕܝܣܐ ܘܐܬܕܠܝ ܡܢ ܠܘܬܗܘܢ: ܕܗܢܘܢ ܢܫܒܩܘܢ ܐܪܥܐ ܘܢܐܙܠܘܢ ܒܬܪܗ܀

ܗܢܐ ܕܝܢ ܣܒܪܬܐ ܕܝܗܒ ܝܫܘܥ: ܗܘ ܗܘ ܕܥܠܝܗ ܥܒܪ ܐܕܡ ܘܢܦܠ. ܘܗܝ ܟܐܢܘܬܐ ܕܝܗܒ ܡܘܫܐ ܘܢܒܝܐ ܗܝ ܗܝ ܕܐܬܬܣܝܡܬ ܠܐܕܡ ܡܢ ܒܬܪ ܕܥܒܪ ܥܠ ܦܘܩܕܢܐ

αβ] — 10 αβ ܒܡܫܬܐܠܐ. — 14 α add ܡܢܝ [ܗܘ. — 15 β ܘܓܡܪܘ, sed ܘ finale deletum est. — 16 α ܨܒܝܢ ܟܠ. — 19 β *aliis* ܠܐܚܪܝܐ [ܠܚܪܝܐ. — 24 α ܕܥܠܝܗ ܐܕܡ ܥܒܪ. — 25 β ܗܝ [ܗܝ ܗܝ. — *Ib.* α ܕܐܬܬܣܝܡܬ.

[1] Gal. III, 19. — [2] Ps. CXIX, 49.

ܩܕܡܝܐ. ܘܗܘܐ ܢܡܘܣܐ ܩܕܡܝܐ ܐܚܪܝܐ ܘܐܚܪܝܐ ܩܕܡܝܐ: ܐܝܟ ܕܗܘܘ ܐܚܪܝܐ ܩܕܡܝܐ ܘܩܕܡܝܐ ܐܚܪܝܐ. ܡܢ ܕܝܢ ܕܠܓܡܝܪܘܬܐ ܪܥܐ ܟܠܗ ܘܩܕܝܫܘܬܐ ܪܚܡ: ܒܗܠܝܢ ܗܘܝܐ ܩܕܝܫܘܬܐ ܕܠܒܐ: ܢܬܠ ܟܠܗ ܟܠ ܕܐܝܬ ܠܗ ܠܡܣܟܢܐ ܘܡܫܠܡܘܬܐ ܠܗ ܡܢ ܡܕܡ ܕܡܬܚܙܐ: ܘܗܘܐ ܒܟܠܗܘܢ ܚܪܝܢܐ ܘܠܐ ܕܐܢ ܠܐܢܫ ܘܠܐ ܢܬܒܥ ܠܐܢܫ. ܐܠܐ ܢܚܒ ܠܟܠܢܫ ܐܝܟ ܩܕܝܫܐ ܕܡܪܝܐ: ܡܛܠ ܕܡܕܢܚ ܚܘܒܗ ܥܠ ܟܠܢܫ ܐܝܟ ܫܡܫܗ ܕܐܒܐ ܥܠ ܟܠ ܕܐܝܬ ܒܐܪܥܐ ܥܠ ܛܒܐ ܘܥܠ ܒܝܫܐ ܘܥܠ ܟܐܢܐ ܘܥܠ ܥܘܠܐ܀

ܫܠܡ ܡܐܡܪܐ ܕܟܘ܀

datum primum transgressus erat : et facta est lex prima novissima et novissima prima, sicut novissimi primi facti sunt et primi novissimi [1]. Qui autem perfectionem quaerit et sanctitatem diligit, sanctitas cordis in hisce consistit : det omnia, quae habet, indigentibus et se supra visibilia elevet et facta sibi contentione neminem iudicet, nec ab ullo poenas repetat, sed omnes diligat, tamquam sanctus Dñi, quoniam caritatem suam oriri facit super omnes homines, sicut Pater solem suum super omnes, qui in terra sunt, super bonos et malos et super iustos et iniustos [2].

Desinit sermo vigesimus sextus.

αβ] — 6 α *abrenuntiat* ܡܫܠܡ [ܠܗ ܡܫܠܡܘܬܐ. — 9 α ܡܢ [ܩܕܝܫܐ. — 13 β desinit v. ܥܘܠܐ.

[1] Matth. xx, 16. — [2] Matth. v, 45.

ܡܐܡܪܐ ܕܥܣܪܝܢ ܘܫܒܥܐ ܕܥܠ
ܓܝܣܐ ܕܪ̈ܝܫܢܘ

SERMO VIGESIMUS SEPTIMUS

DE AGMINIBUS [1]

1. Omnibus, quorum laborem videt Deus, qui imitantur passionem eius, mittit aliquem, qui eis viam veritatis ostendat. Et si passionem Dñi contemplantes vapulant, sicut ipse vapulavit, et orant pro percutiente se, sicut Dñs oravit pro eo, qui se percussit, et pro illo, qui se veneficum et filium maechiae et seductorem populi appellavit, si salutant hunc, qui se ad mortem tradit et lavant pedes eius, sicut fecit Dñs Iscariotae [2] : si sic faciunt imitantes passionem eius : ipse Dñs fit magister eorum et ostendit eis viam et ianuam

ܟܠ ܐܝܠܝܢ ܕܚܙܐ ܡܪܝܐ ܠܥܡܠܗܘܢ
ܕܡܬܕܡܝܢ ܒܚܫ̈ܘܗܝ ܡܫܕܪ ܠܗܘܢ ܡܢ
ܕܢܚܘܐ ܠܗܘܢ ܐܘܪܚܐ ܕܫܪܪܐ. ܘܐܢ ܚܙܝܢ
ܒܚܫ̈ܘܗܝ ܕܡܪܢ ܘܡܬܢܓܕܝܢ ܐܝܟ ܕܐܬܢܓܕ
ܘܡܨܠܝܢ ܥܠ ܡܢ ܕܡܚܐ ܠܗܘܢ: ܐܝܟ
ܕܨܠܝ ܡܪܢ ܥܠ ܡܢ ܕܡܚܝܗܝ: ܘܥܠ
ܡܢ ܕܩܪܝܗܝ ܚܪܫܐ ܘܒܪ ܓܘܪܐ ܘܡܛܥܝܢܐ
ܠܥܡܐ: ܐܢ ܫܐܠܝܢ ܒܫܠܡܐ ܠܗܢ ܕܡܫܠܡ
ܠܗܘܢ ܠܡܘܬܐ ܘܡܫܝܓܝܢ ܠܗ ܪ̈ܓܠܘܗܝ
ܐܝܟ ܕܥܒܕ ܡܪܢ ܠܣܟܪܝܘܛܐ. ܐܢ ܗܟܢ
ܥܒܕܝܢ ܘܡܬܕܡܝܢ ܒܚܫ̈ܘܗܝ: ܗܘ ܡܪܢ ܗܘܐ
ܠܗܘܢ ܡܠܦܢܐ. ܘܡܚܘܐ ܠܗܘܢ ܐܘܪܚܐ ܘܬܪܥܐ

α] — *In titulo* α ܕܓܝ̈ܣܐ. — 1 α ܚܫ̈ܘܗ.

[1] Quid sibi titulus velit, non intelligo. α legit ܕܓܝ̈ܣܐ, quod duplicem admittit sensum. Si ܓܝ̈ܣܐ legas, de *agminibus* agitur, ܓܝܣܐ enim agmen vel praedationem significat; si vero ܓܝ̈ܣܐ legere velis, *praedones* vel *latrones* intellige, viarum publicarum securitatem turbantes. Sermo de illis disserit anachoretis, qui viam, quam dicit, perfectionis praepostere ineunt eiusque nescii pecorum more vagantur. Igitur probabile videtur ܕܓܝ̈ܣܐ legendum esse, eoque vocabulo *agmina* eiusmodi anachoretarum vagabundorum designari. — [2] Cf. Serm. XXII, 11.

ܘܐܘܪܚܗ: ܘܗܝܕܝܢ ܗܘܝܢ ܓܒܪܐ ܘܐܙܠܝܢ: ܗܘܝܢ ܠܗ ܠܝܫܘܥ ܟܪܘܙܐ ܘܡܠܦܢܐ ܠܘܬ ܟܠܢܫ܀

ܡܕܠ ܗܟܝܠ ܕܝܕܥܢ ܫܪܪܐ ܘܚܘܒܐ ܘܡܟܝܟܘܬܐ: ܗܘ ܙܕܩ ܠܢ ܕܢܐܙܠ ܡܢ ܡܕܝܢܬܢ ܠܐܬܪܐ ܐܚܪܢܐ. ܐܢ ܕܝܢ ܠܐ ܡܬܦܛܡܝܢ ܡܢ ܚܠܒܐ ܘܗܟܢ ܢܦܩܝܢ ܡܢ ܡܕܝܢܬܗܘܢ: ܐܙܠܝܢ ܡܣܬܢܩܝܢ ܟܠ ܡܪܒܝܢܝܬܐ ܢܘܟܪܝܬܐ. ܘܟܒܪ ܠܐ ܡܪܒܝܐ ܠܗܘܢ ܫܦܝܪܐܝܬ. ܘܟܒܪ ܠܐ ܫܠܡܐ ܠܥܕܬܐ: ܘܥܒܕܐ ܠܗܘܢ ܡܢ ܕܒܢܝܬܐ ܐܘ ܡܢ ܟܦܘܪܐ: ܘܗܢܘܢ ܐܝܟ ܛܠܝܐ ܡܬܛܥܝܢ: ܘܛܥܝܢ ܘܡܝܬܝܢ ܟܕ ܠܐ ܝܕܥܝܢ. ܐܠܐ ܥܕܡܐ ܕܛܠܝܢ ܒܡܕܝܢܬܗܘܢ ܢܗܘܘܢ: ܐܘ ܓܒܪܐ ܐܘ ܐܢܬܬܐ: ܥܕܡܐ ܕܡܬܬܟܠܝܢ ܥܠ ܢܦܫܗܘܢ ܕܐܙܠܝܢ ܘܐܬܝܢ: ܕܠܐ ܢܐܙܠܘܢ ܘܢܐܒܕܘܢ ܠܗܘܢ. ܐܝܬ ܓܝܪ ܡܪܒܝܢܝܬܐ ܛܒܬܐ: ܕܡܪܒܝܐ ܛܒ ܡܢ ܐܡܐ. ܘܐܝܬ ܡܪܒܝܢܝܬܐ ܒܝܫܬܐ ܕܐܘ ܥܒܕܐ ܠܗ ܠܒܪܢܫ ܥܒܕܐ ܕܚܛܝܬܐ: ܐܘ ܥܒܕܐ ܠܗ ܥܒܕܐ ܠܒܢܘܗܝ. ܐܦܠܐ ܡܢ ܥܠܡܐ ܠܐ ܝܠܦܝܢܢ: ܕܟܡܐ ܕܛܠܝܢ ܒܢܝܗܘܢ ܠܐ ܫܒܩܝܢ ܠܗܘܢ ܕܢܐܙܠܘܢ ܒܐܘܪܚܐ: ܐܠܐ ܐܢ ܐܫܠܡܘ ܐܢܘܢ ܠܡܢ ܕܢܩܒܠ ܠܗܘܢ ܘܢܕܒܪ ܠܗܘܢ܀ ܘܡܕܠ ܕܗܘܘ ܓܒܪܐ ܗܝܕܝܢ ܡܬܬܟܠܝܢ ܥܠܝܗܘܢ: ܘܡܫܒܩܝܢ ܠܗܘܢ ܠܒܠܚܘܕܝܗܘܢ: ܘܐܙܠܝܢ ܘܐܬܝܢ ܘܠܐ ܐܒܕܝܢ܀

ܘܐܢܬ ܒܪܝ ܐܡܪ ܠܟ: ܥܕܡܐ ܕܗܘܐ ܐܢܬ

α] —

suam et tunc fiunt viri et euntes praedicatores erunt Jesu et magistri apud omnes homines.

2. Cognita igitur veritate et caritate et humilitate decet nos e nostra civitate in alium locum pergere. Si autem non sint ablactati et ita egrediantur e civitate sua : euntes aliena nutrice indigent. Et [haec] forsitan non educabit eos solide. Forte non est conformis Ecclesiae eosque sectarios aut infideles reddit et illi, tamquam parvuli, seducuntur et errant et, ignari cum sint, moriuntur. Verumtamen dum parvuli sunt, maneant in patria civitate, sive sint viri, sive mulieres, donec sibi ipsi confidere et abire et redire possint, ne abeuntes pereant. Est enim nutrix bona, quae melius, quam mater, educat, et est nutrix mala, quae aut servum peccati facit hominem, aut servum filiorum suorum. Ne a mundo quidem discimus, qui dum filii parvuli sunt, non sinit eos abire in via, nisi tradiderit eos alicui, qui eos accipiat et ducat? Et postquam viri facti sunt tunc eis confidunt eosque solos dimittunt et eunt et redeunt nec pereunt.

3. Et tibi, fili mi, dico : donec vir

fueris et teipsum erexeris et cognoveris et abieris et redieris, nec piger super alium cadas : tunc ingredere et egredere in viam Dñi, ne quis furetur te, postquam egressus es e saeculo, et servum peccati aut hominum faciat. Si autem parentes tui nequam fuerint et duri, sicut parentes Theclae, fac ut Thecla, quam percusserunt et cruciaverunt et in ignem iecerunt [1], nec improperavit eis improperando nec fecit malam voluntatem, quam eam docebant. Hodie autem mundus sedens corrigit nos et dicitur : « filium aut filiam nostram modo propter Christianismum eiciemus ; nam si dixerimus eis vel « ite, comedite » probris nos afficiunt et pro unico verbo duro, quod eis tamquam parentes dicimus eos experimento subiecturi, an patientiam habeant, decem verba mala nobis reddunt. Et forsitan, quia filii mundi [sumus], nescimus, quomodo docuerit Jesus discipulos suos humilitatem et modestiam ? » Et dicunt : « Libenter laboraremus eos nutrituri velut parvulos, dummodo fructus perfectionis apparuissent in ipsis ». Vides parentes nostros ob duritiam nostram murmurare, non ob humilitatem nostram. Et quo duriores sunt peioresque parentes tui, ostende

ܥܒܪܐ ܘܩܡܬ ܠܢܦܫܟ: ܘܝܕܥܬ ܐܢܬ ܘܐܙܠ ܐܢܬ ܘܐܬܐ ܐܢܬ: ܘܠܐ ܬܦܠ ܐܢܬ ܐܪܡܠܐܐ ܥܠ ܐܢܫ: ܗܝ ܥܘܠ ܘܦܘܩ ܒܐܘܪܚܗ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ. ܕܠܐ ܐܢܫ ܢܓܢܒܟ ܡܢ ܥܠܡܐ: ܢܦܩܬ ܐܢܬ ܘܢܥܒܕܟ ܥܒܕܐ ܕܚܛܝܬܐ ܐܘ ܕܒܢܝ̈ܢܫܐ. ܐܢ ܕܝܢ ܒܝܫܐ ܐܢܘܢ ܐܒܗ̈ܝܟ ܘܩܫܝܐ ܐܝܟ ܐܒܗ̈ܝܗ ܕܬܩܠܐ: ܥܒܕ ܐܝܟ ܬܩܠܐ ܕܡܚܝܘܗ ܘܐܫܢܩܘܗ ܘܒܗ ܘܐܪܡܝܘܗ ܒܢܘܪܐ: ܘܠܐ ܡܚܣܕܘ ܚܣܕܬ ܐܒܗ̈ܝܗ: ܘܠܐ ܨܒܝܢܐ ܒܝܫܐ ܥܒܕܬ ܕܡܠܦܝܢ ܗܘܘ ܠܗ ܥܒܪܐ. ܝܘܡܢܐ ܕܝܢ ܝܬܒ ܥܠܡܐ ܘܡܬܩܢ ܠܢ ܘܐܡܪܝܢ: ܗܫܐ ܡܛܠ ܟܪܣܛܝܢܘܬܐ ܢܦܩ ܒܪܢ ܐܘ ܒܪܬܢ: ܕܐܢ ܕܐܡܪܝܢ ܠܗܘܢ ܐܙܠܘ ܕܐܟܠܘ ܠܚܣܕܢ ܙܒܢܝܢ: ܘܥܠ ܡܠܬܐ ܚܕܐ ܩܫܝܬܐ ܕܐܡܪܝܢ ܠܗܘܢ ܐܝܟ ܐܒܗ̈ܐ: ܕܢܒܣܐ ܐܢܘܢ ܐܢ ܐܝܬ ܒܗܘܢ ܡܣܝܒܪܢܘܬܐ: ܥܣܪܝܢ ܠܢ ܡܠ̈ܝܢ ܦܪܥܝܢ ܒܝܫ̈ܢ. ܘܕܠܡܐ ܡܛܠ ܕܒܢܝ ܥܠܡܐ ܚܢܢ ܠܐ ܝܕܥܝܢܢ ܐܝܟܢ ܐܠܦ ܝܫܘܥ ܠܬܠܡܝܕܘܗܝ ܡܟܝܟܘܬܐ ܘܢܟܦܘܬܐ. ܘܐܡܪܝܢ ܕܚܦܝܛܝܢ ܗܘܝܢ ܕܢܪܒܝܘܢ ܐܝܟ ܛܠܝܐ ܐܢ ܕܡܬܚܙܝܢ ܗܘܘ: ܘܒܗܘܢ ܦܐܪ̈ܐ ܕܓܡܝܪܘܬܐ ܢܬܚܙܘܢ ܗܘܘ ܒܗܘܢ. ܚܙܝ ܕܥܠ ܩܫܝܘܬܢ ܪܛܢܝܢ ܐܒܗ̈ܝܢ ܘܠܘ ܥܠ ܡܟܝܟܘܬܢ. ܘܟܡܐ ܕܩܫܝܢ ܐܒܗ̈ܝܟ ܘܒܝܫܝܢ: ܚܘܐ

α] — 8 α ܡܚܣܕܝ. — 18 α ܒܝܫ̈ܬܐ. — 25 α ܪܛܢܝܢ. — 26 α parentes *nostri* ܐܒܗ̈ܝܢ.

[1] Vide *Acta Pauli et Theclae*, n. 21 (ed. Lipsius in op. *Acta Apostolorum apocrypha*, pars prior, Lipsiae, 1891, p. 249).

ܠܗܘܢ ܡܟܝܟܘܬܟ ܫܢܬܐ ܐܘ ܝܪܚܐ. ܐܘ ܐܦ ܥܣܪܐ ܝܘܡܝܢ: ܘܗܝܕܝܢ ܦܘܩ. ܣܒܪ ܐܢܬ ܠܟ ܕܡܐ ܕܢܦܩܬ ܟܕ ܠܐ ܡܟܝܟ ܐܢܬ ܙܟܝܬܗ ܠܒܝܫܬܐ܀ ܗܘ ܗܘ ܙܒܢܐ ܣܓܝܢ ܩܪܒܝܟ: ܡܛܠ ܕܢܦܩܬ ܡܢ ܠܘܬ ܐܢܫܝܟ. ܘܐܢ ܡܟܝܟܘܬܐ ܠܝܬ ܠܟ ܡܚܒܠܐ ܠܟ ܚܛܝܬܐ. ܐܢ ܣܡܬ ܕܝܢ ܒܪܥܝܢܟ ܕܡܣܝܒܪ ܐܢܬ ܟܠ ܕܐܬܐ ܥܠܝܟ: ܕܓܠܘܬܐ ܘܥܫܘܩܝܐ ܘܛܠܘܡܝܐ: ܟܕ ܐܡܪܝܢ ܠܟ ܕܓܘܪܐ ܘܐܘܠܕܬ: ܘܫܬܩ ܐܢܬ ܐܝܟ ܟܐܦܐ ܛܒܬܐ: ܕܒܡܐܐ ܡܚܐ ܣܡܩܘܪܝܢ ܠܐ ܡܡܠܠ: ܘܐܠܐ ܠܐ ܬܦܘܩ: ܡܛܠ ܕܛܠܝܐ ܐܢܬ ܥܕܟܝܠ܀

ܓܒܪܐ ܓܝܪ ܡܣܝܒܪ ܕܪܘܪܒܢ ܡܢ ܗܠܝܢ ܘܒܝܫܢ. ܥܕܡܐ ܕܐܦ ܢܓܪܘܢ ܠܗ ܘܢܢܓܕܘܢ ܠܗ ܘܢܙܩܦܘܢ ܠܗ ܐܝܟ ܕܠܫܠܝܚܐ: ܡܣܝܒܪ ܟܕ ܫܬܝܩ: ܘܫܘܒܗܪܗ ܒܝܢܘܗܝ ܠܡܪܗ ܗܘܐ ܩܘܝܗ. ܐܠܐ... ܐܢ ܬܦܘܩ. ܢܡܚܘܢ ܐܒܗܝܟ ܡܛܠ ܝܘܠܦܢܐ ܘܡܛܠ ܡܠܬܐ ܕܐܠܗܐ ܕܐܙܠܬ ܫܡܥܬ ܘܐܬܝܬ ܘܨܚܝܘܟ ܣܝܒܪ ܐܢܘܢ ܘܣܓܘܕ ܠܗܘܢ ܥܕܡܐ ܕܗܘܐ ܐܢܬ ܓܒܪܐ. ܘܡܢ ܗܪܟܐ ܒܩܐ ܐܢܬ ܢܦܫܟ: ܐܢ ܡܫܟܚ ܡܣܝܒܪ ܐܢܬ ܠܐܟܣܢܝܐ ܘܐܙܠ ܐܢܬ ܕܠܐ ܨܦܬܐ ܟܕ ܡܫܬܒܗܪ ܐܢܬ ܒܝܢܝܟ ܘܠܡܪܢ: ܘܐܡܪ ܐܢܬ ܕܠܡܐ ܐܢ

eis humilitatem tuam per annum aut per mensem vel saltem decem dies, et tunc egredere. Num forte putas, postquam egressus eras et humilis non es, te malum devicisse? Tempore illo multiplicabuntur pugnae tuae, postquam cognatos tuos reliqueris; et si humilitatem non habueris, peccatum corrumpet te. Si autem proposueris in mente tua omnia ferre, quidquid supervenerit tibi: mendacium, vim, iniuriam, si dixerint tibi: « adulterium commisisti et generasti » et tu taces velut lapis bonus, qui centum assulis vapulat nec loquitur, — sin autem, noli egredi, nam adhuc infans es.

4. Vir enim his maiora et peiora fert; donec trahatur et flagelletur et crucifigatur sicut Apostoli, suffert tacens et gloriatio eius inter eum et Dominum eius manet. Sed [si] egressus fueris [et?] parentes tui percusserint te propter doctrinam et propter verbum Dei, quia abiens audisti et rediisti, et tibi maledixerint: sustine et adora eos, donec fias vir. Et teipsum exinde explorabis: si scias peregrinos sustinere et si sine sollicitudine vadas gloriabundus inter te et Dñum et dicas: « Forsitan quo vado, si me percusserint magis, quam percusserunt me parentes

α] — 2 α ܥܣܪܐ. — 4 α ܣܓܝܐܝܢ. — 7 post ܣܡܬ addendum videtur ܐܢܬ. — 19 α fol. 265 v° col. *a* lacuna incipit; post ܐܠܐ quinque litterae disparuere, quae restitui nequeunt; duo ultimae formam ܝܢ prae se ferunt. — 22 α ܘܣܓܘܕ. — 26 α ܒܝܢܝܟ.

et concives mei, propter doctrinam et humilitatem percutient me ». Et in tantum eris vir, in quantum onus tuum baiules et mentem tuam doctrina et inquisitione verbi atteras. Quanto humilior eris, tanto magis proficies. Sed ne dixeris : « retinet me », (ut dixit Dñs : *sequimini me* exinaniti a [rebus] visibilibus [1]) non retineo te retinendo, sed timeo, ne exiens pereas; attamen gaudeo te hodie discere, et cras docturum esse parentes tuos, et postridie humilitatem tuam erga sacerdotes et quarta die erga clerum et quinta die erga iuvenes exercere et te sexta die novam creaturam fore, velut Adam et extendi et innotescere humilitatem tuam omnibus hominibus et die septima recreatum iri penes hunc, qui te in Jerusalem supernam vocavit. Impedimentum ex tua parte est, quo minus humilieris et veritatem cognoscas et aliis pater fias. Ego quidem ex caritate tibi consilium do, ut scias, quid tibi expediat; non te iudicans indico. Filius sapientiae esto et cognosce omnia et ora pro me per caritatem Dñi Jesu Christi.

5. Sunt enim doctores hodie, qui euntes discipulum sibi adsciscant hominem ignorantem dicentes ei : « i,

ܡܫܬܥܝܢ ܠܟ ܐܚܐ ܘܐܪܙܐ ܐܢܐ: ܠܗ ܡܢ ܘܡܫܬܪܝܢ ܐܚܘܗܝ ܘܒܢܝ ܡܕܝܢܬܝ ܡܛܠ ܡܠܦܢܘܬܐ ܘܡܛܠ ܡܟܝܟܘܬܐ ܡܚܝܢ ܠܝ: ܘܗܟܢ ܗܘܐ ܐܢܬ ܓܒܪܐ: ܐܝܟ ܕܫܩܠܬ ܐܢܬ ܠܗ ܛܥܢܐ ܕܢܦܫܟ ܘܬܫܚܩ ܗܘܢܟ ܒܡܠܦܢܘܬܐ ܘܒܒܨܝܐ ܕܡܠܬܐ. ܟܡܐ ܕܡܬܡܟܟ ܐܢܬ ܗܟܢܐ ܝܬܝܪ ܐܢܬ ܡܬܝܬܪ. ܘܠܐ ܬܐܡܪ ܕܟܠܐ ܠܝ: ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܡܪܢ ܕܬܘ ܒܬܪܝ ܟܕ ܡܣܬܪܩܝܢ ܐܢܬܘܢ ܡܢ ܡܕܡ ܕܡܬܚܙܐ: ܠܐ ܟܠܐ ܐܢܐ ܠܟ ܡܟܠܐ. ܐܠܐ ܕܠܐ ܬܦܘܩ ܬܐܒܕ ܕܚܠ ܐܢܐ. ܐܠܐ ܚܕܐ ܐܢܐ: ܕܝܘܡܢ ܝܠܦ ܐܢܬ ܘܡܚܪ ܬܠܦ ܠܐܒܗܝܟ. ܘܠܝܘܡܐ ܐܚܪܢܐ ܬܗܘܐ ܡܬܡܟܟܬ ܠܟܗܢܐ ܘܠܝܘܡܐ ܕܐܪܒܥܐ ܠܩܠܝܪܘܣ ܘܠܝܘܡܐ ܕܚܡܫܐ ܠܥܠܝܡܐ ܘܠܝܘܡܐ ܕܫܬܐ ܬܗܘܐ ܒܪܝܬܐ ܚܕܬܐ ܐܝܟ ܐܕܡ. ܘܬܬܦܫܛ ܘܬܬܝܕܥ ܡܟܝܟܘܬܟ ܠܟܠܗܘܢ ܒܢܝ ܐܢܫܐ. ܘܠܝܘܡܐ ܕܫܒܥܐ ܬܬܒܪܐ ܠܘܬ ܗܢܐ ܕܩܪܝܟ ܠܐܘܪܫܠܡ ܕܠܥܠ. ܟܠܝܘܬܐ ܡܢܟ ܗܝ ܕܠܐ ܬܬܡܟܟ ܘܬܕܥ ܫܪܪܐ ܘܬܗܘܐ ܐܒܐ ܠܐܚܪܢܐ. ܐܢܐ ܕܝܢ ܡܢ ܚܘܒܐ ܗܘ ܡܡܠܟ ܐܢܐ ܠܟ ܕܬܕܥ ܡܢܐ ܐܝܟ ܠܟ: ܠܐ ܡܕܝܢ ܐܢܐ ܠܟ. ܗܘܝ ܒܪܐ ܕܚܟܡܬܐ: ܘܕܥ ܟܠܡܕܡ ܘܨܠܝ ܥܠܝ: ܒܚܘܒܗ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ ܀

ܐܝܬ ܓܝܪ ܡܠܦܢܐ ܝܘܡܢܐ: ܕܐܙܠܝܢ ܘܐܙܠܘ ܡܬܠܡܕܝܢ ܠܓܒܪܐ ܕܠܐ ܝܕܥ:

α] — 49 α ܘܡܬܒܪܝܐ.

[1] Matth. XIX, 21.

ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܠܐ ܦܘܩ. ܘܡܐ ܕܢܦܩ ܐܡܪܝܢ ܠܗ ܐܙܠ ܒܥܐ ܡܢ ܡܪܝ. ܘܠܐ ܝܕܥ ܡܪܝ ܡܢܘ ܘܠܐ ܡܢܐ ܗܘ ܡܠܦܢܘܬܐ ܫܒܩܝܢ ܠܗ ܕܢܐܠܦ. ܘܐܢ ܡܪܝ ܠܐ ܡܫܕܪ ܠܗ ܡܠܦܢܐ ܡܢ ܕܘܟ: ܥܒܕܝܢ ܠܗ ܒܛܝܠܐ: ܕܠܐ ܝܕܥ ܨܠܝ: ܘܠܐ ܫܒܩܝܢ ܠܗ ܕܢܐܠܦ. ܘܗܘܐ ܐܝܟ ܬܓܪܐ ܣܟܠܐ: ܕܠܐ ܝܕܥ ܕܢܕܒܪ: ܕܡܒܕܪ ܘܡܚܣܪ: ܡܕܡ ܕܟܢܫ ܒܣܟܠܘܬܗ. ܘܟܒܪ ܬܐܡܪ: ܓܒܐ ܐܠܗܐ ܠܣܟܠܐ ܕܢܒܗܬ ܒܗܘܢ ܠܚܟܝܡܐ. ܗܠܝܢ ܣܟܠܐ ܕܓܒܐ ܐܠܗܐ: ܒܐܪܥܢܝܬܐ ܣܟܠܝܢ ܗܘܘ ܘܚܟܝܡܝܢ ܗܘܘ ܒܫܡܝܢܝܬܐ: ܐܝܟ ܕܟܬܝܒ: ܕܡܛܠ ܕܠܐ ܝܕܥܬ ܣܦܪܘܬܐ: ܐܥܘܠ ܒܓܢܒܪܘܬܗ ܕܡܪܝܐ. ܗܢܘ ܕܝܢ ܕܡܛܠ ܕܐܣܠܝܬ ܝܕܥܬܐ ܐܪܥܢܝܬܐ: ܐܩܢܐ ܚܟܡܬܐ ܫܡܝܢܝܬܐ. ܐܢܐ ܕܝܢ ܐܡܪ ܐܢܐ. ܕܝܠܦܘ ܚܫܘܗܝ ܕܡܪܝ ܘܐܚܕܘܗܝ: ܘܐܦ ܐܢܬܘܢ ܒܚܫܘܗܝ: ܟܕ ܩܝܡܝܢ ܐܢܬܘܢ: ܘܟܕ ܝܬܒܝܢ ܐܢܬܘܢ: ܐܬܐܣܪܘ ܒܡܪܝ ܒܫܡܝܐ ܘܠܐ ܬܐܙܠܘܢ ܬܬܐܣܪܘܢ ܒܦܘܪܩܐ ܐܝܟ ܒܥܝܪܐ ܟܕ ܠܐ ܝܕܥܝܢ ܐܢܬܘܢ ܡܕܡ: ܘܬܬܐܣܪܘܢ ܠܥܠܡ ܒܐܪܥܐ. ܐܠܐ ܐܬܐܣܪܘ ܒܟܠܚܝܢ ܠܫܡܝܐ ܒܡܪܝ: ܟܕ ܡܩܪܒܝܢ ܐܢܬܘܢ ܕܒܚܐ ܕܝܕܥܬܐ: ܙܒܢܝܢ ܟܕ ܩܝܡܝܢ ܐܢܬܘܢ: ܘܙܒܢܝܢ ܟܕ ܒܪܟܝܢ ܐܢܬܘܢ: ܘܙܒܢܝܢ ܟܕ ܡܗܠܟܝܢ ܐܢܬܘܢ: ܘܙܒܢܝܢ ܟܕ ܙܡܪܝܢ

egredere! » Et ubi exiit, dicunt : « Dñum obsecra! » cum nesciat, quis sit Dñs nec eum discere sinant, quaenam sit doctrina; et si ei Dñs alicunde non mittit magistrum, otiosum eum reddunt, quia nescit orare, nec sinunt eum discendo discere, et fit veluti mercator stultus, qui nescit [res suas] disponere dilapidans ob stultitiam suam, quod collegit. Et forte dices : « *Elegit Deus stultos, ut per eos confundat sapientes*[1]. Stulti, quos elegit Deus, stulti erant rebus terrenis et sapientes erant caelestibus, sicut scriptum est : *Quia non cognovi litteraturam, introibo in potentiam Domini*[2]; hoc est : « quia reieci scientiam terrenam, acquiram sapientiam caelestem ». Ego autem dico : discite passionem Dñi et adeo vosmetipsos passioni eius adstringatis, ut stantes et sedentes Dño adhaereatis in caelo. Et nolite abeuntes vagationi operam dare, velut pecora, prorsus ignari, ne terrae alligemini, sed vos omni tempore caelo, Dño adstringite, offerentes hostias scientiae aliquando stantes, aliquando genuflectentes, aliquando ambulantes, aliquando in Spiritu sancto psallentes. Nec quis unquam dubitet

α] —

[1] I Cor. I, 27. — [2] Ps. LXXI, 15 sq.

de Ecclesia et sacerdotibus eius, quia ab Ecclesia catholica procedit tota cognitio veritatis[1]. Et diligat sectas quoque et infideles, quamquam Ecclesia catholica maior est in oculis nostris.

6. Sed postquam dimittere nostis, orate et dicite : *Pater noster, qui es in caelis, dimitte nobis, sicut dimisimus debitoribus nostris*[2], quemadmodum Jesus Dñs docuit nos invicem diligere et omnes filios Adae. Et postquam novimus ita agere et sic dimittere, euntes oremus : sine reatu invocabimus Dñum. Sic enim fecerunt discipuli Dñi et tunc euntes orabant, ut dixit eis : *Orate pro omnibus hominibus, ne intrent in tentationem*[3], et sicut scriptum est : *Verbum turpe ex ore tuo ne exeat*[4]; [hoc est] : nemo audiat verbum turpe ex ore nostro, non in civitate nostra, neque in domo paterna; et caput nostrum inclinemus et omnes adoremus et sit nostrum diligere omnes homines, sicut dixit Apostolus : *Nihil debeatis, nisi invicem diligere*[5]. Et sciamus, quid cuique debeamus : cui honorem, honorem; cui timorem, timorem; cui salutationem,

ܐܝܠܗ̇ ܒܪܘܫ ܡܦܩܢܐ. ܘܠܐ ܐܢܫ ܡܛܠܘܡ ܢܬܦܠܓ ܥܠ ܥܕܬܐ ܘܥܠ ܟܘܗܢܝܗ̇. ܕܡܢ ܥܕܬܐ ܗܝ ܩܬܘܠܝܩܝ ܡܬܝܕܥ ܟܠܗ ܫܪܪܐ. ܘܐܦ ܠܚܪܫܢܝܬܐ ܘܠܡܗܝܡܢܘܬܐ ܢܚܒ: ܟܕ ܪܒܐ ܒܥܝܢܝܢ ܥܕܬܐ ܩܬܘܠܝܩܝ܀

ܡܢ ܕܫܒܩܬܘܢ ܕܝܢ ܕܐܬܝܕܥܬܘܢ: ܨܠܘ ܠܐܠܗܢ ܘܐܡܪܘ: ܐܒܘܢ ܕܒܫܡܝܐ ܫܒܘܩ ܠܢ: ܐܝܟ ܕܐܦ ܚܢܢ ܫܒܩܢ ܠܚܝܒܝܢ. ܐܝܟ ܕܐܠܦܢ ܡܪܢ ܝܫܘܥ ܕܢܚܒ ܚܕ ܠܚܕ: ܘܠܟܠܗܘܢ ܒܢܝ̈ܗܘܢ ܕܐܕܡ. ܘܡܛܠ ܕܝܕܥܢ ܕܢܥܒܕ ܗܟܢ: ܘܢܫܒܘܩ ܗܟܢ: ܢܐܙܠ ܢܨܠܐ: ܕܠܐ ܒܚܘܒܬܐ ܩܪܝܢ ܠܗ ܠܡܪܢ. ܗܟܢ ܓܝܪ ܥܒܕܘ ܬܠܡܝܕܘܗܝ ܕܡܪܢ: ܘܟܕ ܐܙܠܘ ܡܨܠܝܢ: ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܠܗܘܢ: ܕܨܠܘ ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܒܢܝ̈ܢܫܐ ܕܠܐ ܢܥܠܘܢ ܠܢܣܝܘܢܐ: ܘܐܝܟ ܕܟܬܝܒ: ܕܡܠܬܐ ܣܢܝܬܐ ܡܢ ܦܘܡܟܘܢ ܠܐ ܬ⌈ܦ⌉ܘܩ ...ܠܐ ܐܢܫ ܢܫܡܥ ܡܢ ܦܘܡܢ ܡܠܬܐ ܣܢܝܬܐ: ܠܐ ܒܡܕܝܢܬܢ ܘܠܐ ܒܒܝܬ ܐܒܗ̈ܬܢ. ܘܪܝܫܢ ܢܪܟܢ ܘܢܣܓܘܕ ܟܠܢ. ܘܢܗܘܐ ܡܚܒܢܝܢ ܕܢܚܒ ܠܟܠܢܫ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܫܠܝܚܐ: ܕܡܕܡ ܠܐ ܬܚܘܒܘܢ ܐܠܐ ܚܕ ܠܚܕ ܠܡܚܒܘ. ܘܢܗܘܐ ܝܕܥܝܢ ܠܟܠܢܫ ܡܢܐ ܡܬܚܝܒ ܠܗ ܡܢܢ: ܠܡܢ ܕܐܝܩܪܐ ܐܝܩܪܐ. ܘܠܡܢ ܕܕܚܠܬܐ ܕܚܠܬܐ. ܘܠܡܢ

α] — **17** ante ܠܐ disparuisse videtur ܗ i. e. ܕܝܢ ܗܘܝܘ *hoc est,* sicut in translatione coniecimus.

[1] De verbo ad verbum : *ab Ecclesia catholica cognoscitur tota veritas;* non tamen eo sensu, quasi praep. ܡܢ subiectum enunciati designet, sed eo in sensu, quem in translatione statuimus. — [2] Matth. VI, 9-12. — [3] Matth. XXVI, 41. — [4] Eph. IV, 29. — [5] Rom. XIII, 8.

ܕܫܠܡܐ ܫܠܡܐ. ܘܠܡܢ ܕܣܘܟܠܐ ܣܘܟܠܐ. ܘܠܡܢ ܕܣܘܥܪܢܐ ܣܘܥܪܢܐ. ܘܠܡܢ ܕܝܩܪܐ ܝܩܪܐ. ܠܡܢ ܕܝܢ ܕܐܝܩܪܐ ܚܝܒܝܢ ܠܗ: ܘܪܒ ܗܘ ܡܢܢ: ܠܐ ܢܬܠ ܠܗ ܡܠܦܢܘܬܐ ܕܢܪܓܙ ܘܢܐܡܪ: ܕܐܢܬ ܡܠܦܬ ܠܝ܇ ܘܠܡܢ ܕܕܚܠܬܐ ܚܝܒܝܢ ܠܗ ܠܐ ܢܬܠ ܠܗ ܚܘܒܐ ܦܫܝܛܐ ܘܢܚܣܕܢ. ܘܠܡܢ ܕܚܘܒܐ ܦܫܝܛܐ ܚܝܒܝܢ ܠܗ: ܠܐ ܢܚܘܐ ܠܗ ܟܡܝܪܘܬܐ ܘܢܥܝܩܝܘܗܝ. ܘܠܡܢ ܕܣܘܥܪܢܐ ܚܝܒܝܢ ܠܗ ܠܐ ܢܫܐܠ ܠܗ ܫܠܡܐ ܡܢ ܪܘܚܩܐ ܘܢܬܪܥܡ ܥܠܝܢ. ܘܠܡܢ ܕܫܠܡܐ ܚܝܒܝܢ ܠܗ: ܠܐ ܢܫܬܘܚܪ ܠܘܬܗ ܘܢܛܥܢܢ ܫܘܥܝܐ ܒܫܥܝܬܗܘܢ ܘܫܘܩܠܝܗ. ܘܠܡܢ ܕܣܘܟܠܐ ܚܝܒܝܢ ܠܗ: ܠܐ ܢܦܪܘܫ ܡܢ ܠܘܬܗ ܥܕ ܡܬܛܦܝܣ: ܕܠܐ ܢܬܟܫܠ ܠܗ ܘܢܐܒܕ܀

ܢܗܘܐ ܦܫܝܛܐ ܒܗܢܐ ܥܠܡܐ ܡܢ ܒܝܫܬܐ ܘܚܪܝܦܐ ܠܟܠܗܝܢ ܛܒܬܐ ܠܡܥܒܕ. ܘܢܫܝܢ ܠܟܠܢܫ ܘܢܬܐܪ ܡܢ ܟܠܢܫ: ܘܢܬܐܪ ܠܟܠܢܫ ܘܢܦܪܘܫ ܩܠܐ ܟܠܗܝܢ ܕܓܡܝܪܘܬܐ ܡܢ ܕܟܐܢܘܬܐ: ܘܕܟܐܢܘܬܐ ܡܢ ܕܣܛܢܐ. ܡܛܠ ܗܕܐ ܗܘ ܓܝܪ ܐܡܪ ܡܪܢ: ܕܗܘܘ ܚܪܝܡܝܢ: ܕܢܦܪܫ ܡܠܦܢܘܬܐ ܡܢ ܡܠܦܢܘܬܐ ܘܡܠܬܐ ܡܢ ܡܠܬܐ: ܠܘ ܕܢܛܪܘܕ ܒܝܫܐ ܐܢܘܢ ܡܢ ܒܝܬ ܛܒܐ. ܡܠܦܢܘܬܐ ܓܝܪ ܒܝܫܬܐ ܢܒܐ ܠܝ: ܠܗ

salutationem; cui opera, opera; cui scientiam, scientiam[1]. Cui vero honorem debemus et hic maior est, quam nos, nolimus ei doctrinam dare, ne excandescens dicat : « Tu doces me? » Et cui timorem debemus, nolimus ei caritatem simplicem praestare, ne nobis improperet. Et cui caritatem simplicem debemus, nolimus ei tetricitatem ostendere eumque contristare. Et cui opera debemus, ne salutemus eum de longe, ne conqueratur de nobis. Et cui salutationem debemus, ne moremur apud ipsum, ne nos oneret historiis et narrationibus suis. Et cui scientiam debemus, ne recedamus ab ipso, donec persuasus sit, ne scandalizatus pereat.

7. Simus simplices in hoc mundo ad res malas et prudentes ad omnia bona facienda. Et omnes pacificemus et ab omnibus proficiemus et omnes lucri faciemus et dignoscemus cunctas voces perfectionis a [voce] iustitiae et vocem iustitiæ a voce Satanae; ideo enim dixit Dñs : *Estote prudentes*[2], ut dignosceremus doctrinam a doctrina et verbum a verbo; non ideo, ut malos expelleremus de medio bonorum. Mala enim doctrina

α] — 5 α ܕܢܪܓܙ. — 21 α ܘܕܚܡܝܪ. — 25 α ܐܢܫܐ ܒܝܫܐ.

[1] Rom. XIII, 7. — [2] Matth. X, 16

nociva est nobis, non homines mali; et si nos occidentes occidant, emolumento erit nobis.

Desinit sermo vigesimus septimus de agmine.

ܒܢܝ̈ܢܫܐ ܒܝ̈ܫܐ. ܘܐܢ ܩܛܠܝܢ ܠܢ
ܩܛܘܠܐ: ܡܘܬܪܢܐ ܗܘ ܠܢ ܀

ܫܠܡ ܡܐܡܪܐ ܕܥܣܪܝܢ ܘܫܒܥܐ ܕܥܠ
ܓܘܕܐ ܀

α] —

ܡܐܡܪܐ ܕܥܣܪܝܢ ܘܬܡܢܝܐ ܕܥܠ ܢܦܫܐ ܕܒܪܢܫܐ ܕܠܐ ܗܘܬ ܕܡܐ

SERMO VIGESIMUS OCTAVUS,

QUOD ANIMA HUMANA NON SIT SANGUIS

ܢܐܡܪ ܕܝܢ ܥܠ ܦܪܘܛܐ ܕܕܪܫܝܢ ܐܢܫܐ ܕܪܘܚܐ ܒܪܝܬܐ ܐܝܬ ܒܗ ܒܒܪܢܫܐ ܘܢܦܫܐ ܒܪܝܬܐ. ܘܥܒܕܝܢ ܠܗ ܠܢܦܫܗ ܕܒܪܢܫܐ ܕܡܐ ܐܝܟ ܕܚܝܘܬܐ: ܘܒܗ ܒܓܘ ܒܦܓܪܐ ܡܝܬܐ ܢܦܫܐ ܘܢܦܩܐ ܪܘܚܐ ܟܕ ܚܝܐ. ܡܚܘܝܢܢ ܕܝܢ ܕܠܐ ܡܝܬܐ ܢܦܫܐ ܥܡ ܦܓܪܐ ܐܠܐ ܟܕ ܚܝܐ ܢܦܩܐ ܡܢܗ. ܕܢܬܝܕܥ ܕܗܝ ܢܦܫܐ ܡܬܩܪܝܐ ܠܒܪ ܪܘܚܐ ܘܠܒܪ ܢܦܫܐ. ܘܦܓܪܐ ܘܢܦܫܐ ܗܘܐ ܠܗ ܐܢܫܐ ܡܢ ܟܝܢ ܒܪܝܬܗ ܠܒܠܚܘܕ: ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܐܠܗܐ ܕܐܬܝܐ ܠܡܥܡܪ ܒܗ: ܐܡܬܝ ܕܢܛܪ ܦܘܩܕܢܐ ܕܒܪܘܝܗ: ܐܝܟ ܕܡܢ ܝܘܡܐ ܩܕܡܝܐ: ܟܕ ܒܪܐ ܐܠܗܐ ܦܓܪܗ ܘܢܦܫܗ ܕܐܕܡ. ܘܡܫܪܝ ܢܦܚ ܒܗ ܡܢ ܪܘܚܗ ܕܩܘܕܫܐ

1. Sermonem autem instituemus de propositione, de qua quidam disquisitionem movent, spiritum creatum et animam creatam esse in homine et animam humanam sanguinem facientes velut animalium, in corpore mori aiunt animam et spiritum vivum egredi. Nos autem demonstrabimus animam non mori cum corpore, sed vivam egredi ex ipso, ut innotescat animam aliquando spiritum appellari, aliquando animam, et hominem naturâ creationis suae corpus et animam esse tantum et Spiritum sanctum Dei venientem habitare in ipso, quando mandata creatoris sui observat, sicut a prima die, quando Deus corpus

αβ] — *In titulo :* β XXVIII. *porro eiusdem sermo de eo quod* etc. ut in textu. ܬܘܒ ܕܝܠܗ ܡܐܡܪܐ ܕܥܠ . ܐܝܟ ܕܗܘ. α ut in textu; praeter quod scribit ܕܡܫܪܝܢ et ܐܝܬܝܗ ܒܗ. — 1 α ܐܢܫܐ — 4 β ܦܓܪܗ ܠܥܠܡ. — 7 α ܕܡܬܝܕܥ [ܕܢܬܝܕܥ. — 9 β ܗܘܬ. — *Ib.* β ܒܪܝܬܐ. — 10 α ܕܩܘܕܫ [ܕܩܘܕܫܐ.

et animam Adae creavit. Tunc insufflavit in eum Spiritum sanctum et tunc factus est Adam *anima vivens*[1]. Dicit enim Isaias : *Creavit spiritum hominis in medio eius*[2]. Non dixit : « inspiravit » ut significaret spiraculum de Spiritu Domini esse, nec esse creaturam; sicut etiam hodie scimus hominem, quando Spiritus Domini in eo non est, reprobum esse, sicut dicit Paulus[3]. Quando autem spiraculum habitat in ipso, tunc fit « anima vivens », sicut illa die, qua Dominus insufflavit in eum, cum eum creasset, sicut Dñs insufflavit Spiritum suum in faciem discipulorum suorum, ut essent tales, qualis erat Adam, antequam peccavit; nam quotiescunque peccat Adam et filii eius, spiraculum, quod est Spiritus Dei, recedit ab ipsis et, quando paenitentiam agunt, veniens in quolibet habitat sicut in illo, pro mensura charismatum Christi, iuxta diversa charismata.

2. Est, cuius charisma maius, et est, cuius charisma minus sit, pro mensura eius; et Dñs, prout mens eius recipere capax est, dat ei. Igitur homines, in quibus paululum est de Spiritu sancto, non sunt reprobi nec perfecti et consummati; nisi enim vas animae humanae

ܘܟܢ ܗܘܐ ܐܕܡ ܠܢܦܫܐ ܚܝܐ. ܐܡܪ ܓܝܪ ܐܫܥܝܐ: ܕܒܪܐ ܪܘܚܗ ܕܒܪܢܫܐ ܒܓܘܗ. ܘܠܐ ܐܡܪ ܕܢܦܚ: ܕܢܘܕܥ ܕܡܦܘܚܬܐ ܡܢ ܪܘܚܐ ܗܝ ܕܡܪܝܐ ܘܠܘ ܒܪܝܬܐ ܗܝ: ܐܝܟ ܕܐܦ ܝܕܥܝܢ ܝܘܡܢܐ: ܕܐܢܫ ܕܪܘܚܗ ܕܡܪܝܐ ܠܝܬ ܒܗ ܐܢܫܐ ܡܣܠܝܐ ܗܘ: ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܦܘܠܘܣ. ܐܢܫ ܕܝܢ ܕܡܥܡܪܐ ܒܗ ܗܝ ܡܦܘܚܬܐ: ܗܝܕܝܢ ܗܘܐ ܢܦܫ ܚܝܐ: ܐܝܟ ܕܒܗܘ ܝܘܡܐ ܕܢܦܚ ܒܗ ܡܪܝܐ ܟܕ ܒܪܝܗܝ: ܐܝܟܢ ܕܢܦܚ ܡܪܢ ܪܘܚܗ ܒܐܦܐ ܕܬܠܡܝܕܘܗܝ: ܕܢܗܘܘܢ ܐܝܟ ܕܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܐܕܡ ܟܕ ܠܐ ܚܛܐ. ܡܛܠ ܕܟܠ ܐܡܬܝ ܕܚܛܐ ܐܕܡ ܘܒܢܘܗܝ ܡܦܩܝܢܐ ܠܗ ܡܢܗܘܢ ܗܝ ܡܦܘܚܬܐ ܕܐܝܬܝܗ ܪܘܚܐ ܕܐܠܗܐ: ܘܐܡܬܝ ܕܬܝܒܝܢ ܐܬܝܐ ܠܡܥܡܪܐ ܒܗܘܢ ܒܟܠܢܫ ܐܝܟ ܒܗ: ܐܝܟ ܟܝܠܐ ܕܡܘܗܒܬܗ ܕܡܫܝܚܐ: ܡܘܗܒܢ ܡܘܗܒܢ ❖

ܐܝܬ ܕܪܒܐ ܡܘܗܒܬܗ ܘܐܝܬ ܕܙܥܘܪܐ ܐܝܟ ܡܫܘܚܬܗ. ܘܐܝܟ ܕܦܣܩ ܪܥܝܢܗ ܕܢܩܒܠ: ܗܟܢ ܝܗܒ ܠܗ ܡܪܢ. ܐܢܫܐ ܗܟܝܠ ܕܐܝܬ ܒܗܘܢ ܩܠܝܠ ܡܢ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ: ܠܐ ܡܣܠܝܢ ܐܦܠܐ ܓܡܝܪܝܢ ܘܡܫܡܠܝܢ. ܐܠܐ ܓܝܪ ܡܐܢܐ ܕܐܬܡܠܝ

αβ] — 1 β ܘܗܘܐ [ܘܟܢ. — 4 α ܗܝ ܗܘ ܘܗܘ. — 5 α ܝܕܥܝܢ. — 7 α ܡܣܠܝܐ. — 9 β ܗܝ ܗܘ. — 13 α ܘܐܝܬ. — 18 α ܕܡܘܗܒܬܗ. — 22 α ܠܗܘܢ [ܠܗ. — *Ib.* α ܐܢܫܐ. — 24 α ܕܩܘܕܫ [ܕܩܘܕܫܐ.

[1] Gen. I, 7. — [2] Zach. XII, 1 (quem locum ob similitudinem initii confundit cum Is. XLII, 5). — [3] Rom. VIII, 9.

ܡܬܡܠܐ ܒܢܦܫܗ ܕܒܪܢܫܐ ܡܢ ܪܘܚܐ ܕܐܠܗܐ: ܠܐ ܡܩܒܠ ܠܗ ܠܢܫܡܬܗ ܗܝ ܡܫܡܠܝܬܐ ܕܡܢ ܒܪܫܝܬ ܘܗܘܐ ܢܦܫ ܚܝܐ. ܘܗܘܐ ܗܝ ܡܘܗܒܬܐ ܕܡܠܐ ܡܢܗ ܒܪܢܫܐ ܘܠܝܬ ܠܗ ܚܘܣܪܢܐ ܡܕܡ: ܕܡܬܩܪܝܐ ܪܘܚܐ ܦܪܩܠܝܛܐ. ܘܡܢ ܐܝܟܢܐ ܝܕܥܝܢ ܕܡܩܒܠ ܠܗ ܒܪܢܫܐ܆ ܡܢ ܗܕܐ ܕܠܝܬ ܠܗ ܒܚܘܣܪܢܐ ܘܡܠܐ ܟܠܗܘܢ ܛܒܬܐ ܘܝܕܥ ܟܠܗ ܫܪܪܐ. ܐܝܟ ܡܠܬܗ ܕܡܪܢ: ܕܡܫܕܪ ܐܢܐ ܠܟܘܢ ܪܘܚܐ ܦܪܩܠܝܛܐ ܕܗܘ ܢܘܕܥܟܘܢ ܟܠܗ ܫܪܪܐ. ܡܟܝܠ ܗܟܝܠ ܕܡܩܒܠ ܒܪܢܫܐ ܡܘܗܒܬܐ ܪܒܬܐ ܕܐܝܬܝܗ ܦܪܩܠܝܛܐ: ܡܚܕܐ ܟܠܗ ܫܪܪܐ ܡܫܬܪܐ ܠܡܬܠܕ: ܘܠܡܡܚܩ ܟܠܗܘܢ ܚܘܣܪܢܘܗܝ: ܘܒܗ ܒܦܪܩܠܝܛܐ ܡܫܬܡܠܐ ܘܡܬܡܠܐ ܒܟܠܗܘܢ ܛܒܬܐ ܘܡܫܡܫ ܒܪܘܚ: ܘܗܘܐ ܐܝܟ ܨܒܝܢܗ ܕܡܪܢ ܓܡܝܪܐ ܘܡܩܒܠܐ܀

ܪܘܚܐ ܕܝܢ ܕܩܘܕܫܐ ܡܘܗܒܬܐ ܣܓܝܐܐ ܐܝܬܝܗ: ܘܪܒܐ ܡܘܗܒܬܐ ܡܢ ܡܘܗܒܬܐ. ܘܐܢ ܛܢܝܢ ܐܢܬܘܢ ܐܡܪ ܒܡܘܗܒܬܐ ܪܘܪܒܬܐ: ܐܚܘܝܟܘܢ ܡܘܗܒܬܐ ܕܪܒܐ ܡܢ ܟܠܗܝܢ. ܚܙܐ ܐܢܬ ܕܐܝܬ ܗܝ ܡܕܡ ܕܡܝܬܪ ܡܢ ܡܕܡ. ܚܕܐ ܗܝ ܓܝܪ ܪܘܚܐ ܕܐܠܗܐ ܕܩܘܕܫܐ ܘܦܪܩܠܝܛܐ. ܘܡܦܠܓ ܕܢܦܪܫ ܡܘܗܒܬܐ ܪܘܪܒܬܐ ܡܢ ܙܥܘܪܬܐ: ܩܪܐ ܪܘܚܐ ܦܪܩܠܝܛܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ: ܗܘ ܕܡܢ

repleatur Spiritu Dei : non accipit spiraculum illud integrum primum, nec fit anima vivens. Et charisma, quo repletur homo et cui nullus subest defectus, illud est, quod appellatur « Spiritus Paraclitus ». Et unde scimus aliquem accepisse illud? Exinde, quod nullos defectus habet et omnibus bonis plenus est et novit totam veritatem iuxta effatum Dñi : *Mitto vobis Spiritum Paraclitum, qui vobis cognitam reddat totam veritatem*[1]. Homo igitur accepto charismate maximo, quod est Paraclitus, statim cognoscit totam veritatem et incipit proficere et defectus suos exterminare, quo Paraclito perficitur et impletur omnibus bonis et spiritu serviens iuxta voluntatem Dñi perfectam et acceptam efficitur.

3. Spiritus autem sanctus in multis consistit donis et maius est charisma charismate. *Et si zelatis,* inquit, *charismata maiora, ostendam vobis charisma, quod maius omnibus est*[2]. Vides dari aliquid, quod alio maius est. Unum enim [idemque] est « Spiritus Dei sanctus » et « Paraclitus »; et ut distinguat charismata maiora a minoribus, appellat Spiritum « Paraclitum » et « Spiritum sanctum », quem si quis accipit, per

αβ] — 7 α ܠܗ [ܠܗܢ. — 20 α ܛܢܝܢ. — *Ib.* α om. ܟܠܗ. — 25 α ܩܪܐ. — 26 α ܕܩܘܕ [ܕܩܘܕܫܐ

[1] Joh. xv, 26; xvi, 12. — [2] I Cor. xii, 31.

charisma maximum perficitur. Ad charismata autem minora quod attinet, qui ea accipiunt, non perficiuntur, quia imperfecti sunt; et nisi veniat charisma maximum, non implentur, sed quisque iuxta opera et charismata sua crescit die Dñi. *Ascendisti,* inquit, *in altum et cepisti captivitatem et dedisti charismata hominibus*[1]. Vides charismata multa dari.

4. Igitur anima non est sanguis, sed exit e corpore, quod tunc moritur; et si est in ea Spiritus sanctus, cum ipso vadit in domum vitae, in horreum lucis. Et si non est in ea Spiritus sanctus, sola egreditur e corpore. Cum autem Adam peccasset, ablatum est ab eo spiraculum istud et tunc gustavit mortem.

5. Dñs igitur dixit : *Si duo ex vobis convenerint in terra et observaverint verba mea, quodcunque petierint in oratione et crediderint observantes verba mea*[2]: *accipient;* qui duo sunt homo interior et homo exterior, qui conveniunt in observatione mandatorum et petentes accipiunt charismata Spiritus sancti a Deo et commiscetur in eis et homo in trinitate constitutus vivit. Et si quis dicat : « si in Adam Spiritus Dei fuerit, qui erat simplex et cur non docuit eum, ne

[illegible]

αβ] — 2 β [illegible] [illegible]. — 6 β [illegible]. — 7 β om. in textu notat in margine [illegible]. — 8 α [illegible] [illegible]. — 13 β [illegible] [illegible]. — 15 α om. [illegible]. — 23 α [illegible]. — 24 β [illegible].

[1] Ps. LXVIII, 18. Eph. IV, 8. — [2] Matth. XVIII, 19; XXI, 22. Mc. XI, 24.

ܫܡܥ ܗܘܐ ܘܠܐ ܐܛܥܝܗ ܘܠܐ ܢܬܥܕܪ ܠܒܝܫܐ: ܘܐܬܗܢܝܗ ܘܠܐ ܗܢܝ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܠܗ܀ ܐܡܪܐ ܠܗ ܓܝܪ ܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ ܕܐܝܬܝܗ ܡܪܝܐ ܒܝܘܡܐ ܕܐܬܒܪܝ: ܕܐܢ ܬܐܟܘܠ ܡܢ ܗܢܐ ܐܝܠܢܐ ܡܘܬܐ ܬܛܥܘܡ. ܗܢܘ ܕܝܢ ܐܡܪ: ܐܢ ܬܥܒܪ ܥܠ ܦܘܩܕܢܐ ܘܬܫܬܡܥ ܠܣܛܢܐ ܡܘܬܐ ܬܛܥܘܡ. ܚܙܝܬ ܐܝܟ ܐܠܦܗ ܪܘܚܐ ܘܠܐ ܨܒܐ ܕܢܫܬܡܥ ܠܗ ܐܝܟܢܐ ܕܡܠܦܐ ܠܢ ܕܐܦ ܠܐ ܨܒܝܢ ܕܢܫܡܥܝܘܗܝ ܘܐܙܠܝܢ ܒܬܪ ܣܛܢܐ: ܘܡܛܥܐ ܠܢ ܒܫܘܘܕܝܐ ܕܓܠܐ ܕܝܠܗ ܒܕܡܘܬܐ ܕܐܕܡ܀

ܐܝܬ ܬܘܒ ܐܢܫܐ ܕܗܢܘܢ ܗܘܢܐ ܕܠܒܪ ܐܝܬ ܠܗܘܢ: ܘܝܕܥܬܐ ܒܪܝܬܐ ܘܪܓܫܬܐ ܒܪܝܬܐ ܘܕܝܢܐ ܒܪܝܐ ܘܛܟܣܐ ܒܪܝܐ. ܘܣܘܟܠܐ ܒܪܝܐ ܕܒܪܢܫܗܘܢ ܕܠܒܪ. ܘܐܝܬ ܕܕܗܢܐ ܗܘ ܥܠܡܐ ܪܓܫܝܢ ܘܝܕܥܝܢ ܘܗܪܟܐ ܗܘ ܒܗܠܝܢ ܕܡܬܚܙܝܢ ܡܬܚܟܡܝܢ ܘܡܬܕܒܪܝܢ ܘܡܣܬܟܠܝܢ. ܘܫܠܝܐ ܗܠܝܢ ܕܠܐ ܚܙܝܢ ܘܠܐ ܫܡܥܝܢ ܘܠܐ ܡܣܬܟܠܝܢ: ܗܘ ܡܕܡ ܕܠܐ ܡܫܟܚ ܦܓܪܐ ܘܒܣܪܐ ܠܡܫܡܥ ܘܠܡܚܙܐ. ܠܘ ܥܝܢܐ ܘܐܕܢܐ ܓܘܝܝܬܐ ܘܣܘܟܠܐ ܓܘܝܐ ܠܝܬ ܠܗܘܢ: ܐܠܐ ܡܥܘܪܢ ܡܥܘܪܢ ܠܚܛܝܬܐ. ܘܡܣܟܪܢ ܡܢ ܠܓܘ. ܡܛܠ ܗܘ ܠܐ ܚܙܐ ܗܘ ܒܪܢܫܐ ܘܠܐ ܫܡܥ ܟܣܝܬܐ. ܘܐܝܟܢܐ ܕܡܢ ܕܡܚܫܪܢܝܢ ܗܠܝܢ ܗܕܡܝܗܘܢ ܕܡܬܠܚܡܝܢ: ܠܐ ܡܫܟܚ ܚܙܐ ܘܫܡܥ

obediret Maligno, et decepit eum nec profecit sicut dixit ei? Spiritus enim sanctus, qui est Dominus, dixit ei die, quo creatus est : *Si de hac arbore comederis, mortem gustabis*[1]; hoc est : si mandatum meum transgressus fueris et Satanae obedieris, mortem gustabis. Vides, quomodo docuerit eum Spiritus; et noluit obedire, sicut nos ipsos docet nec eum audire volumus, et sequimur Satanam, qui nos promissis suis mendacibus decipit ad instar Adae.

6. Sunt porro homines, qui habeant mentem externam et scientiam externam et sensum externum et iudicium externum et ordinem externum et intelligentiam externam hominis sui externi. Et sunt, qui res mundi huius percipiant et cognitas habeant et hic in terris ea, quae videntur, sapiant et in his instituti sint et intelligentes; et secus, quod non vident, nec audiunt nec intelligunt, id, quod corpus et caro audire et videre non possunt. Non, quod oculos auresque internas et intelligentiam internam non habeant, sed haec a peccato obcaecatione obcaecata et ab intus obturata sunt; et ideo evenit, ut homo eiusmodi nec videat nec audiat occulta. Et sicut

αβ] — 3 β om. ܕܩܘܕܫܐ. — 6 α ܗ [ܕܝܢ ܗܢܘ. — 7 β om. in textu, notat in margine ܠܣܛܢܐ. — 8 α add. ܐܘܪ. — 9 α add. *hodie* ܝܘܡܢܐ [ܕܢܫܡܥ. — 12 α ܐܢܫܐ. — 21 β om. in textu, notat in margine ܘܐܕܢܐ. — 25 β ܕܡܫܬܪܝܢ.

[1] Gen. II, 17; Joh. VIII, 52.

is, cuius membra visibilia laesa sunt, non potest videre et intelligere res visibiles, quae in hoc mundo sunt : sic etiam is, cuius membra interna per peccatum laesa sunt, non potest videre et audire et intelligere ea, quae ad mundum veritatis pertinent invisibiliaque sunt.

7. Membra autem visibilia sic laeduntur : sive a Deo, sive ab hominibus nequam, sive a Satana, sive vi, sive dolo, sive — quia homini illi sic expedit. Vi quidem, quia aliquis percutit proximum suum et laedit eum; machinatione autem, quia ipsi praestigium facit eumque corrumpit; a Maligno autem laeditur, quia obedit ei; a Deo vero, quando castigatur, laeditur, quia sic expedit ei. Membra autem interna simili modo laedi possunt a Maligno, quando quis ei aures praebet et doctrinam eius sequitur. Etiam homo potest laedere hoc modo membra animae : si anima obedire voluerit, laedit eam doctrina sua mala; doctrina enim mala homo corrumpere potest membra interna, aut si quis connivente alicubi Dño laedit unum ex animae sensibus ope praestigiorum. Et Deus, cum sit iudicaturus homines, non laedit membra interna, si autem externa lae-

ܘܡܣܬܟܠ ܗܠܝܢ ܕܡܬܚܙܝܢ ܕܐܝܬ ܒܗܢܐ ܥܠܡܐ: ܗܟܢܐ ܐܦ ܡܢ ܕܡܬܚܒܠܝܢ ܗܠܝܢ ܗܕܡܘܗܝ ܓܘܝܐ ܒܚܛܝܬܐ: ܠܐ ܡܫܟܚ ܚܙܐ ܘܫܡܥ ܘܡܣܬܟܠ: ܒܗܠܝܢ ܕܐܝܬܝܗܝܢ ܡܢ ܗܘ ܥܠܡܐ ܕܫܪܪܐ ܘܠܐ ܡܬܚܙܝܢ܀

ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܗܕܡܐ ܕܡܬܚܙܝܢ ܗܟܢ ܡܬܚܒܠܝܢ: ܐܘ ܡܢ ܐܠܗܐ ܐܘ ܡܢ ܒܢܝܢܫܐ ܒܝܫܐ ܐܘ ܡܢ ܣܛܢܐ ܐܘ ܒܛܠܘܡܝܐ ܐܘ ܒܢܟܠܘܬܐ ܐܘ ܡܛܠ ܕܗܟܢܐ ܦܩܚ ܠܗ ܠܗܘ ܒܪܢܫܐ. ܒܛܠܘܡܝܐ ܕܝܢ ܡܛܠ ܕܡܚܐ ܐܢܫ ܠܚܒܪܗ ܘܡܚܒܠ ܠܗ. ܒܢܟܠܘܬܐ ܕܝܢ ܡܛܠ ܕܥܒܕ ܠܗ ܚܪܫܐ ܘܡܚܒܠ ܠܗ. ܡܢ ܒܝܫܐ ܕܝܢ ܡܬܚܒܠ ܡܛܠ ܕܡܫܬܡܥ ܠܗ. ܡܢ ܐܠܗܐ ܕܝܢ: ܐܡܬܝ ܕܡܬܪܕܐ ܡܬܚܒܠ: ܡܛܠ ܕܗܟܢܐ ܦܩܚ ܠܗ. ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܗܕܡܐ ܕܠܓܘ ܗܟܢܐ ܡܫܟܚܝܢ ܡܬܚܒܠܝܢ ܡܢ ܒܝܫܐ: ܐܡܬܝ ܕܝܗܒ ܠܗ ܒܪܢܫܐ ܡܫܡܥܬܗ ܘܐܙܠ ܒܬܪ ܡܠܦܢܘܬܗ. ܐܦ ܒܪܢܫܐ ܗܟܢ ܡܫܟܚ ܚܒܠ ܠܗܕܡܐ ܕܢܦܫܐ: ܐܢ ܨܒܝܐ ܢܦܫܐ ܕܬܫܬܡܥ ܚܒܠܗ ܒܡܠܦܢܘܬܗ ܒܝܫܬܐ. ܒܡܠܦܢܘܬܐ ܓܝܪ ܒܝܫܬܐ ܡܫܟܚ ܒܪܢܫܐ ܕܢܚܒܠ ܠܗܕܡܐ ܕܠܓܘ: ܐܘ ܐܢ ܗܘ ܕܡܗܘܡܐ ܡܕܡ ܟܬܝܒܘܗܝ ܒܪܘܚܐ: ܘܚܒܠ ܒܪܢܫܐ ܒܚܪ̈ܫܐ ܠܚܕ ܡܢ ܪ̈ܓܫܘܗܝ ܕܢܦܫܐ. ܘܐܠܗܐ: ܡܛܠ ܕܥܬܝܕ ܗܘ ܕܢܕܘܢ

αβ] — 5 α ܕܐܝܬܝܗܘܢ. — 14 α ܚܪ̈ܫܐ [ܚܪܫܐ. — 21 α ܠܗܕ̈ܡܝܗ. — 25 α ܐܝܬܘܗܝ. — 26 α ܚܪ̈ܫܐ ܒܚܪ.

[illegible]

dantur, interna observant praecepta eius. Si vero eveniat, ut membra cuiusdam interna laedat Deus, non iudicat eum die iudicii, quia iustum est iudicium eius, nec iudicat quemquam, cui non dedit oculos et aures et intellectum et cognitionem, ut se cognoscat et intelligat.

8. Quam ob rem Spiritum sanctum accipit inde a baptismo, ut auditis praeceptis eius ea per fidem observet. Deus duos mundos fecit duoque ministeria, ut ex visibili invisibilis appareret[1]. Ideo simile est testamentum manifestum occulto et similis est Ecclesia manifesta occultae et simile est baptisma manifestum occulto et similis est cibus manifestus occulto et similis est oratio manifesta occultae et simile est altare manifestum occulto et similia sunt charismata manifesta occultis. Et breviter : omnino simile est ministerium terrestre ministerio caelesti; et quoniam homines non comprehenderunt caeleste illud, dedit eis similitudinem eius in terra, ut stantes in ecclesia manifesta et comedentes de altari manifesto in aeternum viverent

αβ] — 2 α [illegible]. — *Ib.* α [illegible]. — 3 β [illegible]. — 5 α in margine notat [illegible], quod in textu omisit. — — 8 β [illegible]. — 13 α [illegible]. — *Ib.* α [illegible]. — 15 α [illegible]. — 18 α [illegible]. — 21 α [illegible].

[1] Cf. Rom. I, 20. Hebr. XI, 3.

in ecclesia occulta, quae in caelo est, et manducarent ex altari occulto : ministerium ineffabile, maius ore hominis. Et simile est ministerium manifestum occulto et omnia visibilia typus sunt invisibilium et in similitudinem invisibilium formata sunt visibilia et ex similitudine visibilium ostendunt spirituales his, qui credunt et videre cupiunt. *Ea, quae visibilia sunt,* ait Apostolus, *facta sunt ex his, quae invisibilia sunt*[1]. Hanc ob rem olim Deus praefiguravit corpore prophetis et Apostolis similitudines salutis et tunc ostendit eis spiritu exemplar perfectum.

9. Quoniam autem transgresso mandato domestici Adae obliti sunt ministerium caeleste, ut angelorum instar cum angelis ministrarent : dedit eis Deus ministerium visibile in terra ad instar caelestis, ne omnino perirent. Hodie vero ecce, abhinc quod Dñs reconciliatus est, cuique Adae filiorum spiritu in caelo ministrare cupienti denuo ostendit Dñs, hoc est ei, qui audit verba eius et terra omnibusque visibilibus post se relictis scientia praecurrit de die in

